THEOLOGIA

WIRCEBURGENSIS

I

Theol. Test Bvk

IMPRIMERIE
CONTANT-LAGUERRE

BAR-LE-DUC

RR. PATRUM SOCIETATIS JESU

THEOLOGIA

DOGMATICA

POLEMICA, SCHOLASTICA ET MORALIS

PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS

IN ALMA UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

ACCOMMODATA

EDITIO TERTIA

LOCUPLETATA NOVISSIMIS DECRETIS SS. PP. ET CONCILII VATICANI

OPERA ET STUDIO PATRUM EJUSDEM SOCIETATIS

TOMUS PRIMUS

DE PRINCIPIIS THEOLOGICIS

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
W743
Alma, California

PARISIIS

BERCHE ET TRALIN, EDITORES

69, VIA DE RENNES, 69

1880

0588

PRINCIPIA

THEOLOGICA

AUCTORE R. P. HENRICO KILBER S. J.

SS. THEOLOGIÆ DOCTORE EJUSDEMQUE

ET SACRARUM SCRIPTURARUM IN ALMA UNIVERSITATE

WIRCEBURGENSI

PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO

TOMUS PRIMUS

DE SCRIPTURA SACRA. DE TRADITIONE DIVINA. DE ECCLESIA CHRISTI,
DE CONCILIIS. DE ROMANO PONTIFICE. DE SS. PATRIBUS,
DE THEOLOGIA ET JURISPRUDENTIA. DE RATIONE ET HISTORIA. DE HÆRESIBUS,
DE PROPOSITIONIBUS DAMNATIS.

BIBLIOPOLA AD LECTOREM.

Inter varia quæ circumferuntur Theologiæ catholicæ compendia, vix ullum aliud ita Doctorum suffragio comprobari et adeo multorum votis expeti nobis visum est ac Wirceburgensium Societatis Jesu Patrum illa, quam iterum typis mandamus, Theologia. Sive enim eruditionis copiam testimoniorumque delectum, sive rationum pondus, sive methodum et integritatem desideres, opus nulli secundum et numeris omnibus absolutum fatearis necesse est. Cujus non infima etiam commendatio esse debet, quod in illa florentissima olim Universitate ortum et famam habuerit, quæ validissima Fidei propugnatrix in Germania, præter hos quos recudimus Dogmaticæ Theologiæ scriptores, paucorum annorum decursu, suos inter professores, PP. Edmundum Voigt, Adrianum Daude, Xaverium Widenhofer, aliosque protulit viros, omnium judicio, in moralibus, historicis ac scripturisticis doctrinis exercitatissimos, quos nominare laudare est.

Porro in hâc novâ editione pauca innovavimus, quæ genuinam operi integritatem relinquent. In editione præcedenti jam visum erat consultius esse suarum singulis propositio-

nibus objectionum seriem nectere, quæ, in priori editione, ad calcem uniuscujusque capitis aut articuli inopportunè rejecta procul aberant. Hanc ordinis immutationem approbavimus et retinuimus. Præterquam quod singula volumina, olim prout vario tempore perfecta fuerint, in publicum emissa, nunc quoque juxtâ theologici cursus ordinem protulimus.

Si verò quædam addita duximus necessaria, notis brevissimis ea indicare nobis curæ fuit. Ita non omisimus, ut opus nostrum sit omninò ætati nostræ accommodatum, seriem Summorum Pontificum, Episcoporum et Conciliorum completam facere, et in medium adducere canones et decreta quæ in nostris diebus S. S. D. N. Pius IX et sacrosanctum œcumenicum Concilium Vaticanum in lucem ediderunt.

Quod si in hâc sacrarum disciplinarum instauratione, quam tanto promovent studio plerique hodiè in Catholicis Universitatibus Illustrissimi Præsules, labor iste noster benignè sit acceptus, non aliam mercedem appetimus.

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

DE

PRINCIPIIS THEOLOGICIS.

Visum est inscribere hasce institutiones de principiis Theologicis; tum quia decebat id quam minime distinguere per epigraphen, quod alias velut pars commentationibus prioris Tractatus inseri consuevit, tum quia hac inscriptione planum erat complecti omnia, quæ per fidei regulas et Theologiæ fontes seu locos theologicos ab aliis designantur. Cum enim a D. Thoma, p. 1, q. 33, a. 1 : *Omne, a quo aliquid procedit quomodocumque, dicatur esse principium,* licebit Principiorum Theologicorum etiam nomine significare non tantum ea, quæ veritates a Deo revelatas continent aut infallibiliter proponunt, indeque fidei regula nuncupantur; sed et quæcumque sedes sunt et promptuaria, unde disciplina sacra de Deo rebusque ad Deum pertinentibus tractans, id est, Theologia sua argumenta desumit, quæ est locorum theologicorum descriptio. Quare sicut in horum censum communius referuntur Scriptura sacra, Traditio, Ecclesia, Concilia, Sedes Apostolica, seu Summus Pontifex, Patres, Scholæ Theologicæ, Juriscientia, Historia et Ratio humana; sic et illa eadem sub

ampliore hac Principiorum theologicorum acceptione comprehenduntur. Quoniam vero non una istorum omnium vis est et efficacia, sed alia quidem veritates revelatas complectendo, objectum fidei ac disciplinæ theologicæ constituunt; alia autem veritates illas ostendendo subjectum utriusque facultatis dirigunt; alia demum easdem veritates vel custodiendo vel illustrando vel firmando utilitatis quidpiam sive objecto sive subjecto memorato conferunt : fas erit, secundum diversitatem hanc triplicem, universam quoque materiam in tres Disputationes distinguere. Itaque earum prima aget *de Principiis Constitutivis,* quorum nomine Scripturam Sacram et Traditionem intelligimus : secunda *de Principiis Directivis,* quorsum Ecclesiam, Concilia et Summum Pontificem referimus; tertia *de Principiis Adjuvantibus,* ad quorum ordinem reliqua superius recensita reducimus.

DISPUTATIO I.

DE PRINCIPIIS CONSTITUTIVIS.

CAPUT I.

DE SCRIPTURA SACRA.

Opus amplitudine sua præfixos scriptionis limites longissime excedens suscipiendum foret, et Scriptura Universa polemice explicanda, si quæ de ea controversiæ moveri possunt aut solent, plerasque hic examinare aut ad singularia descendere mens esset. Relictis itaque, quæ officii et curæ alterius sunt, agemus duntaxat de iis, quæ ad cognitionem Scripturæ Sacræ et auctoritatem universim quid faciunt; ideoque de ejus notione et existentia, inspiratione et authentia, intelligentia et lectione, quantum fieri potest, breviter tractabimus.

ARTICULUS I.

QUID EA SINT QUÆ AD SCRIPTURÆ SACRÆ NOTIONEM FACIUNT?

1. *Nota.* Notitia seu notio Sacræ Scripturæ potissimum ex ejusdem descriptione, divisione, canone, lingua, versione ac sensu desumitur. Ea proinde ad solvendam quæstionem hanc prolegomenam opus est exponere.

2. *Dico I.* **Scriptura Sacra in genere est Verbum Dei scriptum, seu litteris exaratum, vel ab ipso Deo, vel a scriba alio, Deo tamen afflante.**

Dicitur 1° *Verbum Dei;* quo convenit Scriptura Sacra cum Traditionibus divinis; de quibus infra : 2° *Scriptum;* quo distinguitur ab illis, voce duntaxat editis : 3° *Vel ab ipso Deo;* quo comprehenditur etiam illa, quam quidam factam statuunt in Decalogi tabulis, ab Angelo Dei personam gerente signatis : 4° *Vel ab alio scriba;* quo communis et certior Verbi divini perscripti modus designatur : 5° *Deo tamen afflante;* quo Scriptura Sacra discernitur a Canonibus et definitionibus Ecclesiæ; cum illa fiat Deo non utcumque, sed ut verbum suum scribendum inspirante.

Scriptura Sacra *in specie* est Verbum Dei ipso afflante scriptum, et in Bibliis, h. e. voluminibus seu libris sacris contentum. Sub hac acceptione præsertim a nobis in præsens Scriptura Sacra consideratur, quæ etiam ab Hebræis *Berith,* a Græcis Διαθήκη, a Latinis *Testamentum* dicitur; eo quod fœdus Deum inter et homines initum complectatur.

3. *Dico II.* **Dividitur Scriptura Sacra tripliciter :**

1° Ratione temporis, in Libros Veteris ac Novi Testamenti, ut insinuat

Lactant., l. 4 Divin. Instit., c. 20, ita scribens : *Scriptura omnis in duo Testamenta divisa est. Illud, quod adventum Domini passionemque antecessit, Vetus dicitur : ea vero, quæ post Resurrectionem scripta sunt, N. Testam. nominantur,* etc.

2° Ratione materiæ, in libros legales, historicos, sapientiales seu morales, et propheticos. *Legales* nominantur, qui vel leges divinas vel doctrinam a Christo promulgatam complectuntur : *Historici*, qui rerum gestarum enarrationem faciunt : *Sapientiales* seu *Morales*, qui veræ sapientiæ ac bene vivendi monita, præcepta vel rationem proponunt : *Prophetici*, qui vaticinia et futurorum præsagia continent.

3° Ratione auctoritatis, in canonicos et apocryphos. *Canonici* dicuntur illi, qui non tantum quoad se sunt, sed etiam quoad nos habentur sacri et Deo afflante scripti, ideoque in Canone Ecclesiæ recensentur : *Apocryphi* hic non intelliguntur illi, qui a Deo minime sunt inspirati ideoque ab Ecclesia positive reprobati et ex sacris Bibliis absunt; sed ii, qui auctoritatis sunt dubiæ vel obscuræ, ab Ecclesia saltem negative reprobati, ideoque, licet in Bibliis sacris nonnunquam permissi, tamen a reliquis libris distincti vel ad calcem voluminis rejecti conspiciuntur. Hujusmodi sunt Oratio Manasse, liber 3 et 4 Esdræ, Appendix continens Genealogiam Jobi, Psalmus 151, Prologus Ecclesiastici, Præfatiuncula Threnorum, liber 3 et 4 Machabæorum, etc. *Canonici* autem numerantur septuaginta duo, 45 nempe ad Vetus, et 27 ad Novum Testamentum spectantes (1).

4. *Dico III.* Ex variis significationibus, quæ voci græcæ **Canon** pro diversitate disciplinarum illam usurpantium tribuuntur, ea potissimum huc pertinet, qua Canon a SS. Patribus et Conciliis pro numero, indice vel catalogo accipitur : atque hinc libros sacros Canoni insertos diximus nuper vocari Canonicos, sicut etiamnum Clerici in cœtum alicui Ecclesiæ ministrantium adoptati appellantur Canonici, et relati in Album Sanctorum dicuntur Canonizati.

(1) Librorum canonicorum nomina, numerum et ordinem versibus memorialibus ita subjicimus.

LIBRI VETERIS TESTAMENTI.

Genesis, Exo., Levit., Numerorum, Deuteronomi,
Josue, Judiciique liber, Ruth, bis duo Regum,
Bis Paralip., Esdræ duo, Tobias, Judith, Esther,
Job, Psalmique David, Proverbia, et Ecclesiastes,
Cantica, tum Sapiens, tum Ecclesiasticus adsit.
Isaias, Jeremi, cum Baruch, Ezechielque,
Daniel, Osee, Joel, Amos, atque Abedias,
Jonas, Michæasque, Nahum, Habacuc, Sophonias,
Aggæus, Zachari., Malachi, bini Machabæi.

LIBRI NOVI TESTAMENTI.

Matthæus, Marcus, Lucas, Sanctusque Joannes.
Actus, Roma, Corinth. duplex, Galatis, Ephesisque,
Nec non Philippis, et Colossensibus una.
Thessalonica duas accepit, Timotheusque.
Tito, Philemoni, Hebræis datur una cuique.
Jacobi una, Petri binæ, ternæque Joannis,
Una Judæ. Finem Canonis facit Apocalypsis.

Præcipua Canonis divisio est in Canonem Hebræorum, et in Canonem Christianorum seu Ecclesiæ Christianæ.

Canon Hebræorum probabilius est unicus, isque ab Esdra, sive simul cum magno Gentis consilio, sive solo tanquam præcipuo illius doctore confectus; certe nec Judæi nec Christiani antiqui ullum præter Esdrinum agnoverunt. Viginti duo volumina VET. TESTAMENTI in eo Flav. Josephus l. I, cont. Appion. cum Judæis hodiernis, Origenes apud Euseb. l. 6 Hist., c. 23; Hilar. Præf. in Psal., et Hier. in Prologo Galeat. enumerant; quorum triplicem ordinem, nomina et partes postremus l. c. exhibet, ut in Editione Vulgata sive in fronte sive ad finem Bibliorum videre licet. Hunc quidem numerum Melito Sardensis apud Euseb. l. 4 Hist., c. 26, cum Rabbinis quibusdam ad 24, Epiphan. l. I, Hæret. 8, cum aliis ad 27, nonnulli ad 28 libros augent; reipsa tamen nihil amplius addunt, sed discernunt duntaxat libros in proprios sibi titulos, quos sub una et communi appellatione Hebræorum Canon concluserat : quemadmodum id Hieronymus proxime laudatus ostendit. Ab eodem autem absunt Baruch, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Machabæorum primus et secundus, Estheris septem capita postrema, et Danielis illa capita, quæ Hymnum trium puerorum, et historiam Suzannæ ac draconis a Daniele interfecti sistunt; vel quia hebræo idiomate non erant scripti, vel quia post Esdræ tempora primum litteris exarati.

Canon Christianorum genuinus ac integer ille est, quem sedes Apostolica testantibus Innocentio I in ep. ad Exuper, c. ult., et Gelasio in Conc. Rom. semper tradidit, Ecclesia Africana, tum definiente Conc. Carthaginensi III et IV, tum prædicante S. Augustino, l. 2 de Doctr. Christ., c. 3, adoptavit, tandem Catholica Ecclesia per Conc. Florent. in Decr. Eugen., ad Armenos et Tridentinum Sess. 4, in Decr. de Canonicis Scripturis confirmavit et declaravit. Continentur eo libri omnes VET. et Nov. TESTAMENTI superius enumerati septuaginta duo : a quo numero non discrepant Gelasius aut Patres Africani illum non nihil imminuentes; cum Baruch a Jeremia non distinxerint tanquam hujus amanuensem, et librum unum duntaxat Esdræ ac Machabæorum recensentes, non pluralitatem horum librorum, sed Apocryphos tantum ejusdem nominis libros excluserint. Quoniam vero non eadem semper et ubique librorum istorum ratio fuit habita, invaluit eorum distinctio in protocanonicos et deuterocanonicos.

Protocanonici, seu primi ordinis aut primi canonici, dicuntur illi, de quorum divinitate nullum unquam inter Catholicos fuit dubium, et hinc statim ab initio nascentis Ecclesiæ communi orthodoxorum Patrum consensu fuerunt recepti; quales in Vet. Testamento sunt quinque libri Mosis, et in Novo quatuor Evangelia, ac alii similes.

Deuterocanonici, seu secundi ordinis, sunt illi, de quorum divinitate aliquando etiam inter orthodoxos dubitabatur, vel negans etiam ferebatur sententia, ut ex Melitone apud Euseb., Hilar. in Præf. ad Psal., Gregor. Naz. Carmine de veris Scriptur., Cyril. Hier. Catech. 3, Synops. Athan., Hier. in Prol. Gal., Damasc. l. 4 de fid., c. 18, Canon. Apost. 85, Conc. Laodicen. Can. 59, etc., constat. Hujusmodi ex Vet. Test. sunt ii, quos supra abesse diximus a Canone Hebræorum, quem plures Patrum sequebantur; cum tamen juxta celebre Card. Hosii, desumptum ex Aug., l. 18 de Civ., c. 36, effatum, non Canon Hebræorum, sed Ecclesiæ, canonicas faciat scripturas. Ex Novo Testamento sunt Marci, cap. ultimum, Lucæ, c. 18, historia de

agone Christi, Joannis, c. 8, historia adulteræ, ep. ad Hebræos, ep. Jacobi, 2 ep. Petri, 2 et 3 ep. Joannis, ep. Judæ, Apocalypsis.

5. *Dico IV.* **Lingua** seu **idioma** primigenium, quo codices Scripturæ Sacræ autographi et originales conscripti fuerunt, universim fere solum est Hebraica et Græca; tum quia, licet lingua Chaldaica et Syriaca a pure Hebraica differant, tamen illæ ab hac originem trahunt, et post captivitatem Babylonicam ac prope finem Synagogæ fuerunt Hebræis vulgares ac velut maternæ; tum quia unum duntaxat Marci Evangelium juxta aliquos primo fuit latine exaratum, quod tamen communius ab aliis tam ex conjecturis quam ex auctoritate negatur. Hebraica lingua propria fuit Testamento veteri, exceptis libris Tobiæ, Judith, Esdræ et Danielis, qui Chaldaice, et libro Sapientiæ ac secundo Machabæorum qui græce primitus dati censentur : Græca lingua nativa erat Testamento novo, si Evangelium Matthæi et epistolam ad Hebræos excipias, quorum illud communis sensus, hanc Hieronymus et Theodoretus contra Origenem et Clem. Alexandrinum Hebraica, id est, Syriaca lingua primum prodiisse docent. Cæterum Scripturæ Sacræ autographa sive originalia hodie habemus nulla, sed solum apographa sive exemplaria, quorum editiones variæ prostant. In his vero maxime notanda est diversitas editionis Hebraicæ, utpote quæ vel punctis vocalibus et accentibus caret, vel illis consignata est; cum hujusmodi notæ nec ab Auctoribus ipsis Sacrarum Scripturarum nec ab earumdem editoribus antiquis fuerint usurpatæ, sed primum post Hieronymi tempora circa an. Christi 600, aut etiam serius inventæ et additæ a Judæis Masoretis, sic dictis a masora, quæ Critica quædam sacra est, qua variæ in tota Scriptura notantur lectiones simulque determinatur, quoties, quo loco, et qua forma quælibet dictio in textu hebraico occurrat.

6. *Dico V.* **Versio** seu **translatio** Scripturæ Sacræ ex lingua primigenia in alienam a nonnullis dividitur universum in Hebraicam, Græcam, Latinam et Vernaculam : divisio tamen ista minime vera est et propria, nisi sub Hebraica intelligantur illæ versiones, quæ ad illam linguam aliquomodo reducuntur, aut Græca versio respiciat Vetus Testamentum; cum utraque lingua ex dictis sit Scripturæ originaria.

Ad editionem **Hebraicam** reducuntur versio Samaritana, Chaldaica, Syriaca.

Samaritana sermone Syro-Chaldaico et characteribus antiquis Hebraicis scripta est ante Christum ab Auctore incerto, et maxime libros Mosis complectitur; unde et Pentateuchus Samaritanus appellatur.

Chaldaica, non tam verbum verbo quam sensum sensu paraphrastice reddens, unde et Judæis *Targum* seu interpretatio dicitur, non ante seculum a Christo quintum concinnata est secundum diversas Vet. Testamenti partes ab Onkeloso, Jonatham et Josepho cæco; scatet nugis Judaicis et fabulis Thalmudistarum.

Syriaca versio Vet. Testamenti post Christi ortum elaborata est ab Auctore incerto, quod idem dicendum videtur de Nov. Test. versione, quam Syri a S. Marco Evangelista confectam putant.

Græca Vet. Test. versio est multiplex. Novem præcipuas aut saltem certas secundum chronologiæ seriem hic subjicimus.

1ª est, quæ dicitur 70 *Interpretum*, reipsa autem a septuaginta duobus

viris ante Christum natum seculo 3 ut Eusebius in Chronico, vel ut Epiph. l. de Ponder, et mensur, scribit, confecta narratur.

2ª *Aquilæ*, qui natione Ponticus, religione primum gentilis, deinde Christianus, postea, dum ob Astrologiæ judiciariæ studium ab Ecclesia pulsus, Judæus factus versionem an. æræ Christianæ 128 condidit.

3ª *Theodotionis*, qui ex hæretico Marcionita mutatus in Judæorum proselytum sacros libros an. 186 transtulit.

4ª *Symmachi*, natione Samaritani primum Judæi, tum Christiani, demum Ebionitæ hæretici, an. 203 perfecta.

5ª *Hierichuntina*, sic dicta non ab Auctore, qui ignoratur, sed ab urbe Hiericho, apud quam an. 217 fuit inventa.

6ª *Nicopolitana*, similiter a loco inventionis sic appellata, quæ in an. 228 incidit.

7ª *Origenis*, seu potius 70 Interpretum versio correcta; quam correctionem circa medium sec. 3 Origenes ista instituit, ut quæ in illa versione non legebantur in textu Hebræo et aliis versionibus, vel expungeret textu ex his substituto, vel quidem relinqueret, sed tamen notaret; pro signo substitutionis asteriscum, qui formam stellæ radiantis vel hanc (X) referebat, pro signo relictionis obelum hujus (: —) formæ usurpans et addens.

8ª *Luciani* Martyris in persecutione Diocletiana passi, circa finem sec. 3 adornata.

9ª *Hesychii*, Episcopi in Ægypto et Martyris, qui sec. 4 non tam versionem novam, quam 70 seniorum versionis emendationem accuratiorem edidit.

Priores 4 versiones collegit Origenes in unum volumen, qualibet pagina in quatuor columnas distincta, quarum 1ª versionem Aquilæ, 2ª Symmachi, 3ª Septuaginta interpretum, 4ª Theodotionis, ordine hoc a majore cum textu hebraico conformitate desumpto, contineret, et *Tetrapla* nuncupavit: his columnis dum postea præfigeret in singulis paginis duas alias, quarum prior exhiberet textum Hebraicum litteris hebraicis, altera eumdem litteris græcis exaratum, hanc editionem *Hexapla* inscripsit: demum ubi sex illis columnis subjungeret duas alias columnas Hierichuntinam et Nicopolitanam continentes, hoc opus *Octapla* vocavit. De versionibus reliquis tribus S. Hier. præf. in libr. Paralip. adnotavit, Hesychianam Alexandriæ et in Ægypto, Lucianam Constantinopoli usque ad Antiochiam, Origenianam autem mediis inter illas provinciis vulgatam maxime fuisse, et posteriorem audiisse κοινὴν seu communem.

Latina utriusque testamenti versio sub finem seculi 4 multiplex adeo erat et variabat, ut S. Hier. præf. in Josue diceret ejus tot esse exemplaria, quot codices, eaque S. Aug., l. 2 de doctr. Christ., c. 11, numerari posse negaret.

Inter has præ reliquis celebrabatur una incerti auctoris ad ductum 70 Interpretum Vet. Testamentum latine exhibens, quæ a S. Augustino l. c. *Itala*, a S. Hier. in c. Isa. 14: *Communis et vulgata*, a S. Greg. in præf. ad lib. Mor., c. 5, *Vetus* seu antiqua appellatur. Altera post hanc memoranda venit, quæ a S. Hieronymo adornata, relate ad priorem *Nova* vocatur. Ea in V. T. est duplex: prior, qua secundum versionem 70 Interpretum Jobum Psalterium, Proverbia et Ecclesiasten e græco transtulit in latinum, alios autem antiquæ versionis latinæ libros duntaxat emendavit: posterior, qua tam libros Canone Hebræorum contentos, exceptis tamen Ecclesiastico, Sa-

pientia et Baruch, quam absentes ab eo Canone Tobiam et Judith ex hebraico textu latine convertit. In N. T. non tam versionem novam, quam emendationem tantum versionis antiquæ ad textum græcum S. Doctor confecit. Atque hæc N. T. emendatio summo statim plausu suscepta fuit a plerisque, cum e contra Vet. Testamenti ex hebraico in latinum translatio adversarios ab initio haberet plurimos; licet postmodum, ut de suo ævo Greg. l. c. testatur, non minus ac antiqua usurpari cœperit. Ex versionibus his duabus coaluit tertia, quæ hodiedum *Vulgata* dicitur. Sectatur enim ea quoad V. T. antiquam versionem in libris Psalmorum, Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch et Machabæorum; novam vero ex hebraico translationem in libris reliquis: quoad N. T. demum habetur pro emendatiore Hieronymiana. Recentiores versiones latinas, posterioribus seculis sive a Catholicis sive ab Hæreticis factas, recensendo prosequi, nostri non videtur instituti.

Vernacula seu vulgaris versio dicitur, quæ lingua cuilibet regioni propria et patria concinnata habetur: adeoque pro tanta idiomatum varietate oppido varia et multiplex facile intelligitur. Inter has ab antiquitate celebrantur, *Gothica*, quæ circa Conc. Nicæni tempora perhibetur facta ab Ulphila Gothorum Episcopo, ut Socrates et Sozomenus innuunt: *Coptica* sive *Ægyptiaca*, quam circa idem tempus elaboratam Kircherus conjicit: *Æthiopica*, cujus jam S. Chrysostomus hom. 1 in Joan. meminit: *Armena et Persica*, quarum mentionem facit Theodoretus; licet posterior, ut nunc extat, videatur esse recentior.

7. *Dico VI.* **Sensus** Sacræ Scripturæ est veritas verbis sacris scripto exaratis a Deo significata; sumendo scilicet sensum passive, et Scripturam ut est verbum Dei. Dividitur in litteralem seu historicum, et spiritualem seu mysticum. *Litteralis* est, qui immediate significatur per verba sive proprie sive metaphorice accepta; quo etiam reducitur sensus propheticus, in quo visiones saltem divisim non significant ut quod (1). *Spiritualis* est, qui immediate significatur per res verbis indicatas, mediate autem per verba. Hic postremus subdividitur in allegoricum, anagogicum et tropologicum seu moralem. *Allegoricus*, qui est de re pertinente ad fidem aut Ecclesiam militantem: *Anagogicus*, qui est de re pertinente ad vitam æternam aut Ecclesiam triumphantem: *Tropologicus*, qui est de re ad mores pertinente. Exemplum quadruplicis sensus occurrit in hac voce *Hierusalem*, quæ litteraliter urbem Palestinæ, allegorice Ecclesiam Christi in terris, anagogice patriam cœlestem, tropologice animam hominis in sacra Scriptura significat.

Præter hos sensus a Deo intentos superest alius, *accommodatitius* appellatus, estque is, qui nec mediate nec immediate significatur a Deo, sed ab alio quocumque propter analogiam quamdam et similitudinem tribuitur et verbis applicatur. Ut is licite usurpetur, requiritur 1° Ut verba Scripturæ ad res pias et religiosas accommodentur; unde Conc. Trid., Sess. 4, in decr. de Can. Scripturis translationem ad vitia, spurcitias, facetias, profana et alia hujusmodi damnat: 2° Ut sensus accommodatitius sit verus; cum nefas sit,

(1) In hujusmodi visionibus, non significatur *immediate* et *ut quod* imago objectiva v. g. *hircus* (Dan. c. 8) aut *flos* (Isa. c. 11), sed res per ipsam objectivam imaginem significata, nempe *Christus* vel *Rex Græcorum*, quatenus imago objectiva cum cognitione constituit unum signum *Christi* vel *Regis Græci*, ut fit in locutionibus metaphoricis. (P. Franc. Xav. Widenhoffer S. J. Sacra Scriptura dogmatice ac polemice explicata... Wirceburgi, 1755.)

sacris verbis etiam tantum per accommodationem falsum attribuere : 3° Ut sensus accommodatitius non proferatur tanquam litteralis aut mysticus, nec vicissim litteralis aut mysticus traducatur ut accommodatitius; cum ex S. Hier. in ep. ad Paulin. hoc sit depravare sententias, et vitiosissimum dicendi genus.

Quæres : **Quid de historia Versionis LXX Interpretum sit censendum?**

8. *Nota.* Synopsis hujus historiæ, prout ab Aristæa in epistola ad Philocraten fratrem suum data in Bibliotheca Patrum relata narratur, sequentibus absolvitur. Ptolomæus Ægypti Rex, cum libris undequaque corrasis bibliothecam construeret amplissimam, suggerente Demetrio Phaleræo intellexit, apud Judæos inveniri libros, qui huic collectioni esse possent præcipuo ornamento, dummodo in linguam græcam converterentur. Hunc in finem Rex datis litteris, et legatis Aristæa cujus epistolarem epitomen damus et Andrea in Judæam missis, petiit ad se mitti e tribubus Judæorum viros seniores, græce et hebraice doctos, qui libros Judæis sacros secum allatos in græcum verterent. Delatum est votis regiis, veneruntque delecti ex qualibet tribu viri sex requisitis donis conspicui, universim quidem septuaginta duo, brevitatis tamen et in numerando facilitatis causa septuaginta dicti, una cum voluminibus sacris et litteris commendatitiis. Alexandriam, quæ Ægypti metropolis est, appulsos Rex honorificentissime excepit, et post tertium ab Adventu diem in Insula Pharo, hoc est, in arce ab Alexandria septem stadiis distante collocavit; ubi septuaginta duorum dierum spatio iidem translationem græco sermone absolverunt. Interpretationem hanc Demetrius coram Judæis in Ægypto commorantibus legit, qui summis eam celebrarunt laudibus, diras imprecati his, qui versioni huic addere quidpiam vel demere, aut in ea immutare præsumerent.

9. *Respondeo I.* Historia hæc quoad substantiam non videtur esse commendatitia et rejicienda ad fabulas. *Ratio* est, quia quoad puncta principalia synoptice proposita conveniunt Scriptores coævi, ætate propinqui, et posteriores pietate et doctrina conspicui : cujusmodi sunt Aristæas ipse, legati munere functus; Aristobulus Judæus Philosophia Aristotelica clarus, 2 Machab. 1 laudatus; Hecatæus et Clearcus, Scriptores Ethnici : Philo l. 2 de vita Mosis, et Flav. Josephus, l. 12 Antiq., c. 2 et L. 2 contra Appionem, Scriptores Judæi : Justinus M. in Admonit. ad gentes et Apolog. 2; Irenæus l. 3, c. 25, contra hæreses; Tertullianus in Apologetico, c. 18; Clem. Alexandrinus, l. 1 Stromatum; Eusebius, l. 8, c. 1 Præpar. Evangelicæ; Cyrill. Hierosolymitanus, Catech. 4; Epiphanius, l. de Mens. et Ponderibus; Hieronymus, in Præf. ad Pentateuch. et alibi; Augustinus, l. 8 de Civ., c 11 et l. 2, c. 15 de doctrina Christiana et alii Scriptores Christiani; quorum plures cum illa historia usi fuerint contra Gentiles et Judæos, nec tamen commenti ab his sint accusati, omnino vera narrasse censendi sunt.

10. *Respondeo II.* Quoad circumstantias ipsam versionem contingentes, ob conspirantia Auctorum nominatorum testimonia, probabilius videtur. 1° Regem Ægypti fuisse Ptolomæum Philadelphum; cum illius patrem Ptolomæum Lagi nominent soli Iræneus et Clem. Alexandrinus : alii vero recentiores, qui Bibliothecæ erectionem ad tempora Ptolomæi Evergetis aut

Epiphanis vel etiam posteriora removent, suam chronotaxin non admodum probent. 2° Eleazarum Pontificem fuisse eum, qui ad preces Ptolomæi misit Interpretes; adeoque vel manifesto anachronismo errasse vel memoria lapsum Justinum, qui Herodis auctoritate missos Interpretes in Apolog. scripsit : Epiphanius autem Synedrion missionis auctorem faciens facile conciliari potest. 3° Non solum Pentateuchum, sed omnes Hebræi canonis libros ab Interpretibus fuisse translatos; quamvis enim Aristæas, Philo et Josephus Scripturarum Legis solum mentionem faciant; Legis tamen nomine acceptam a Judæis fuisse omnem Vet. Testamenti Scripturam Sacram ex Joan. 10, ac 15 et 1 ad Cor. 14 constat. Nec adversatur reipsa Hieronymus, utpote qui in commentariis Prophetarum passim versionis hujus mentionem facit : unde dum nonnunquam contrarium dicere videtur, id non asserendo, sed subdubitando, aut ex aliorum sensu fecisse dicendus est. 4° Translationem ab Interpretibus esse ex puris fontibus et rite factam; quia rursus præter majorem circa hoc Auctorum consensum, id probat hujus versionis usus inter Apostolos, sanctos Patres et priorum seculorum Christianos vulgaris : unde discrepantia ejus a textu hebraico ad exemplaria corrupta, non vero ad autographum referenda est, ut ipse Hieronymus in Præf. 1 et 2 ad lib. Paralip. facit; qua ratione idem alibi aliud dicens est explicandus.

11. *Respondeo III.* Quoad modum versionis factæ (an singuli Interpretes scilicet in singulis cellulis inclusi fuerint, sicque seorsim totam Scripturam iisdem plane verbis converterint, an collatis invicem studiis interpretationem fecerint) non satis exploratum, sed adhuc sub judice lis est. Cellurarum mentionem primus fecit Justinus in admonit. ad gent., quem Irenæus, Clemens Alex., Cyrillus Hieros. sunt secuti; nec dissensit Epiphanius, nisi quod voluerit binos singulis cellulis fuisse inclusos. Eidem sententiæ adhæret Augustinus l. 8 de Civ., et favet Philo, dum ita scribit : *In eo secessu cum consedissent solitarii, nemine interveniente arbitro, tanquam numine correpti prophetabant, non alia alii, sed omnes ad verbum eadem, quasi quopiam dictante singulis invisibiliter.* Contrarium tuetur Hieronymus in Præf. ad Pentateuch., ubi sic loquitur : *Nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, quibus divisi eadem scriptitarint; cum Aristæas et multo post tempore Josephus nihil tale retulerint, sed in una basilica congregatos contulisse scribant.* Et Aristæas quidem ita rem narrat : *Viri singula inter se disserendo consonum quod edebant : rursusque ex iis, in quibus omnium consensus accesserat, illa Demetrio habenda servabant, quæ digniora et elegantiora videbantur. Extendebatur vero consensus hujusmodi et disceptatio ad nonam usque diei horam; soluto vero hujusmodi consilio ad curanda corpora disceditur.* Josephus autem sic refert : *Illi vero non parcentes labori, quam poterant accuratissimè interpretabantur usque horam nonam assidentes operi... Mane autem regiam ingressi, salutato Rege, in eumdem locum ad institutum negotium se referebant.* Accedit, quod juxta eosdem fuerit unicus codex Hebraicus, ex quo versio erat facienda; et quod ea absoluta Judæi Alexandrini fuerint convocati, ad audiendam examinandamque interpretationem : id quod de communiter facta rectius intelligitur; cum, si a singulis facta fuisset, plures inter se traductiones fuissent conferendæ, et unica coram Judæis prælegi non potuisset. Eadem dissensio regnat inter Recentiores eruditos.

Cum posteriore hac opinione conciliari nihilominus potest sententia statuens Interpretes hos fuisse divinitus inspiratos, ut non solum Patres pro priore opinione laudati, sed et ipse Hieronymus in præf. ad Paralip. senserunt; cum etiam ex mente Bellarmini revera miraculum sit, tot homines simul conferendo tam brevi tempore in singulis sententiis transferendis convenisse; ac singularis Spiritus Sancti assistentia proinde necessaria fuerit.

ARTICULUS II.

AN EXISTAT SCRIPTURA SACRA.

12. *Nota I.* Existere reipsa aliquam Scripturam Sacram facile deducitur ex sequentibus propositionibus, quarum veritatem vel per se certam vel alibi jam probatam hic supponere licet. 1° Existit Deus, seu ens, quo nullum majus aut melius excogitari potest. 2° Deo ab hominibus debetur cultus, seu officia honoris. 3° Norma hujus cultus est Dignitas Dei et ejus beneplacitum. 4° Modus colendi, qui Deo placeat, ex ejus revelatione est addiscendus. 5° Revelatio hæc per rationis lumen communicari potest, et sic est naturalis; vel illud superare potest, et hinc est supernaturalis. 6° Cum experientia constet, rationis lumen in multis circa Deum deficere; consequens est revelationem supernaturalem fuisse necessariam, et Religionem supernaturalem existere. 7° Inter modos revelationem custodiendi convenientior est Scriptura : inter religiones autem sola Christiana est vera et saltem evidenter credibilis. 8° Religio Christiana dirigitur et utitur revelatione scripta, ergo cum hæc religio sit vera, debet existere et dari revelatio scripta seu aliqua Scriptura Sacra.

Quamvis vero ex iisdem principiis colligi queat, Scripturam Sacram in specie et sensu vulgari acceptam existere; nihilominus de ejus existentia aliunde etiam probanda in præsens agetur. Ad quod præstabit inquirere.

1° An libri, qui dicuntur sacri sint veri ac genuini, et non supposititii seu Auctoribus falso attributi.

2° An sint integri, seu non depravati.

3° An sint divini, seu Deum pro auctore principali habeant?

13. *Nota II.* Circa 1um conveniunt plerique, auctorem Pentateuchi fuisse Mosen, exceptis paucis de morte Mosis aliisque post illam eventis, quæ vel Josue vel Esdras addidisse creduntur : libri Josue eumdem Ducem cognominem, rursus exceptis paucis similibus ab Esdra aut alio Propheta additis : Libri Judicum et Ruth vel Samuelem vel scriptorem incertum, Davide tamen antiquiorem : Librorum Regum quoad initium Samuelem, quoad sequentia Prophetas alios narratis coævos : Paralipomenon Esdram et quoad aliqua Prophetas posteriores : Librorum Esdræ primi Esdram ipsum, secundi Nehemiam : Libri Tobiæ utrumque Tobiam, exceptis duobus ultimis versibus, quos Auctor incertus de morte junioris adjecit : Libri Judith Eliachim Pontificem aut ipsam Judith : Libri Esther Mardochæum et ipsam Estherem : Libri Job Mosen, juxta alios ipsum Jobum : Psalterii totius Davidem : Proverbiorum, Ecclesiastæ, Canticorum et Sapientiæ Salomonem : Ecclesiastici Jesum filium Sirach : Prophetiarum tam majorum quam minorum Prophetas, quorum nomina libris sunt præfixa : Machabæorum scriptorem ignotum; quamvis primi Joannem Hircanum, secundi Judam Essæum auctorem quidam

faciant. Novi Testamenti auctores vel ex ipsis inscriptionibus vel ex initio scriptionis cognoscuntur et sunt pervulgati. Præterea vero, licet veritati libri non obsit, eum aliquando periisse, postea tamen integre esse restitutum; tamen si quis vel e memoria vel ex inspiratione hanc restitutionem faciat, vel libri ita restituti auctoritas vacillat, vel novum quasi auctorem nanciscitur : hinc pertinet huc illa quæstio ab aliquibus asserta : An Vet. Test. libri aliquando perierint?

Circa 2um observa quæstionem hic non esse : an libri Scripturæ Sacræ sint liberi a mendis vel incuria exscribentium vel oscitantia librariorum inspersis? sed ista : an malitia hominum non fuerint quoad partes substantiales depravati et corrupti, quod nonnulli tribuunt Judæis quantum ad Vetus, et Hæreticis quantum ad Novum Testamentum.

Circa 3um adverte, quæstionem hic generalem duntaxat proponi, necdum descendendo ad singularem divini afflatus modum, de quo in seq. art. agetur.

14. *Dico I.* **Libri Scripturæ Sacræ non sunt suppositi, sed omnino veri.**

Prob. Libri illi non sunt suppositi, sed omnino veri, qui scripti sunt ab iis auctoribus, quibus tribuuntur, et iis temporibus, quibus exarati feruntur; quia ex his notis alia scripta v. g. Commentarii Cæsaris, opera Ciceronis aut Augustini ab omnibus Criticis nominantur vera et non supposita : sed libri Sacræ Scripturæ omnino scripti fuerunt tum ab iis Auctoribus, quibus tribuuntur; tum iis temporibus, quibus exarati perhibentur; ut constat ex perpetua Judæorum et Christianorum traditione, quam et ipsi Ethnici Scriptores circa non paucos libros confirmant, nec ulla solida ratio destruit : ergo.

15. *Dico II.* **Nunquam perierunt exemplaria omnia librorum Sacræ Scripturæ.**

Prob. Tempora, circa quæ cum aliquo fundamento asseri posset, exemplaria omnia librorum sacrorum veteris duntaxat Testamenti periisse, sunt tantum duo, nempe captivitatis Babylonicæ et persecutionis Antiochi Regis; quia priori tempore excisa sunt urbs et templum Hierosolymæ, posteriori autem Rex Legis libros scindi et comburi jussit; sed neutro tempore exemplaria omnia perierunt.

Quod enim *primum* attinet, 1° nec Scriptura, nec Jeremias in Threnis, quantumvis alia damna minutatim recensens, jacturæ hujus mentionem facit : 2° Certum est non in sola urbe aut templo Hierosolymitano fuisse exemplaria librorum sacrorum : incredibile autem videtur a nullo Judæorum etiam pientissimorum, in triplici translatione abductorum, transportatum fuisse exemplar sacrorum voluminum : quin nec a Jeremia, qui arcam et tabernaculum incendio subduxit, ereptos fuisse libros, qui tamen Deut. 31, v. 25, jubebantur reponi in latere arcæ fœderis : 3° Populus e captivitate redux l. 2 Esd., c. 8, petiit afferri librum legis Mosi, quem et Esdras scriba ibidem attulisse et prælegisse scribitur. Unde consequitur, nec ex sola memoria humana, nec ex revelatione divina Esdram libros sacros penitus deperditos restituisse, sed eorum exemplaria extitisse etiam infra et post captivitatem Babylonicam, quorum postremum lib. 4 Esd., c. 14, sed apocryphus insinuat : quamvis illius et Nehemiæ opera et speciali Spiritus Sancti assis-

tentia purgatum a mendis Scripturam concedamus, quod l. 2 Mach., c. 2 videtur.

Quoad *secundum* patet 1° quia persecutio Antiochi Regis Syriæ pertinebat solum ad duas tribus Israel et terras dominatui suo subjectas, non autem ad reliquas Orientis partes, in quas et plures alias Judæi dispersi erant : 2° quia teste S. Jacobo Act. 15, v. 21, ab antiquis temporibus libri Mosis singulis Sabattis in qualibet Synagoga civitatum legebantur et explicabantur; unde constat nec in ipsa Palæstina funditus deletam esse omnem Scripturam Sacram, præsertim cum nulla ullibi habeatur mentio de restauratione sacrorum librorum post Antiochi tempora : 3° quia l. 1 Mach. c. 3, ubi mentio fit impii illius mandati, legitur post excidium Hierosolymæ convenisse Judæos, jejunasse, et expandisse libros legis : quin et Jonathas ad Spartiatas, ibid., c. 12. scribens dicit, Judæis solatio fuisse sanctos libros, qui sunt in manibus eorum.

16. *Dico III.* **Libri Scripturæ Sacræ nunquam fuerunt ex malitia seu de industria universim depravati aut corrupti.**

Prob. de Vet. Testamento. *Imprimis* non fuerunt depravati ante conditam Religionem Christianam. 1° Quia hujus depravationis nullus finis assignari potest; neque erat opportunitas, Prophetis plurimis et viris sanctis se alias huic consilio opposituris, aut Samaritanis saltem oblocuturis, qui suum Pentateuchum custodiebant : 2° quia mirabilis erat Judæorum zelus ac veneratio erga sacros libros, quorum testimonia extant tum in ipsis Scripturis Sacris, tum apud Josephum, Euseb., l. 1 cont. Appion. et Philonem apud, l. 8; Præp. Evang., c. 2. loquentem : 3° quia nec Christus aut Apostoli hoc Judæorum crimen non reprehensum reliquissent, nec Judæos ad legendos sacros Codices et scribas audiendos fuissent hortati : 4° quia depravatio hujusmodi videtur contraria divinæ providentiæ, quæ, teste S. Augustino et aliis Patribus, Judæos constituit Librarios, Capsarios et Scriniarios Christianorum, qui illos ex vaticiniis servatis convincerent de Christo.

Deinde nec fuerunt depravati post Religionem Christianam. 1° quia ob religionem Judæorum erga sacros libros, subinde quoque superstitiosam, videbitur incredibile ausos fuisse eos temerare, et sibi ipsis eripere veritatem : 2° quia odium in Christianos, quod tanquam motivum depravationis Judaicæ assignari potest, impulisset eos ad rem moraliter impossibilem; cum nec Judæi per totum orbem dispersi conspirare uno tempore potuerint, nec si ipsi conspirassent, depravare potuerint libros sacros a Christianis custoditos : 3° quia depravatio, si quæ in odium Christianorum facta foret, maxime concernere debebat vaticinia de Christo et ejus Ecclesia; circa quæ tamen tum satis fortia testimonia supersunt, tum exigua est dissonantia inter textum hebraicum et græcum aut latinum : quin textus hebræus non raro Judæos magis urget, quam versio græca aut latina : 4° quia Patrum nemo de ejusmodi corruptione unquam fuit conquestus; cum querelæ Justini et Origenis ad versionem 70 Interpretum, Chrysostomi et Hieronymi ad versiones Aquilæ, Symmachi ac Theodotionis pertineant.

Prob. de Nov. Test. similibus fere argumentis. Nam 1° universalem textus græci depravationem impossibilem fuisse, constat tum ex dispersis per omnem terram exemplaribus, tum ex perpetua contentione Catholicos inter et hæreticos; quorum illi si corrupissent, id hi mox exprobassent; aut illi vicissim, si res ab his foret tentata : 2° nec tempus, nec modus, nec auctores

depravationis hujusmodi proferri possunt : 3° neque ante Photii schisma Græci originarium textum corruperant; cum probabile hujus criminis motivum fingi queat nullum : neque post illud exortum; cum in Conciliis Lateranensi 4°, Lugdunensi et Florentino, ubi tamen plura dissensionum capita proferebantur, Latini nunquam hanc Græcis depravationem objecerint : Scriptores, Episcopi, imo et Sacerdotes aliique an Scripturam Sacram in horis canonicis legendam adstricti, nihil unquam de hoc crimine sunt suspicati; quod tamen vix videtur credibile, si quæ corruptio foret invecta.

17. *Dico IV.* **Libri Scripturæ Sacræ Deum habent principalem auctorem, et sunt auctoritatis divinæ.**

Prob. Libri Sacræ Scripturæ legales conditi sunt ab hominibus sanctissimis, auctoritate patrandorum miraculorum munitis, ac divinitus missis ad promulgandam legem Dei ac Evangelium Christi : prophetici continent prædictiones ignotissimarum rerum eventu ipso accurate comprobatas : sapientales sanctitatem, puritatem et sublimitatem doctrinæ proponunt humanæ sapientiæ passim inimicam et sæpe superiorem : historici easdem prærogativas vel omnes vel aliquas participant : ergo Deum habere auctorem debent. *Conf.* ex summa auctorum diversissimis temporibus, locis ac conditionibus scribentium consensione et concordia; ex mirabili sacrorum librorum a tanto tempore ac inter tot vicissitudines conservatione; ex religiosissima veneratione, qua tot ac tanti homines libros hos omni tempore sunt prosecuti, adeo ut pro veritate in iis contenta fortunas ac sanguinem profundere non dubitaverint : ex miraculorum multitudine et insolentia, quibus eadem veritas fuit confirmata, etc.

18. *Observa.* Cum Scripturæ Sacræ existentia fundamentale ac pragmaticum Religionis Catholicæ dogma sit, quod proinde et a Deo revelatum et infallibili auctoritate nobis applicatum esse oportet; allata hactenus pro veritate, integritate ac divinitate existentis Scripturæ Sacræ argumenta rem omnem conficere minime possunt, utpote quæ forsan moralem certitudinem non superant, nec revelationem divinam produnt. Quare præcipuum pro stabilitis assertionibus argumentum ex Traditionibus atque Ecclesiæ definitione necessum est desumi; ut satis declaravit Augustinus, dum l. 15 de Civ., c. 23, scripsit : *Libri apocryphi vocantur, eoquod eorum occulta origo non claruit Patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium scripturarum certissima et notissima successione pervenit;* et ubi l. cont. epist. fundam. C. 4, ait : *Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ Catholicæ me moveret auctoritas.* Hæc tamen hic indicasse duntaxat sufficiet; cum de isto argumentorum genere infra sit uberius tractandum. Quæ contra ipsam thesium positarum veritatem obmoveri possunt, quoniam per universam Scripturam diffunduntur, methodo compendiaria pastringere non licet; adeoque repetenda sunt ex Scriptura Sacra dogmatice et polemice explicata, quam hic loci impressam consulere datur.

ARTICULUS III.

SUB QUA RATIONE ET EXTENSIONE SCRIPTURA SACRA DEUM HABEAT AUCTOREM?

19. *Nota.* Triplex concipi potest modus, quo Deus mentem scriptoris alicujus afficiat.

1us. Est *specialis assistentia,* stans in peculiari auxilio, quo Deus ita adest scriptori, ut ne inter scribendum erret aut mentiendo, aut falsum proferendo, aut defectum quemcumque committendo, qui impediat, ne scriptio ad Dei directionem referri queat.

2us. Est *inspiratio,* quæ præter specialem assistentiam dicit incitationem quamdam interiorem motumque insolitum, quo quis ad scribendum impellitur, sine rationis tamen et libertatis periculo :

3us. Est *revelatio,* quæ memoratæ inspirationi superaddit veritatis antea ignotæ factam divinitus manifestationem. Potest autem trifarius hic modus spectari et pertinere vel ad libri sacri generale tantum argumentum et scriptionem universim, vel ad singulas etiam ejus sententias et veritates earumque ordinem, vel ad singula quoque verba eorumque compositionem seu phrasin et stilum.

Porro ex superiori articulo non tantum contra Atheos et infideles constat, aliquo ex recensitis modo Deum affecisse Scriptores sacros; sed et specialem illis Dei assistentiam esse asserendam, contra ac senserunt olim Anomæi aliique Hæretici a S. Hieronymo refutati, et proximis seculis Erasmus, Grotius, Episcopius, Spinosa, nonnullique Batavi, qui Scriptores canonicos in rebus levioribus, fidem ac mores non spectantibus, sibi fuisse relictos errorique obnoxios docuerunt : quandoquidem hoc casu libri sacri nomen ac essentiam Scripturæ divinæ minime retinerent, neque ex illis argumentum ullum firmum depromi posset; cum instrumentum ex parte falsum reputetur falsum simpliciter, ut Legistæ, l. si ex falsis C. de Transact., docent. Accedunt præter communem Theologorum Orthodoxorum consensum testimonia Patrum, qui Sacram Scripturam non tantum a mendacio et falso, sed etiam ab otioso et superfluo liberam declararunt; qualia sunt S. Clementis in ep. ad Cor. S. Justin., in 2 Apolog. S. Iren., l. 1 adv. hær., c. 46 et 47. Clem. Alex. in exhort. ad Gent. Ambros. in ep. ad Justum, Hieron. in comment. ep. ad Philem. Chrys., hom. 1 ad pop. Antioch. Augustin., l. 2 de cons. Evang., c. 12, et ep. 8 et 29. Epiphan., hær. 76, et aliorum.

Præterea etiam facile ab omnibus tribuendum videtur, non omnia in Scripturis Sacris contenta a Deo esse revelata, siquidem revelatio in sensu proprio nuper exposito accipiatur. Quæ enim Scriptores sacri vel oculis viderant, vel ex alienis scriptis didicerant, nequeunt sub manifestatione divina veritatis antea ignotæ comprehendi : Atqui tamen Moses Ægyptiorum plagas, Josue Israelitarum prælia, Joannes Christum in cruce morientem et alii alia propriis oculis usurparant; Lucas vero c. 1, v. 2, sui Evangelii testatur historiam ex traditione et sermone aliorum ab se haustam; Scriptor tandem Machabæorum, l. 2, c. 2, v. 24, profitetur a se breviari uno volumine, quæ a Jasone Cirenæo quinque libris sunt comprehensa. Vi-

cissim vero negari non posse videtur, plura ex revelatione divina, qualia maxime sunt Prophetiæ et mandata divina, esse conscripta. Atque huc potissimum pertinet illud Psal. 44, v. 2 : *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis,* et illud Jerem. 36, v. 18 : *Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones istos, et ego scribebam in volumine atramento* : Item Luc. 1, v. 70. Act. 1, v. 16 et 3, v. 18 ad Hebr. 1, v. 1, etc.

Tandem inter Catholicos quoque convenit, non solum specialem assistentiam, sed et quamdam Spiritus Sancti inspirationem Canonicis Scriptoribus esse vindicandam; tum quia 2 ad Tim. 3, v. 16, dicitur *omnis Scriptura esse divinitus inspirata et utilis,* ut ex textu græco et præcedentibus verbis manifestum est : tum quia alias Scriptura Canonica non magis divina foret præ canonibus Ecclesiæ, in quibus condendis specialem Dei assistentiam locum habere, infra ostendetur. Unum itaque, quod hic examinandum assumimus, est inspiratio magis particularis et revelatio minus propria, quæ stat in expressa et immediata propositione vel designatione divina rerum, sententiarum et verborum singulorum; et versatur etiam circa ea, quæ scriptor sacer sive naturaliter sive supernaturaliter jam comperta habet. Hujusmodi inspirationem Scripturæ Sacræ necessariam et Scriptoribus sacris omnibus concessam negarunt Lessius, Hamelius, Bonfrerius aliique nonnulli : affirmarunt vero præter plures alios Facultates Theologicæ Lovaniensis et Duacena, quæ et priorem sententiam an. 1587 et 1588, censuris theologicis notarunt.

20. *Dico I.* **Deus res saltem seu veritates et sententias, in libris sacris expressas, Scriptoribus sacris specialiter inspiravit.**

Prob. I. Auctoritate. Imprimis enim Patres testimonium Pauli nuper laudatum de inspiratione magis particulari accipiunt; nam Basilius prœmium in Psalmos sic orditur : *Scriptura omnis divinitus inspirata et utilis hac una ratione a Spiritu Sancto conscripta asseritur,* etc. Greg. Nyssen., Or. 6 cont. Eunom., ait : *Quæcumque Sacra Scriptura dixit, Spiritus Sancti sunt effata... ergo numine afflati sancti vates virtute Spiritus Sancti inspirantur, et ideo omnis Scriptura divinitus inspirata dicitur.* Joan. Damasc., l. 4, Orth. fid., c. 18 : *Per Spiritum Sanctum et Lex et Prophetæ et Evangelistæ et Apostoli et Pastores et Doctores verba fecerunt; ex quo fit, ut tota divinitus inspirata Scriptura procul dubio utilis sit.* Deinde idem aliunde aperte enuntiant; sic Iren., l. 2 cont. hær., c. 47, scribit : *Scripturæ quidem perfectæ sunt, quippe a verbo Dei et Spiritu ejus dictatæ.* Scriptor antiquus contra hæresin Artemonis apud Euseb., l. 5 hist. Eccles., c. 28, ita loquitur : *Aut etiam Sacras Scripturas a Spiritu Sancto dictatas esse non credunt, ac proinde infideles sunt; aut semetipsos Spiritu Sancto sapientiores esse existimant,* Chrysost., hom. 21 in c. 5, Genes. inquit : *Nihil hic scriptum est, quod non multas habeat sensuum divitias; quandoquidem divino Spiritu afflati sunt locuti.* Greg. Neocæs., Serm. 2, in Annunt. B.V. hæc habet : *Per sanctorum Prophetarum et Apostolorum linguam Dominus noster loquitur... quando porro Evangelium legitur vel Apostolicum, non libro attendas, aut lectori; sed Deo e cœlis loquenti,* etc.

Prob. II. Ratione. Ac 1° quidem Scriptura Sacra est *Verbum Dei et non hominum,* ut ex ep. 1 ad Thess. 2, v. 13, liquet : sed si Deus moveret Scriptores tantum ad scribendum et assisteret illis, ne falsum scriberent, non autem res saltem et sententias proponeret, vel menti designaret, foret ver-

bum hominum et non Dei, ut patet ex exemplo hominis duntaxat incitantis et alteri assistentis : ergo. 2° Scriptura Sacra secundum Trid., Sess. 4, in decret. de Canonicis Scripturis est *a Spiritu Sancto dictata* : sed si nequidem res et sententias Spiritus Sanctus suggereret, aut conceptus inspirando, aut ad hunc præ illo determinando, nulla ratione Scriptura diceretur dictata a Spiritu Sancto : ergo. 3° Quidquid potest credi fide divina, debet esse revelatum a Deo; cum fidei motivum sit auctoritas Dei revelantis seu loquentis : sed omnes veritates, seu res ac sententiæ in Scriptura contentæ, possunt credi fide divina : ergo.

Objectiones.

21. *Objic.* Scriptores sacri aliunde, quam inspiratione divina, interdum excitati ad scribendum fuerunt; nam Marcum a fidelibus ad Evangelicam scriptionem impulsum testatur Hieron., l. de Script. Eccl. his verbis : *Marcus discipulus et interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ a fratribus, breve scripsit Evangelium;* quod idem Clem. Alex. et Euseb. asserunt. Joannem vero ad scribendum ab Asiæ Episcopis incitatum, Beda in Comm. ad c. 1. Joan. commemorat : ergo ne ad sententias quidem admittenda est inspiratio specialis.

R. ad Arg. — N. A. et Conseq. Divinæ enim inspirationi non obest pia fidelium postulatio; tum quia utraque stare simul et ad excitandum scriptorem concurrere potest : tum quia Deus in cordibus fidelium excitare poterat bona illa desideria, quorum occasione et ipse intus afflabat Scriptores sacros, ut fidelium precibus victi ad scribendum manus darent. Reipsa id contigisse, Clem. Alex. apud Euseb., l. 2, hist. Eccl., c. 15, ita narrat : *Quod cum Petrus per revelationem sancti Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in Ecclesiis legeretur;* Ibidem vero l. 6, c. 14, refertur sic enuntians : *At Joannes omnium postremus, cum videret in aliorum Evangeliis ea, quæ ad corpus Christi pertinent, tradita esse, ipse divino Spiritu afflatus, spiritale Evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit.* Beda tandem l. c. hæc de S. Joanne addit : *Se non aliter facturum respondit, nisi indicto jejunio omnes in commune precarentur, ut illo donante digna scribere posset; et hoc ita patrato, instructus revelatione cœlesti ac Spiritus sancti gratia inebriatus, omnes hæreticorum tenebras patefacta veritatis luce dispulit.*

Inst. 1. Ipsi Scriptores sacri auctoritatem dictorum suorum repetunt vel a propria experientia, ut Joannes, c. 19, v. 35, vel a testimonio fide dignorum, ut Lucas, c. 1, v. 2, facit : ergo eam gratis tribuimus inspirationi.

R. — D. A. Ipsi Scriptores sacri advertenter et quasi reflexe inspirati repetunt, etc., N. inadvertenter et exercite tantum inspirati, *subd.* repetunt auctoritatem dictorum suorum humanam ab experientia vel testimonio, C. divinam, N. Duplex est inspiratorum classis; alii revelationem Dei et inspirationem advertunt et experimento quasi cognitam habent : alii, quamvis inspirati dicant vel scribant, muneris tamen divini experimentale criterium non habent. Duplici etiam Scriptura Sacra munitur auctoritate; altera humana, quæ pendet a fide et diligentia scriptorum aut testium; altera divina, quæ per Dei revelationem conciliatur. Ad 1^am^ inspiratorum classem Prophetæ spectant; qui proinde, ad conciliandam suis scriptis auctoritatem divinam usurpabant frequenter hujusmodi formulas : *Hæc dicit Dominus; Factum est*

verbum vel *sermo Domini ad me dicens*, etc. ad 2am classem refertur Caiphas Joan. 11, v. 50, et pertinent sacri Scriptores alii, qui dum evidentiam de inspiratione sua non habebant, ad comparandam scriptis suis auctoritatem humanam, ad experientiam propriam vel aliorum testimonium, vel rationem aut historiam provocabant, quin tamen inde divina auctoritas eorum scriptis negari queat; cum hæc ab ipsa inspiratione aliunde nobis probata, non vero ab inspirationis conscientia scriptori data oriatur.

Inst. 2. Iidem testantur et traduntur, aliqua ex se ipsis, non vero a Deo inspirati, dicere et afferre; nam Paulus 1 ad Cor. 7, v. 12, ait : *Cæteris ego dico, non Dominus;* et 2 ad Cor. 11, v. 17 : *Quod loquor, non loquor secundum Deum :* Chrysost. autem hom. 49 in c. 23. Act. Apost. de Paulo ait : *Iterum humano modo disserit, et non semper gratia fruitur, sed etiam permittitur a seipso afferre, quod sane et facit;* Basil., l. 5 cont. Eunom. c. penult. inquit : *Prophetæ aliquando a Deo, aliquando a se ipsis loquuntur;* cujus exemplum Origen., hom. 16, in c. 23. Num. in Propheta Gad producit. Ergo.

R. — *D. A.* Scriptores sacri testantur et traduntur quædam ex seipsis dixisse et attulisse, si præcise consideretur objectum Scripturæ, C. si ipsa scriptio attendatur, N. Damus equidem in Scriptura commemorari nonnulla a Prophetis et Apostolis dicta vel facta, quorum auctor non fuit Spiritus Sanctus : contendimus vero scriptionis, qua res etiam hujusmodi ab illis exarantur, nihilominus divinum Spiritum fuisse auctorem. Verba Pauli in 1a ep. juxta sinceram interpretationem referuntur ad dicta ibidem, v. 8 : *Dico autem non nuptis et viduis : bonum est illic si sic permaneant, sicut et ego;* adeoque sensum habent eumdem cum his, v. 25 : *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Quamvis autem his verbis consilium duntaxat Apostolus proponat; tamen et hoc consilium habebat a Deo, ut testatur, v. 40 : *Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium : puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam;* et ut id scriberet, a Deo fuit inspiratus, ut Aug., l. 1 de adult. conjug., c. 18 docet. In 2a ep. autem de inspiratione non agitur, sed verborum sensus est hujusmodi : Dum loqui intendo et incipio de meis laudibus, si res spectetur secundum se, non erit hoc, nec videbor agere secundum Deum et principia actionum divina : si tamen charitas et necessitas spectetur, ne videlicet, me contempto, pseudo-Apostolos glorificetis; apparebit me recte agere et secundum christiana virtutum principia. Chrysostomi sermo non agit de scriptis quibusdam a Paulo canonice exaratis, sed de verbis illis, quæ is pro sui defensione Act. 23, coram Principe Sacerdotum protulerat : hæc vero tametsi a Paulo non inspirato dicta fuerint, sunt tamen a Luca inspirato litteris custodita. Similiter Origenes et Basilius non loquuntur de ipsa scriptione sacrarum litterarum, sed de dictis quibusdam aut gestis, quæ in Scriptura divinitus inspirata referuntur.

Inst. 3. Si Scriptores sacri fuerunt divinitus inspirati, non indiguerunt diligentia, inquisitione, meditatione ac labore; quia, ut Chrys. hom. 32, in 1 ad Cor. scribit : *Qui Spiritu omnia loquitur, non laborat :* sed contrarium accidit quibusdam Scriptoribus sacris, ut ex Luc. 1, v. 3, et 2 Machab. 2, v. 27 et 31 patet : ergo.

R. — *D. M.* Si Scriptores sacri fuerunt reflexe inspirati, et quidem per revelationem proprie dictam, non indiguerunt meditatione et labore, C. Si tantum exercite inspirati fuerunt, et per revelationem duntaxat minus

propriam, N. Dari in inspiratione ac revelatione diversitatem ex prioribus responsionibus et num. 19 dictis liquet, ubi et diversam scriptorum conditionem exposuimus : Chrysostomi verba ad priorem inspiratorum classem pertinere, probat discrimen hic loci a S. Doctore Prophetas inter et Doctores statutum, quorum illos nihil laborare dicit, quia spiritu suggerente futura prædicunt, hos autem laborare, quia multa quoque ex se ipsis disserunt.

22. *Dico II.* **Deus non videtur specialiter inspirasse semper sacros Scriptores quoad singula etiam verba et phrasin.**

Prob. I. Auctoritate. Patres imprimis æqualem verborum ac sententiarum curam habendam negant; ut Hier. in ep. ad Pammach. scribit : *Alii Syllabas aucupentur, tu quære sententias... obtrectatores mei quærant et intelligant, non verba in Scripturis consideranda, sed sensus;* et Aug. l. 2 de Cons. Evang., c. 66 : *Quod nosse, utile est et ipsi fidei, ne putemus, quasi consecratis sonis ita muniri veritatem, tanquam Deus nobis quemadmodum ipsam rem, sic verba commendet.* Deinde inspirationem verborum rejiciunt, quod Origenes satis declarat, dum ab Euseb., l. 6, hist. Eccl., c. 18, inducitur de epistola ad Hebræos ita loquens : *Sed ego dico, sicut a majoribus mihi traditum est, quia manifestissime Pauli est, et semper omnes majores nostri eam ut Pauli epistolam susceperunt. Si vero requiras a me, per quem sit ejus sermo compositus, pro certo quidem, Deus viderit : opinio tamen, quæ ad nos usque pervenit, hujusmodi est. A quibusdam dicebatur, quod Clemens Apostolorum discipulus et Episcopus urbis Romæ græco eam sermone, non tamen sensibus, expoliverit : alii quod Lucas,* etc. Agobardus Lugd. Ep. autem in l. cont. Fregedis. sic enuntiat : *Apparet etiam in his verbis vestris, quod ita sentiatis de Prophetis et Apostolis, ut non solum sensum prædicationis et modos vel argumenta dictionum Spiritus sanctus eis inspiraverit, sed etiam ipsa corporalia verba ipse formaverit : quod si ita sentitis, quanta absurditas sequetur, quis dinumerare poterit?*

Demum phrasin stylique compositionem tribuunt proprie Scriptorum sacrorum industriæ aut imperitiæ; cujus quidem exemplum præbet Scriptor sacer Libri 2 Machabæorum, qui c. 2, v. 27, de se sic loquitur : *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus;* sub finem vero operis, nempe c. 15, v. 39, ita scribit : *In his faciam finem sermonis : et si quidem bene et ut historiæ competit, hoc et ipse velim : sin autem minus digne, concedendum est mihi.* Simile testimonium de S. Paulo tradit Hier. in ep. ad Algas. q. 10 sic disserens : *Illud quod crebro diximus* (etsi imperitus sermone, non tamen scientia) *nequaquam Paulum de humilitate, sed de conscientiæ veritate dixisse, etiam nunc approbamus : profundos enim et reconditos sensus lingua non explicat, in alienas aures puro non potest transferre sermone; quem cum in vernacula lingua habeant disertissimum, se ipsum interpretari cupiens involvitur.* Idem in comment. epist. ad Ephes., c. 3, Origen. in Philocalia a Greg. Nazianzeno et Basilio collecta c. 4 Arnobius l. 1 cont. gent. aliique non pauci docent in sacris litteris reperiri inconcinnas phrases, solœcismos etiam et barbarismos, qui Scriptoribus sacris exciderint, Deo autem inspiranti tribuendi non videntur.

Prob. II. Ratione. Et quidem. 1° Ut Scriptura Sacra dicatur vere ac proprie verbum Dei, adeoque summam et divinam habeat auctoritatem, sufficit

res omnes et singulas sententias esse inspiratas, verba autem saltem confuse a Spiritu Sancto fuisse simul subministrata; tum quia ratio verbi divini plus non exigit, ut patet in traditionibus divinis, quæ commune genus verbi divini cum Scriptura Sacra participant : tum quia infallibilitas loquentis Dei non tam ex vocibus aut verborum figuris, quam ex veritate ac sensu dependet : ergo specialis inspiratio etiam verborum ac phraseos necessaria non est : ergo cum aliunde ostendi nequeat actualis inspiratio verborum facta, ut ex solutione objectionum constabit, Deus non videtur sacros scriptores semper inspirasse quoad singula verba eorumque phrasin. *Conf.* Si Princeps aut Rex Amanuensi generatim duntaxat declarat, quid epistola continere debeat, quo stilo eam velit exarari, humiliori scilicet aut sublimiori, sine aut cum testificatione honoris et observantiæ erga eum, ad quem dirigitur; sic exaratæ litteræ habentur et leguntur ut principis litteræ et epistola regia, in iisque solus Rex aut Princeps et nullatenus Amanuensis loquitur : ergo cum in Scripturis Sacris exarandis non tantum idem sed plus etiam a nobis asseratur, hæ licet quoad verba singula specialiter non inspiratæ, erunt nihilominus vere ac proprie verbum Dei.

2° Moses præcepta Decalogi, Evangelistæ vocem Domini post Christi baptismum de cœlo factam, iidem et Paulus institutionem Eucharistiæ diversis vocabulis et vocabulorum constructione referunt : sed nisi dicamus sententias tantum esse inspiratas, sacri Scriptores ab errore et falsitate, aut Spiritus Sanctus a mendacio excusari nequeunt : ergo. *Conf.* In primo Moses Exod. 20, v. 1, sic profatur : *Locutusque est Dominus cunctos sermones hos* : Deut. 5, autem v. 5 et 6 ita loquitur : *Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis..... et ait.* In secundo autem Matth. 3, v. 17, hæc habentur : *Et ecce vox de cœlis dicens;* Marc. 1, v. 11 : *Et vox facta est de cœlis;* Luc. 3, v. 22 : *Vox de cœlo facta est.* In tertio denique Matthæus 26, v. 27, Marc. 14, v. 24, Luc. 22, v. 19 et 20, Paulus 1 ad Cor. 11, v. 24, præmittunt consecrationis formulæ has voces : *dicens, ait, dixit* : ergo cum his vocibus exprimantur verba Dei aut Christi vere et proprie talia, et tamen in ipso sermone relato habeatur diversitas vocabulorum et phraseos, sequitur ad veritatem et proprietatem verbi divini sufficere inspirationem sententiarum, nec illam vocabulorum esse necessariam.

3° Tridentin. Sess. 4 in Decr. de Canonicis Scripturis, Vulgatæ editioni latinæ tribuit auctoritatem divinam et rationem verbi Dei, dum ita inquit : *si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur pro sacris et canonicis non susceperit.....: anathema sit :* sed omnino certum est, editionis nostræ vocabula et phrasin dici non posse divinitus inspirata; et Hieron., in Præf. l. Judith, de translatione a se facta testatur, *magis sensum e sensu, quam ex verbo verbum fuisse translatum :* ergo. *Conf.* Idem, Conc. Sess. eadem in decr. de editione et usu sacr. libr. *statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat :* sed nisi sufficeret inspiratio sententiarum, versio vulgata non foret habenda tanquam authentica, possetque rejici ex hac maxime causa, quod etiam in rebus ad fidem et mores pertinentibus vocabulorum et constructionis diversitas hic occurrat; ergo.

23. *Objic.* Scriptura Sacra loquentibus et prædicantibus hominibus sacris tribuit inspirationem verborum et vocabulorum; ut constat ex Isa. 51, v. 16. *Posui verba mea in ore tuo;* ex Matth. 10, v. 19, *nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini;* ex Joan. 14, v. 26 : *Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis :* ergo id etiam est concedendum Scriptoribus sacris.

R. ad Arg. Si sermo sit de quibusdam duntaxat oratoribus et scriptoribus aut specialibus elocutionis et scriptionis materiis, C. *totum;* cum plerique nostræ sententiæ Patroni dent verba etiam illa fuisse inspirata, quibus exprimuntur prophetiæ, mysteria, et alia graviora vel altiora ab humanis sensibus remota : si vero de omnibus, tam auctoribus quam argumentis et universim fiat enuntiatio, *N. Ant.*

Ad prob. 1° *R.* inde nihil conficil; tum quia hoc testimonium ad unum duntaxat et quidem Prophetam pertinet : tum quia *verbum* non tantum pro vocabulo quocumque et parte orationis sed etiam pro integra propositione ac sensu accipitur, ut patet ex Scriptura Sacra Ezech. 3, v. 17 : *Audies de ore meo verbum et annuntiabis ex me;* et ex profana apud Terent. *Verum illud verbum est, quod vulgo dici solet;* ubi verbum loco proverbii Comœdus usurpat.

Ad prob. 2° *R.* Sicut ex hoc textu minime probatur, vetitum fuisse Apostolis in judicio comparituris, ne prudentem reponsionem præmeditarentur; nec ita semper fuisse locutos, ut in hujusmodi responsionibus nihil de suo addiderint; cum contrarium ex Patribus num. 21, laudatis constet : sic multo minus colligi inde potest, quod omnia et singula verba illis fuerint inspirata, aut, sicut in asina Baalam loquebatur Angelus Dei, sic etiam locutum semper Spiritum sanctum in Apostolis et martyribus quæstioni subjectis.

Ad prob. 3° *R.* Præterquam quod instructio et refricatio memoriæ hic promissa non exigat vocabulorum omnium et phrasis determinatæ inspirationem, sed sententiarum ac rerum duntaxat propositionem; textus hic maxime pertinet ad stabiliendum verbum Dei traditum circa sensum Scripturarum et æconomiam Ecclesiæ; pro hoc autem inspirata esse Scriptoribus Ecclesiasticis etiam verba, nemo facile asseruerit.

Inst. 1. Patres aperte videntur fuisse in sententia affirmante singulorum etiam verborum inspirationem. Nam. 1 Greg., Neocæs. (num. 10) laudatus monet attendendum legenti Evangelium, *ut Deo loquenti;* et Aug., l. 1, de Cons. Evang., c. 35, docet non aliter legendum Evangelium, *quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit.* 2 Bas., l. de Sp. S., ait : *nullam vocem* in Scriptura *oportere indiscussam relinquere.* Origen., l. 4, Periarch., c. 2, docet : *Per singula verba latentes investigandos sensus;* Chrys., hom. 22 in Genes., dicit : *Neque vel syllaba vel apiculus est in sacris litteris, in cujus profundo non sit grandis thesaurus;* Hieron., in com. ad c. 6, Matth., et ad c. 3. Ephes. scribit : *Singuli sermones, syllabæ, apices, puncta, in divinis Scripturis plena sunt sensibus.* 3 Aug., Tr. 120 in Joan., ait : *Evangelistam vigilanti verbo esse usum, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut aliud quid; sed aperuit :* similem observationem de verbo *aspirat* dies, Bern., serm. 72, sup. Cantic. facit. 4 Aug., ep. 14, asserit, *se nullus hominis libris tantum deferre, quantum divinis litteris; non ob veritatem, quæ par est in utrisque, sed ob verba phrasinque dictantis, qui est Spiritus Sanctus.* Ergo.

R. — *N. assert. Ad prob.* 1° *R.* Gregorii et Augustini testimoniis recte probari summam Evangelio habendam reverentiam, non autem omnium vocum inspirationem factam ; cum idem moneri possit circa legem a præcone promulgatam et epistolam a scriba regio exaratam, ubi tamen Rex non omnia omnino verba sed sententias duntaxat dictavit, ut in probatione thesis est ostensum.

Ad prob. 2° *R.* Patrum verba non accipienda esse in sensu universali absoluto, sed accommodo, non in rigore mathematico, sed in acceptione morali, probant ipsa eorum effata; cum Hier., ep. 103, ad Paulin. scribat : *Singulæ pene syllabæ spirant cælestia Sacramenta.* Et Chrys., l. c. hanc rationem addat : *Nihil enim temere vel fortuito loquitur scriptura divina.* Unde illorum scopus et sensus hic est : Omnia scripturæ verba diligenter sunt expendenda ; quia multa sunt divinitus inspirata, nulla otiosa ac inutilia, omnia aut habere possunt aut habent sensum reconditum; ad quæ duo postrema sufficit adfuisse scriptori assistentiam divinam et subministrationem vocabulorum saltem confusam.

Ad prob. 3° *R.* Cum solum negemus, omnia et singula verba divinus esse inspirata, adeo nobis non obest duarum vocum hic asserta inspiratio, ut potius alias etiam multas inspiratas facile concedamus. Cœterum nequidem hoc, quod liberaliter damus, probatur ex allatis testimoniis. Augustinus enim asserens, Evangelistam verbo vigilanti esse usum, diligentiam scriptoris et industriam, non vero inspirationem divinam laudat; maxime cum ad usurpationem vocabuli *aperuit* suffecerit notitia mysterii per apertum Christi latus significati, minime autem scriptori sacro fuerit necessaria vocis inspiratio. Quod vero ex voce *aspirat* Bernardus colligat, *in sacri eloquii textu nec modicam vacare particulam*, ostendit quidem nihil temere ac fortuito, nec otiose aliquid aut inutiliter insertum esse scripturæ, sed omnia esse scripta Deo invigilante et providente, ne voces superfluæ aut ad sensus inspirati expressionem minus idoneæ adhiberentur; voces autem omnes infusas non probat.

Ad prob. 4° *R.* Priorem hujus sententiæ partem legi quidem ep. 19 et 111 ac in locis aliis nonnullis : posteriorem vero nec ep. 14 cit. nec aliis in epistolis aut scriptis a nobis repertam. Si tamen verba postrema, in quibus vis statuitur, alicubi apud Aug., extent, verba et phrasis scripturæ tribui etiam potest Spiritui sancto, non quidem ut immediato, sed ut mediato auctori, et ut verba confuse subministranti.

Inst. 2. Accedit auctoritas humana; quæ desumitur 1° A masora Judæorum, quæ procul dubio fundatur in traditione a Synagogæ veteris temporibus propagata et satis aperte confirmata a Christo illis apud Matth. 5, v. 18, verbis : *Iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant :* 2° A Theologorum Scholasticorum multitudine, qui, paucis exceptis, olim contrarium docuerunt; inter quos etiam referendi sunt sex viri a Claudio Aquaviva deputati in Tractatu de opinionum delectu seu libro de ratione studiorum pro Societate Jesu : 3° Ab auctoritate Facultatum Theologicarum Lovaniensis et Duacenæ, quæ oppositam Lessii doctrinam tanquam periculosam et hæresi Anomæorum accedentem proscripserunt.

R. — *N.* Auctoritatem humanam esse tantam, cui cedere sit necesse. Quod enim *primo* ex masora affertur, ad Rabbinicam et cabbalisticam superstitionem pertinet : gratis etiam fundatur in traditione veteris Synagogæ, ad quam minus apte verba quædam Philonis ac Josephi proferuntur a

quibusdam : denique parum feliciter fundatur in Christi verbis, quæ non agunt de accidentibus et punctis longe post Christum adinventis, sed ex genuina interpretatione maxime Chrysostomi et Hilarii, hunc sensum habent : omnia vaticinia, figuræ omnes et cæremoniæ ac minima etiam vestigia, quæ in lege ac Prophetis Messiam indicabant, in Jesu Christi persona penitus expressa et impleta inveniuntur.

Quod *secundo* de numero Scholasticorum asseritur, verum forsan est de Antiquioribus, falsum de Recentioribus, unde Ludov. Habert nostram sententiam in Theologiæ Prolegomenis *probabiliorem et communiorem* appellat. Quid sex illi Theologi deputati senserint, litteris expressum non legimus : id scimus, qualiscumque eorum opinio fuerit; privatam illorum fuisse sententiam, non item publicam et communem Societatis; cum volumen illud Patrum deputatorum an. 1586 et 91, non fuerit typis excusum « ut tanquam res jam plane constituta induceretur in mores, sed quo expeditius multa suppeterent exemplaria, quæ in omnem Societatem demissa a provinciarum Doctoribus recognoscantur » ut in Præfatione Lectores monentur. Quin hujus rei mentionem Congreg. Gen. V, nullam postea fecit, et potius in Decreto de Ratione studiorum majorem libertatem relinquit quoad certum auctorem sectandum in iis, quæ pertinent ad Scripturas, quam in aliis.

Quod *tertio* additur de Lovaniensi et Duacena censura, hanc sacra Facultas Parisiensis, licet sollicitata, non approbavit, reprobavit etiam Romana, Moguntina, Trevirensis et Ingolstadiana.

Utut autem vera etiam sit, ea minime nos ferit, qui a Lessio in plerisque distinguimur. Negamus enim 1° librum aliquem humana industria, sine Spiritus sancti assistentia scriptum, si postea Spiritus sanctus testetur nihil ibi esse falsum, effici Scripturam sacram seu verbum Dei scriptum : 2° inficiamur, singulas veritates et sententias sacræ Scripturæ non esse a Spiritu sancto specialiter et immediate, alterutro saltem modo a nobis proposito, inspiratas : 3° quamvis asseramus, non esse necessariam singulorum verborum inspirationem specialem, exigimus nihilominus et universalem inspirationem et subministrationem vocabulorum confuse saltem a Spiritu sancto præstitam; ex quibus tamen duo priora Lessius aperte asseruit, posterius autem silendo dissimulavit.

Inst. 3. Tota Scriptura sacra est vere ac propriè verbum Dei : ergo de essentia Scripturæ sacræ est, quod Spiritus sanctus omnia et singula verba dixerit et dictaverit; quia juxta S. Thom. in 1 Dist. 27, q. 2, a. 2 : *De ratione verbi est, quod dicat relationem originis ad dicentem.* Sed si non omnia verba Scripturæ sint specialiter inspirata, illa nec dicunt relationem originis ad dicentem Deum, nec a Spiritu sancto sunt dictata : ergo.

R. Ad Arg. — *D. A.* Tota Scriptura sacra quoad res et sententias est vere ac proprie verbum Dei, C. quoad singula verba ac voces, *subd.* est vere ac proprie verbum Dei moraliter tale, C. physice tale, N. Ad rationem verbi veri ac proprie talis non requiri physicam omnium et singularum vocum propositionem ad determinatam declarationem, sed sufficere manifestationem sententiæ et generalem verborum subministrationem, ostendimus in multiplici theseos nostræ probatione; ex qua sequitur Scripturam totam habere relationem ad Deum dicentem, et dictatam esse a Spiritu sancto; et *N. Cons.*; præsertim quia D. Thomas l. c. non tantum de verbo physico et formali, sed etiam de personali loquitur.

Inst. 4. Si sententiæ duntaxat inspiratæ essent et non singula verba, ergo 1° non foret discrimen Scripturas sacras inter et definitiones Conciliorum in materia fidei et morum; quia et in his admittenda est inspiratio sententiarum, juxta illud Act. 15, v. 28 : *Visum est Spiritui sancto et nobis* : 2° una pars Scripturæ esset alia perfectior; cum alia admittatur inspirata secundum sententias et verba, alia tantum secundum sententias : 3° posset impune verbum unum alteri substitui, imo etiam negari. Atqui hæc plane absona sunt a debita Scripturis sacris reverentia et Ecclesiæ ac Doctorum sententia : ergo.

R. Quoad primum, — N. seq. Ratio addita est falsa; cum in definitionibus Conciliorum sicut non admittitur revelatio nova, sic nec inspiratio sententiarum, sed duntaxat infallibilis ac specialis assistentia Spiritus sancti, quam unam textus Actorum evincit et communis sententia asserit.

Quoad secundum, — D. seq. Una pars Scripturæ est altera perfectior ratione auctoritatis divinæ, N. ratione verbi Divini *subd.* secundum veritatem ac proprietatem, N. secundum physicam et materialem notionem, C. Ab hoc postremo tamen repeti non posse prælationem unius partis supra aliam, ostendunt argumenta in 2ª et 3ª probatione theseos adducta.

Quoad tertium, — N. seq. Priori enim contrarium recte decrevit Ecclesia, tum ad conservandam Scripturæ integritatem, tum ad cavendum errorem, tum ob certitudinem immunitatis ab errore scriptori sacro per Spiritus sancti assistentiam etiam in deligendis vocabulis concessæ. Unde patet posterius penitus rejiciendum.

Inst. 5. Inter notiones seu ideas rerum et ipsa verba, queis illæ exprimuntur, tanta intercedit connexio, ut, quamdiu animus noster corpori est alligatus, dum de rebus cogitamus, non abstrahamus a verbis, quibus res usitato sermone exprimuntur : ergo dum Deus inspiravit ipsas res et sententias, etiam verba inspiravit; nisi gratis dicamus, hanc verborum et rerum naturalem connexionem in mente sacrorum scriptorum a Deo fuisse sublatam; et præterea etiam admittamus, obvia Scripturæ verba non esse divina sed humana.

R. — D. A. Intercedit hæc connexio inter notiones seu ideas rerum et verba sententiarum substantiam exprimentia, C. ad earum elocutionem, phrasin ac constructionem spectantia, *subd.* generatim et confuse, T. speciatim et determinate, N. Contrarium objectionis non tantum ex regulis de inventione, dispositione ac elocutione Rhetoricis liquet, sed et ex quotidiano memoriæ et reliquarum intellectus potentiarum experimento.

Ad probationes conseq. Imprimis nego gratis aliquid a nobis hic asseri; deinde ex dictis nego connexionem naturalem a Deo subverti; denique quamvis concedam verba Scripturæ plura secundum rationem physicam esse humana, quod de omnibus in versione vulgata admitti debet a Catholicis omnibus; scriptoribus tamen sacris non neganda est ratio organi Spiritus sancti, neque verbis aliquid Divini, quatenus illi scripserunt sub Spiritu sancto impellente ad scribendum, inspirante sensus omnes conscridos, suggerente quandoque ipsa vocabula, sæpius autem illorum delectum et compositionem relinquente, simul tamen generatim ac confuse verba subministrante, ac præterea specialiter invigilante, ne circa delectum illum aut eam compositionem, sensus inspiratos minus recte exprimendo, delinquerent.

24. *Observa.* Divinæ auctoritati Scripturæ et inspirationi scriptorum non

obstat 1° relatio blasphemiarum, mendaciorum, aut scelerum perpetratorum; quia aliud est hæc dicta vel facta fuisse Deo inspirante, quod negamus; aliud hæc dicta vel facta scelerata fuisse scripta ex Dei inspiratione, quod unum affirmamus : nec 2° effusio sacrorum scriptorum in maledicta et imprecationes, qualia in Psalmis et Libris Job et Prophetarum occurrunt, quia hujusmodi vel continent prophetias, vel ex zelo sancto contra peccata prodierunt, vel si etiam ex odio aut alia prava affectione ortum duxerunt nihilominus a Spiritu sancto inspirari poterant, ut ex nota Joan. 11, v. 51, ad sententiam Caiphæ adjecta manifestum est : nec 3° sive narratio sive propositio rerum levissimarum, qualis illa de cane Tobiæ, de penula Pauli, de modici vini usu Timotheo præscripto est; non enim hæc tam levia sunt, cum gravia morum documenta contineant, ut videre est apud Interpretes : aut si etiam levia esse concedantur secundum humanum captum, ea tamen non sunt secundum inscrutabile Dei consilium considerata, prout S. Hier. in præf. ad ep. Philem. et alii Patres ostendunt.

ARTICULUS IV.

AN ET QUO SENSU VULGATA VERSIO SIT AUTHENTICA?

25. *Nota I. Authenticum* a græco αὐθεντία, quod auctoritatem denotat, nomen habet; ideoque idem sonat, ac auctoritate munitum. Vocem hanc Theologi mutuati sunt a Jurisperitis, quibus scriptum authenticum dicitur scriptum supremæ auctoritatis, quod adeo fidem facit in judicio, ut rejici a nullo aut vocari in dubium debeat. Scripta quæ rationem authentiæ participant, vel sunt autographa seu originaria; et hæc per se, magis proprie ac stricte sunt authentica : vel sunt apographa seu exemplaria; et hæc proprie quidem, sed minus stricte authentica sunt; cum talia non sint per se, sed quatenus cum autographis conveniunt : vel sunt translata seu aliam in linguam versa; et hæc latiore adhuc significatione dicuntur authentica; quatenus nempe cum textu scripti authentici primitivo concordant, ex quo seu fonte fuerunt traducta.

Authentia altera est intrinseca, altera extrinseca, *Intrinseca* in autographis ea est, quæ scriptis hujusmodi convenit ratione sui et auctoris; in apographis autem et translatis, quæ a convenientia cum autographo habetur; *Extrinseca* est, quæ ex aliis rationibus fidem facientibus accedit, qualia sunt sigilla, testimonia, etc. Hæc si declarata est per sententiam Magistratus legitimi, dicitur *Judicialis* et *explicita;* si non, sed usu tamen confirmata aut aliunde admissa, *vulgaris* et *implicita* vocatur. Prior, scilicet intrinseca, potest esse sine posteriori seu extrinseca; facitque scriptum præcise authenticum quoad se : posterior nequit esse sine priori, facitque authenticum etiam quoad nos.

Utraque subdividitur in absolutam seu omnimodam, et respectivam seu partialem. *Absoluta* in translatis exigit convenientiam versionis cum autographo tum quoad substantiam seu partes principales scripti et res alicujus momenti, tum quoad accidentia seu partes minus principales et res levioris momenti; imo et quoad claritatem, vim et elegantiam textui originali propriam : *Respectiva* vero non extenditur ad hæc omnia, sed in uno aut altero deficit.

26. *Nota II.* Pars prima quæstionis propositæ controvertitur Catholicos inter et Acatholicos, atque ad dogma pertinet. Quamvis enim posteriorum non pauci sint, qui vulgatam nostram a fide, judicio et auctoritatis subsidio commendent; id quod Theod. Beza in præf. ad N. T., Conr. Pellicanus in præf. ad Psalm., Paul. Fagius Paraphr. Chald., c. 4, Lud. de Dieu in præf. Notar. ad Evang., Hug. Grotius in præf. Annot. V. T., Brian. Waltonus in Prolegom. 10, aliique liberaliter fecerunt : omnes tamen eam negant authenticam. Altera quæstionis pars *salva fide* etiam inter Catholicos agitatur. Consensu quidem communi una ex parte illi statuunt, versionem vulgatam neque per malitiam interpretis ullibi, neque per oscitantiam ejusdem in partibus saltem principalibus a veritate Scripturæ originalis deflectere; et altera ex parte negant, claritatem omnem, vim et elegantiam originario textui propriam, semper et ubique a vulgata exprimi : differunt tamen, dum alii hanc translationem ne in minimis quidem circumstantiis et partibus accidentalibus ac rebus levissimis ab autagropho discedere contendunt; alii autem id negant, et authentiam versionis respectivam ad substantiam tantum et partes principales restringunt.

27. *Nota III.* Porro substantiæ et partium principalium nomine potissimum hic intelligitur doctrina fidei et morum : quorsum tamen referuntur etiam historiæ, facta et dicta quæcumque, sive quæ credere, agere aut scire jubemur, sive quæ ab omnibus ob concordiam versionis cum textu primigenio comprobantur. Cæterum via probandi in hac controversia sententiam duplex est; altera longior, comparando scilicet textus vulgatæ cum textibus fontium, quam hic a nobis suscipi nemo exigit ob ea, quæ in præloquio insinuavimus : alia compendiaria, afferendo scilicet argumenta generalia, quam nunc ingredimur.

28. *Dico I.* **Vulgata versio Latina est authentica.**

Prob. Versio illa Scripturæ est tam intrincese quam extrincese authentica, quam Ecclesia Dei ut authenticam et usu ipso probavit, et aperto decreto declaravit; si enim in re tanti momenti falleretur aut falleret Ecclesia, illi nec promissio Christi, Matth. 16, v. 18, nec Elogium Pauli, 1 ad Tim. 3, v. 15, congrueret : sed versionem vulgatam Ecclesia Dei et usu et decreto probavit ut authenticam : *primum* enim disertis verbis testantur Greg. M. in præf. ad Lib. Mor., c. 5; Isidor., l. de Offic., c. 12; Hug. Victorin., l. de Script., c. 9, et Patres Tridentini in decreto proxime laudando; facto autem confirmarunt tum Beda, Alcuinus, Fortunatus, Rabanus, Petrus Damiani, Anselmus, Bernardus, D. Thomas et alii in hanc versionem commentati, tum Patres, Doctores et fideles reliqui in Conciliis, Ecclesiis, Scholis, domi ac foris eidem per plura secula assueti. *Secundum* constat ex Tridentino, Sess. 4, in Decreto de Edit. et usu sacr. librorum ita statuente : *Insuper eadem synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.* Ergo.

Confirm. I. Ex testimonio Patrum. De Vet. quidem Testamento Hieronym-

MUS in ep. 11 inter Augustinianas, in Prologo Galeato et Præfationibus ad Pentateuchum, libros Regum et Paralip., Esdram et Estherem, magna confidentia provocat ad Hebræorum judicium; quod etiam huic versioni ac emendationi omnino favisse, Aug., l. 18 de Civ., c. 43, testatur. De N. T. AUG., sic ep. 10, scribit : *Proinde non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium ex græco interpretatus es, cum scripturam græcam contulerimus. Unde si quispiam veteri falsitati contentiosius faverit, prolatis collatisque codicibus vel docetur facillime, vel refellitur.* De utriusque tandem versione nova GREG., M. L. 20, Mor., c. 3, ait : *Cuncta verius transfudisse perhibetur; et credendum est quidquid in ea dicitur.*

II. Ex dotibus ipsius versionis. Differentiæ, quæ in V. T. sunt inter Hebraicum, Græcum et Latinum, vel sensum non mutant, vel ad doctrinam fidei et morum non pertinent; ut in Scriptura dogmatice et polemice explicata et typis hujatibus exscripta ostenditur : in N. T. autem vel nullæ sunt differentiæ, cum lectiones vulgatæ in controversiam adductæ nunquam careant consentientibus secum codicibus græcis, vel rursus in sensu aut fidei morumque doctrina non est discrepantia; ut ex Novo Testamento græco cum variantibus lectionibus nuper Moguntiæ edito manifestum est.

III. Ex dotibus S. HIERONYMI, e cujus vel interpretatione vel emendatione nata est versio vulgata. Is enim imprimis præter latinam expertissimus erat linguarum Orientalium, et ingenio præstantissimus et scientiis instructissimus; quas illi dotes vel ipse Erasmus in sua ad Gulielmum Cantuariensem nuncupatoria epistola tribuit : dein exemplaria tum hebræa tum græca habuit emendatissima; ut ex Augustini, l. 2 de Doctr. Chr., c. 15, et ex ep. Hieronymi ad Suniam et Fretel. facile colligitur : denique quanta in hoc negotio desiderari potuit, fidelitate et industria est usus; ut ex illius moribus, vitæ sanctitate, aliorumque de eo æstimatione recte infertur.

IV. Ex absurdo. Cum alias Ecclesia Latina, toto diffusa orbe, pluribus seculis Scriptura caruisset authentica.

29. *Objic.* Versionem Scripturæ declarare authenticam est eam declarare divinam : sed Ecclesia non potuit declarare Vulgatam esse divinam; cum facta sit ab homine, nec inspirata divinitus dici queat : ergo.

R. — *D. M.* Versionem scripturæ declarare authenticam est eam declarare divinam quoad argumentum et rem significatam, C. quoad idioma et modum significandi, *subd.* est eam declarare divinam formaliter seu divinitus inspiratam, N. æquivalenter, seu divinitus inspiratæ conformem, C. Quæ (num. 25) de authentia translatorum diximus, multo magis intelligenda sunt de divinitate eorumdem, secundum immediatos auctores spectatorum.

Inst. 1. TRIDENTINI decretum, authentiam præ versionibus aliis Vulgatæ tribuens, nullius videtur auctoritatis : quia 1° est inutile versionem unam præferre alteri : 2° quia est imprudens, cum nulla fuerit ratio hujus præferentiæ : 3° quia est indignum, cum probando Vulgatam probarit simul mendas in ea cubantes. Ergo et authentia Vulgatæ, quæ decreti auctoritate nititur, etiam nulla est.

R. — *N. A. et prob.* Falsitatem *primæ* fatentur ipsi Heterodoxi, qui versionum multitudinem improbant, et ab ea fidei periculum imminere agnoscunt, ideoque tanquam rem utilem et necessariam optant, ut una aliqua versio auctoritate publica gaudeat, cui omnes acquiescere teneantur. Quod cum Theod. Beza in præf. N. T. exposuisset, monet Reges ac Principes,

nihil habere antiquius, quam ut utriusque Testamenti interpretatio semel ederetur, cujus quoad fieri posset, sacra et inviolata esset auctoritas. Falsitatem *secundæ*, præter dotes ipsi versioni intrinsecas demonstrat ratio a Tridentino his allata verbis : *quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est.* Falsitatem *tertiæ* refutat præceptum Concilii de emendata vulgatæ impressione eidem decreto adjectum : qui enim emendatam impressionem imperat, adeo mendas non probat, ut potius positive reprobet.

Inst. 2. S. HIERONYM. imprimis non est partim auctor Vulgatæ, quia in libris, quos ex Hebræo vertisse dicitur, Vulgata non exhibet illa, quæ ab eodem in QQ. Hebraicis, lib. de opt. interpr. genere, et Commentariis ad Prophetas et Ecclesiasten notata fuerunt : deinde nec est partim emendator; quia in aliis, quos idem emendasse perhibetur, nulli apparent obeli aut asterisci, quos tamen editioni suæ additos ipse testatur; denique licet utroque titulo vere gauderet; non erat tamen *theopneustos*, adeoque more hominum falli aut fallere poterat. Ergo versio illius authentica esse nequit.

R. Ad primum. — N. ass., quod ratio adjecta minime probat; cum idem auctor ob multiplicem significandi vim in variis scriptis variam eidem vocabulo significationem dare possit : quod dum in Hieronymi versionibus accidit, Ecclesia censuit retinendam expositionem Scripturæ ab illo vulgatæ versioni insertam, quantumvis ab alia in aliis operibus abeuntem.

Similiter ad secundum. — N. ass. Nec id addita probatio evincit; tum quia in translatis ex Hebræo nullam HIERONYMUS facit mentionem asteriscorum, ut ejus in Jobum præfatio ostendit; tum quia asterisci et obeli, versis ex græco adjecti, vel librariorum incuria perierunt, vel studio forsan abjecti sunt, ad lectionem scilicet planiorem reddendam.

Ad tertium. — T. A. Cum non desint, qui Hieronymo, ne erraret, speciale Spiritus sancti auxilium datum affirment.

D. Cons. Versio non est authentica, ut est privati interpretis, C. Ut est approbata usu et decreto Ecclesiastico, N.

30. *Dico II.* **Tridentinum duntaxat declaravit, vulgatam esse respective authenticam, scilicet in his, quæ ad fidem et mores pertinent.**

Prob. I. Ex *verbis decreti.* Tridentinum declarat versionem illam esse authenticam, quæ longo usu in Ecclesia probata tum temporis circumferebatur : sed hæc non absolute, sed dicto tantum modo respective, authentica erat; ut ex ejus correctione jussu Sixti V et Clementis VIII perfecta, manifeste constat : ergo non declaravit authenticam, nisi respective ad doctrinam fidei et morum.

II. *Ex objecto decreti.* Idem est objectum decreti declarantis authentiam Vulgatæ, quod erat objectum decretorum de canonicis scripturis earumque usu et interpretatione; quia propter ista vulgatam editionem auctoritate munivit : sed omnium istorum objectum unice pertinebat ad fidem et mores. Nam primum decretum sic inchoatur : *Sacrosancta Synodus hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur, quod D. N. J.-C. proprio ore primum promulgavit; deinde per Apostolos tanquam fontem omnis salutaris veritatis et morum disciplinæ omni creaturæ prædicari jussit; perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis*, etc. Idem ac finitur clausula : *Omnes itaque intelligant, quo ordine et via ipsa synodus post jactum fidei confessionis fundamentum sit progressura, et quibus potissimum testimoniis ac*

præsidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus sit usura. In secundo autem decreto post declaratam Vulgatæ authentiam hæc adduntur : *Præterea ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, aut contra unanimem consensum Patrum Scripturam sacram interpretari audeat.* Ergo.

III. Ex *scopo decreti.* Scopus Tridentini vulgatam decernentis authenticam erat, habere regulam certam pro dogmatibus definiendis et instaurandis moribus, reprimere hæreticorum audaciam ad alias versiones recurrentium, et cohibere Catholicorum nimiam corrigendi licentiam; ut tum ex clausula nuper laudata, tum ex Pallavicini Hist., l. 6, c. 12, perspicitur : sed ad hunc scopum sufficiebat, vulgatam declarari authenticam in iis, quæ ad fidem et mores pertinent : ergo.

IV. Ex *acceptione decreti.* Auctoritatem a Concilio Vulgatæ adscriptam non esse accipiendam infinite, sed definiri limitibus doctrinæ fidei et morum, docent. 1° Theologi huic Concilio *præsentes;* inter quos And. Vega, l. 2 de Conc. Trid., c. 9, scribit, Vulgatam tantum declaratam authenticam, quatenus nullo sit deformata errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide aut moribus colligi queat; testemque laudat Card. Cervinum Pontificis tunc in Concilio legatum, postea P. M. Marcellum II. appellatum, qui id sibi, tum pridie quam ederetur decretum, tum posthac sæpius asseveravit, poteratque scribenti hæc Vegæ superstes ad retractationem eum compellere, si quid falsi allegasset. His similia docent Melch. Canus, l. 2 de Loc. Theol., c. 13, et Didac. Payva ab Andrada, l. 4, Defens. Vulgatæ : idem de Jac. Laynez refert in Proleg., c. 19, Serarius. 2° Theologi Concilio eidem *coævi,* nempe Sixtus Senens. Lib. 8, Bibl., sanctæ, Gilb., Genebrardus in præf. ad op., Origenis, Jodoc. Tiletanus in apol. Conc. Trid., Bellarm., l. 2 de Verb. Dei, c. 11, et in singulari dissertatione de editione latina vulgata, nuper ex autographo typis hujatibus excusa. 3° Theologi Tridentino *posteriores* plurimi, quos inter celebriores sunt Simeon de Muis l. de auctorit. textus hebr., Joan. Mariana Tr. de Vulg. edit., Nicol. Serarius loco nuper laudato, Bonfrerius et Joan. de la Raye in Proleg., Nat. Alexander, Sec. 4. Diss. 39. Benign. Bossuet. in tentamine unionis, etc.

Conf. I. Emendatio Bibliorum post Tridentinum etiam iterata Vulgatam necdum liberavit penitus ab omnibus mendis, sive eas Interpretis sive Librariorum dixeris. Fatetur enim id auctor Præfationis Bibliorum auctoritate Clementis VIII, editorum, dum scribit : *Quamvis in hac Bibliorum recognitione in codicibus manuscriptis, hebræis græcisque fontibus et ipsis veterum Patrum commentariis conferendis non mediocre studium adhibitum fuerit; in hac tamen pervulgata Lectione, sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt.* Idem confirmat Bellarminus correctionis Clementinæ particeps in ep. ad Lucam Brugensem ita scribens : *Scias velim Biblia vulgata non esse a nobis accuratissime castigata : multa enim de industria justis de causis pertransivimus, quæ correctione indigere videbantur.* Idipsum apertius probat Index variorum mendorum ex annotationibus Lucæ Brugensis et aliarum a Nat. Alexandro l. c. collectus et contra Frassenium vindicatus.

II. Ratio authentiæ immunitatem hujusmodi in Vulgata non exigit; tum quia nemo quasi non authenticam in judicio rejicit instrumenti translatio-

nem, ob leves atque ad substantiam minime pertinentes errores in ea forsan cubantes : tum quia vulgata versio in Conciliis Tridentinum et correctionem præcedentibus fidem fecit et publicam auctoritatem habuit, quantumlibet erroribus pluribus non careret.

III. Tridentinum Vulgatam declarando authenticam nec voluit nec potuit præstare dictam immunitatem : *primum* quidem, quia Pontifici Legati ipsi testantur. « Tridenti quoque animadversa fuisse Vulgatæ menda; se tamen noluisse idcirco illam universe pronuntiare mendosam : arbitratos et honorificentius et conducibilius esse, si reipsa remedium adhiberetur exemplo ad exequendum decretum mendis purgato in lucem edito, et a Pontifice ac Synodo comprobato; » ut Pallav. Hist., Conc. Trid., l. 6, c. 17, ex litteris eorum Romam missis enarrat : *Secundum* vero, quia Concilia non solent divinare more Prophetarum, sed ex verbo Dei Scripto vel tradito, aut certe ex aliis principiis conclusiones suas, novis erroribus contrarias, derivare. Cum vero Tridentinum authentiam Vulgatæ nec potuerit colligere, nec reipsa collegerit ex alio principio, quam longo Ecclesiæ usu; hic autem usus nequeat probare Vulgatam ab omnibus omnino erroribus, etiam levioribus, immunem : sequitur Tridentinum non potuisse hanc immunitatem præstare; maxime cum et Patres plures, Hilar., nempe in Psal. 118, Mar. Victor, l. 2 cont. Arian.; Aug., ep. 19 ad Paulin., Hier., in psalmis et alibi passim errores latini Interpretis in Vulgata nostra etiamnum toleratos notarint; ut Bellarm., in dissertatione memorata contendit.

31. *Objic.* Vulgatam esse absolute authenticam, colligitur ex Tridentino. *Prob.* Concilium in decreto de edit. et usu sac. lib. declarat. 1° Eam authenticam, sine addito diminuente aut restringente, ut ex verbis (num. 28) relatis patet : ergo. 2° Ibidem statuit, ut Vulgata in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, etc., pro authentica habeatur : ergo authenticam declarat secundum omnes partes, secundum quas potest et solet citari in illis publicis actionibus : sed in his secundum omnes omnino partes, etiam ad fidem et morum doctrinam non pertinentes, potest et solet citari : ergo. 3° Item prohibet, ne quis Vulgatam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat : ergo vel Vulgata est absolute et quoad omnes partes authentica; vel rejici potest legitime quoad eam partem, secundum quam non asseritur authentica. 4° Idem in decreto de canon. script., ait : *Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit; anathema sit* : ergo Vulgata secundum omnes partes, et sic absolute, est authentica.

R. Ad Arg. — *N. ass.* Ad hujus prob. 1° *D.* Declarat vulgatam authenticam sine diminuente aut restringente expresse addito, C. sine tacite addito ac subintellecto, N. Modificationem nempe sat loquitur scopus, objectum et comparatio decreti, ut ostensum est.

2° *D. Cons.* Declarat authenticam secundum omnes partes, secundum quas in lectionibus, disputationibus, etc., potest et solet citari pro confirmandis dogmatibus et informandis moribus, C. pro et in quacumque materia et argumento, ab his duobus objectis diverso, N.

3° *N. utr. p. Cons.* Neque enim ex eo, quod Vulgata nequeat aut universim aut secundum spectantia ad fidem et mores rejici, sequitur eam absolute et secundum omnes omnino partes esse immunem ab erratis et authenticam : neque ex eo, quod levia quædam errata adsint, authentia negari

potest, aut respui audacter aliquid, aut privata auctoritate, nec exspectato Ecclesiæ judicio, corrigi licet. Non prohibet tamen decretum hujusmodi, quominus liceat, debita cum modestia et servata erga Vulgatam veneratione, usurpare nonnunquam in rebus minus principalibus interpretationem aliam, pro more scilicet ipsius Ecclesiæ, quæ in Martyrologio Romano chronologiam 70 Interpretum adoptat, et in officio divino nonnunquam versione Itala utitur.

4° *D. A.* Et hic canon agit de partibus Biblia Sacra integrantibus, nempe de libris, capitibus et versibus, C. de partibus sententias conflantibus, nempe de verbis aut voculis, N. Agit enim vero hic loci Concilium contra Hæreticos, qui certas Scripturæ partes principales, ut libros Tobiæ, Judith et Machabæorum, aut certa Estheris et Danielis capita, aut quosdam Matthæi et Joannis versus inter apocrypha rejecerant.

Inst. 1° Patres et Præsides Concilii solas descriptorum, nullas interpretis mendas in Vulgata agnoverunt. Hinc 1° Patres non jusserunt Vulgatam recognosci et emendari, sed tantum quam emendatissime imprimi. 2° Romanis Aulicis contrarium sentientibus, et postulantibus in Decreto denuntiandum, de necessaria Vulgatæ recognitione et emendatione, apud Pallav., l. 6. Hist. Trid., c. 17, responderunt *primo* aliam rem esse *exemplarium depravationem*, aliam *codicis in se ipso : secundo* concesserunt quidem Vulgatam in aliquo loco videri ab Hebraica locutione discrepare, humilique serpere stilo, nec extra barbarismum aliquem aut solœcismum; cæterum tanquam *tutissimam* laudant : *tertio* putarunt sufficere ad exequendum decretum, si reipsa remedium adhiberetur, exemplo mendis purgato, edito in lucem. Ergo.

R. Quoniam non de privata et personali, sed de manifestata et litterali sententia loquimur, *N. A. et ad prob. N. Cons.* Imprimis enim cum vulgata interpretatio probaretur, recognosci et emendari non debuerat; ne aut nova aliqua editio cuderetur, aut antiquus Interpres corrigeretur : poterat tamen emendata impressio curari; cum hæc cura Amanuensium sphalmata, non item Interpretis lapsus attingeret. Deinde Aulicis Romanis errata Interpretis accusantibus, *primo* quidem recte opposuerunt Præsides Concilii discrimen inter depravationem exemplarium et codicis in seipso corruptionem, ad ostendendum nempe, errata omnia non profluxisse ab Interprete : subjunctis tamen verbis; *utcumque se res haberet*, declararunt, se non esse ausos, Interpretem ab omni culpa liberare. Fatentur præterea *secundo* Interpretem in nonnullis ab Hebræa locutione discrepare, cæterum versionem laudant tutissimam, sed inde duntaxat, quod *tam diuturnò tempore illi nunquam hæreseos nota fuerit inusta;* quod idem est, ac authenticam tantum quoad fidei dogmata asserere. Denique *tertio* iisdem Romanis postulantibus mentionem fieri debere correctionis faciendæ, potius censuerunt, exemplum mendis purgatum in lucem edere, non quod vitia Amanuensium sola adessent, sed, ut Bellocastrensis in cœtu peculiari monuit, ne ansa præberetur hæreticis cavillandi, perinde quasi dum reciperetur simùl Vulgata et simul etiam declararentur ipsius exemplaria tanquam corrupta, liber idem comprobaretur eadem opera, simulque improbaretur, apud Pallav., l. 6, c. 15.

Inst. 2° Congregatio interpretum Tridentini, Clemens VIII. Bibliorum ad mentem Tridentini editorum auctor, et Historicus hujus Concilii adversantur. *Prob.* 1° Decretum ab ea Congregatione an. 1576 die 17 Jan. sic habet : *Congregatio generalis censuit, nihil posse asseverari, quod repugnet vulgatæ*

editioni; etiamsi esset sola periodus, sola clausula, vel membrum, sive vox, sive dictio sola vel syllaba, iotave unum. 2° Præfatio in Bibliis jussu Clementis editis ita loquitur : *In hac editione nihil non canonicum, nihil adscitium, nihil extraneum apponere visum est.* 3° Pallav., l. 6, pluribus in Capitibus Vulgatam docet absolute authenticam esse declaratam.

R. — *N. ass.* Ad ejus *prob.* 1am *R.* 1° Hanc declarationem a Serario in Proleg. et Petitdidier in Script. jure haberi suspectam et non authenticam; tum quia Sixtus V et Clem. VIII, jubentes Biblia sacra recognosci, ipso facto illam repudiarunt : tum quia nunquam authentica forma fuit producta; quia ab auctoribus, qui eam referunt, desumpta est ex editione Marzillæ, cujus collectionem declarationum memoratæ Congregationis Alexander VII in Indicem librorum prohibitorum conjecit. *R.* 2° *D.* Congregatio prohibet asseverari vel unum iota, quod repugnet Vulgatæ quoad doctrinam fidei et morum, C. quoad alia, *subd.* ne quis privata auctoritate id faciat, audacter et præsumptuose mutando impressionem, C. ne quis errata discutiat summoque Pontifici proponat, aut servata Vulgatæ veneratione modeste exponat N.

Ad 2am *R.* 1° Præfatio Bibliis præfixa nec nomen Clementis, nec Sacri Collegii, nec singularis Doctoris præfert, sed anonyma est; adeoque juxta Serarium non aliam, quam qualiscumque docti et pii prolocutoris, auctoritatem habet.

R. 2. — *D.* In hac editione nihil non canonicum, adscitium et extraneum esse appositum asseritur ad excludenda errata etiam leviora et mendas quascumque, N. ad excludendos libros, textus et versus apocryphos, notas item aliaque adjuncta, C. Hinc enim statim subjicitur : *Atque ea causa fuit, cur liber* 3 *et* 4 *Esdræ inscripti, quos inter Canonicos libros sacra Tridentina synodus non annumeravit, ipsa etiam Manassæ oratio... extra Scripturæ seriem posita sint, et nullæ ad marginem concordantiæ..., nullæ notæ, nullæ variæ lectiones, nullæ denique præfationes, nulla argumenta ad librorum initia conspiciantur :* quamvis hæc apponi, sed alio characteris genere, postea non prohibeat.

Ad 3am — *D.* Pallavicinus ut Theologus admittit Vulgatam absolute authenticam, T. ut Historicus, N. Nullum enim ab eo monumentum allatum est, quo id probetur. Quin ipse, l. 6, c. 17, n. 9, sic loquitur : « ostendam, quicumque impugnat arctiorem et absolutissimam conformationem expositionis Vulgatæ cum locutione divina, impugnari ab eo peculiarem Theologorum classem, non Ecclesiam Catholicam universam, in qua interdictum non est cum altera classe sentire, minus arcte decretum interpretante, utpote nixa ipsius verbis, quæ simpliciter authenticam illam versionem appellant, simulque præcipiunt, ne illa in concionibus, neve in prælectionibus aut in commentationibus rejiciatur. Quod sane statuit, ipsi errores non inesse ad fidem moresque pertinentes; ac præterea in eadem nec fraudem, nec apertam discrepantiam, ne minimam quidem a divina scriptione, nec ullam secum ipsa repugnantiam contineri; in quibus illa si deficeret, nec authentica esset, nec digna, quæ ab Ecclesia reciperetur. » Subjungit postea, num. 10. « Quod autem Vulgata translatio exemplari primævo per omnes leviores minutasque particulas conformetur, nec ab illo declinaverit, vel in certa arbore, vel in certo animante, pro aliis alias exponendo, pia est aliquorum sententia; quam quidem qui respuat, non damnatur ab Ecclesia. »

Inst. 3° Si Vulgata non foret absolute authentica, evenirent multa absurda. Sequeretur enim 1° eam nihil amplius habere, quam opera Divi Thomæ; cum illa etiam a variis Pontificibus declarentur sine ullo in fide errore conscripta. 2° Eamdem non posse dici simpliciter authenticam; quia, ut sit authentica copia, eam cum originali in omnibus convenire oportet. 3° Vel Ecclesiam, dum Vulgatam versionem quantumlibet mendis levibus aspersam, proponit ut authenticam, nos inducere in errores saltem innoxios: vel non omnia Vulgatæ inserta debere credi, licet communis fidelium, imo et Theologorum, sensus sit pertinere ad fidem omnia in Scripturis sacris revelata et ab Ecclesia proposita. 4° Posse sine hæresis labe negari pleraque V et N. Testamenti historica, cum ad fidem illa non pertineant.

R. ad Arg. — *N. ass.* Ad ejus *prob.* 1am *N. seq.* Faciunt ipsi Pontifices distinctionem, cum Innoc. VI de D. Thoma dicat : *Hujus doctrina præ cæteris, excepta Canonica, habet,* etc.; suaque approbatione generali faciunt quidem prudentem credibilitatem, non autem fidei objectum : unde et transmissa D. Thomæ auctoritate, Doctores nonnunquam recedunt ab ejus sententia; præsertim quia de doctrina D. Bonaventuræ, qui tamen ab Angelico in multis discrepat, æque magnificum judicium in Bullis Pontificum legitur.

Ad 2am *N. seq.* Additam rationem *D.* ut copia sit authentica, debet convenire cum originali in omnibus, siquidem sit merum apographum et in eadem lingua transumptum, T. si sit translatum et aliud in idioma versum, *subd.* debet convenire in omnibus etiam minimis, N. in substantialibus, et pro indole versionis ac linguæ, C. Quantumvis vero authentiæ vocabulum alibi intelligatur arctius, et omnimodam conformitatem per se exigeret, liberalior tamen ejusdem usurpatio et in usu etiam est, et a Conc. Tridentino hic est adhibita, ut nuper ostendimus.

Ad 3am *N. seq. primam;* Cum Ecclesia declarat Vulgatam duntaxat authenticam in his quæ ad fidem et mores pertinent, et facta etiam Bibliorum emendatione, innotuerit consulto immutata esse relicta nonnulla, quæ mutanda videbantur; per hujusmodi declarationem fideles nec inducuntur in errores noxios, utpote quorum nullus in Vulgata est, nec in non noxios utpote quos authentia non attingit, et monitio data etiam excludit. *Secundam D.* sequitur non omnia ad fidei et morum doctrinam spectantia debere credi, N. alia illa, de quibus (num. 27) diximus, C.; sed Nego, hæc aut esse revelata, aut ab Ecclesia tanquam authentica fuisse proposita.

Ad 4am *N. seq.;* Tum quia historiæ sæpe sunt libri integri, aut insigniores partes Scripturæ, quæ ex decreto Ecclesiæ aperte pro canonicis habentur : tum quia in his plurima sunt, quæ spectant divinæ voluntatis pietatem et mores. Quin ne nomina etiam quædam locorum, urbium, fluminum, plantarum, aut similia negari facile aut temere possint, prohibet decreti periodus de non rejicienda Vulgata superius exposita.

Inst. 4° In Scriptura sacra, prout a Deo dictata, nec levissimus error admitti potest : ergo nec in translatione ejus authentica; præsertim cum, sicut providentiæ Dei est servare ipsam Scripturam puram et integram, sic erit et authenticam ejus versionem præstare immunem.

R. — *N. Cons.* Error, si quis in Scriptura prout a Spiritu sancto dictata foret, reduceretur in Spiritum sanctum, tanquam primarium auctorem; unde nullus hac ex parte admitti potest : error autem versioni insertus nec in Spiritum sanctum reducitur, cum translationis non sit aut dicatur auctor;

nec in Ecclesiam, quæ licet versionem statuat authenticam, hanc tamen declarationem non extendit ad omnia, monetque nonnulla immutata esse relicta, quæ mutanda videbantur; adeoque errores hos non approbat, sed mere permittit. Atque hæc eadem ratio est diversæ providentiæ circa Scripturam autographam et ejus versionem; nam in apographis æque non repugnat inveniri errores, qui tribui debent ex scriptoribus, sicut in translatione librariis vel interpreti.

Inst. 5° S. Hieron. Scripturam aut interpretando aut interpretationem emendando non magis dici potest errasse in levissimis, quam nunquam errasse in magnis, ad fidem et mores pertinentibus; cum dotes et adjumenta, quæ præstabant immunitatem posteriorem, aut priorem etiam, aut neutram præstitisse dicenda sunt.

R. Quantæcumque S. Hieronymi dotes neutram quidem immunitatem certo, et utramque probabiliter tantum præstabant : probabilius tamen id fecerunt in substantialibus, ad fidei scilicet et morum doctrinam pertinentibus, cum pro rei gravitate acuatur etiam industria, in levioribus facilius dormitatio quædam obrepat. Quantumvis vero facultas pro utraque in Vulgatæ auctore adfuerit; voluntatem tamen omnia ad litteram vertendi nonnunquam defuisse, et assuetudini hominum aliisque causis aliquid esse tributum, et quædam mutanda permansisse immutata, compertum habemus.

32. *Observa.* I. Cum in decreto Trid. hactenus examinato Vulgata solum cum aliis latinis editionibus comparata declaretur authentica; aperte colligitur, per hanc declarationem nihil derogari authentiæ, quam Græcis Hebræisque fontibus præter Protestantes multi Catholici, et versioni 70 Interpretum contra priores plerique postremi tribuunt. Quare hodiernis etiam horum exemplarium editionibus auctoritatis possessio facile a nobis permittitur, quam certam iis adfuisse (num. 11 et 16) innuimus, et *Scriptura polemice explicata* pluribus vindicavit. Hanc tamen authentiam imprimis esse duntaxat respectivam, et ultra errores in fidei morumque materia non excludere leviores quascumque mendas, fatentur eruditi plerique omnes, probant lectiones variantes plurimæ, testantur litteræ Tridenti, an. 1546, die 24 et 26. Apr. Romam datæ, quibus Præsides Concilii emendationem etiam Hebraicæ et Græcæ editionis desiderarunt : deinde eamdem implicitam tantum et vulgarem esse, non autem judicialem et explicitam, patet ex defectu facti, quo legitimus magistratus de illis aliquid publice edixerit.

33. II. Nec *juvat dicere*, declarationem hujusmodi haud necessariam esse exemplaribus Hebræis et Græcis olim jam probatis : tum quia non constat de antiquissimorum etiam exemplarium probatione et sinceritate; tum quia, etsi constaret, illa a solo usu habetur, adeoque tacitum tantum magistratus legitimi consensum supponit : nec pro versione 70 Interpretum provocare licet ad decretum Sixti V. Romanæ editioni, an. 1586 præfixum, quia id quidem editionem hanc jubet *ab omnibus recipi et retineri ut utilem ad latinæ vulgatæ editionis et Patrum intelligentiam*, non autem ut authenticam. Nisi itaque occurrente editionum discordia error argumentis certis tribui debeat Vulgatæ, hujus lectionem et sensum tueri omnino oportet; utpote quæ et antiquitate, qua punctationem Hebræi codicis præcedit, et judiciali Ecclesiæ auctoritate, qua solitarie gaudet, majorem fidem meretur, quam aut ars critica aut hominis privati eruditio conciliare queat.

ARTICULUS V.

AN ET QUO INTERPRETE INDIGEAT SCRIPTURA?

34. *Nota.* Scripturam sacram esse fidei regulam, tum ex probata ejus existentia ac divinitate sponte sua sequitur, tum Catholicos inter et Novatores convenit. Hæc porro regula quia rationalis est, non aliter quam per cognitionem seu intelligentiam humano intellectui applicari potest; et quia est fidei divinæ, intelligentia hujusmodi dubia aut falsa esse nequit: adeoque vel ipsa Scriptura sacra clare et perspicue proponere debet credenda; vel interpres requiritur ab errore et fallacia immunis, qui in proponendis obscuritatem dissipet, dubiumque dissolvat.

Hic vero discrepant a Catholicis Novatores; et 1° quidem aliqui Scripturam sacram universim clarissimam et maxime perspicuam affirmant: alii 2° obscuritatem admittunt, sed circa Scripturam tantum, et externam; ab ignorantia scilicet linguæ originalis, phraseon et stili scriptorum, rationis temporum locorum, et antiquorum usuum provenientem; non autem internam aut sensui Scripturæ et argumento inhærentem: rursus et alii 3° internam quidem Scripturæ obscuritatem fateri non repugnant; sed vel topicam duntaxat et quibusdam in locis, simulque talem, quæ comparatione cum clarioribus aliis facta per ipsam Scripturam elucidetur; vel respectivam solum pro infidelibus, superbis, aut curiosis, minime vero pro fidelibus, humilibus, et lucem divinam postulantibus, utpote quos Spiritus, cuilibet desuper concessus, quem vulgo privatum dicimus, interius illuminet, vel Princeps etiam secularis, præscripta credendi formula, exterius erudiat: alii denique 4° omissa de obscuritate quæstione, sufficere putant, si quivis, quantum ipse ex Scriptura discendo capere possit, credendum sibi decerpat, reliquorum, quæ ipse perspicere nequit, non admodum curiosus aut sollicitus.

Catholici e contra, tametsi Scripturam in nonnullis claram concedant, et fateantur etiam obscuritatem tum topicam per ipsam Scripturam, tum respectivam per magisterium sive internum sive externum, adhibitis maxime sua ex parte dispositionibus, nonnunquam dissipari; statuunt tamen unanimiter Scripturam in multis intrincse et absolute obscuram, adeoque præter Scripturam, interpretem memoratis dotibus pollentem esse necessarium, qualem esse spiritum privatum aut magistratum secularem pernegant. Cum his:

35. *Dico I.* **Scriptura sacra in multis est intrinsece et absolute obscura.**

Prob. Illud intrinsece et absolute obscurum est quod vel studio occultatur, vel per se difficile est intellectu aut caliginosum, et ad quod intelligendum etiam fidelibus, piis et humilibus, quantumvis linguæ aliarumque rerum gnaris, necessaria est illustratio superna: sed multa hujusmodi sunt in Scriptura sacra; ut testatur Christus de suis sermonibus Luc. 8, v. 10: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant;* Petrus de Pauli episto-

lis, ep. 2, c. 3, v. 16 : *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant;* idem de historia Christi baptizati, ibid., c. 1, v. 19 : *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco; donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris :* Item David de lege divina Psal. 118, v. 34 : *Da mihi intellectum et scrutabor legem tuam,* et v. 135 : *Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas;* Discipuli Christi de Scripturis, de quibus dicitur Luc. 24, v. 45 : *Tunc aperuit* Christus *illis sensum, ut intelligerent Scripturas;* Eunuchus de Prophetia Isaiæ, quem cum Philippus interrogasset : *Putasne intelligis, quæ legis?* respondit Act. 8, v. 31 : *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Ergo.

Conf. I. Eamdem Scripturæ obscuritatem apud Bellarminum et Coccium affirmant Patres plures, ex quibus duos duntaxat proferre juvat, et quidem in iis tantum locis, ubi causas etiam obscuritatis produnt. Primus est S. Aug., qui l. 2 de Doctr. Chr., c. 6, ait « Multis et multiplicibus obscuritatibus et ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt : quibusdam autem locis, quid vel falso suspicentur, non inveniunt; ita obscure quædam dicta densissimam caliginem obducunt : quod totum divinitus provisum esse non dubito, *ad edomandam labore superbiam.* » Ibidem Deo providente Scripturas obscuras asserit, *ad intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt.* Idem, in Psal. 146, v. 6 : « Noli accusare aut obscuritatem aut quasi perversitatem Scripturæ. Perversum hic nihil est, obscurum autem aliquid est : non ut tibi negetur, sed ut exerceat accepturum. Ergo quando obscurum est, *medicus illud fecit, ut pulses : voluit, ut exercereris in pulsando; voluit, ut pulsanti aperiret. Pulsando exerceberis, exercitatus latior efficieris : latior factus capies quod donatur.* » Ibid., in v. 8.

« Ad hoc ergo ille cooperit cœlum nubibus, ut paret terræ pluviam : ad hoc obscura esse voluit dicta Prophetarum, *ut haberent postea servi Dei, quod interpretando influerent super aures et corda hominum,* excipientium de nubibus Dei saginam lætitiæ spiritalis. » Et l. cont. mendac., c. 10 : « Quæ propterea figuratis veluti amictibus obtegentur, *ut sensum pie quærentis exerceant, ac ne nuda et prompta vilescant;* quamvis, quæ aliis locis aperte ac manifeste didicimus, cum ea ipsa de abditis eruuntur, *in nostra quodammodo cognitione renovantur, et renovata dulcescunt* : nec invidentur discentibus, quod his modis obscurentur, sed commendantur magis, *ut quasi subtracta desiderentur ardentius, et inveniantur desiderata jucundius.* »

Alter est S. Joan. Chrysostomus, qui in c. 23 Matth., hom. 44, inquit : « Ratio obscuritatis multiplex est... Primum, *quia Deus alios voluit esse Doctores, alios discipulos...* Deinde obscurata est notitia veritatis, *ut non tam utilis inveniatur, quam non contemptibilis :* contemptibilis enim est, si ab illis intelligatur, a quibus nec amatur nec custoditur. Non ergo abscondita est in Scripturis veritas, sed obscura : *non ut non inveniant eam, qui quærunt eam; sed ut non inveniant, qui quærere eam nolunt :* ut *ad illorum quidem gloriam* pertineat, qui inveniunt eam; quia desiderarunt eam et quæsierunt et invenerunt : *ad illorum autem condemnationem,* qui non inveniunt eam; quia nec desideraverunt eam, nec quæsierunt, nec invenerunt. »

Conf. II. In Scripturis duo considerari possunt, *res* scilicet, quæ dicuntur, et *modus,* quo dicuntur : sed ex utroque nascitur obscuritas. Quæ enim sub *rebus* continentur, obscura sunt : 1° Mysteria altissima de Deo ejusque operatione, de Trinitate, Incarnatione Verbi, Prædestinatione, Sacramentis,

Peccato originali, etc. 2° Prophetiæ de rebus etiamnum futuris, et vaticinia per eventus quidem, sed nobis penitus non perspectos, jam completa : 3° credendorum et agendorum leges et dictamina; de quorum sensu, extensione, obligatione et usu tanta adhuc inter eruditos etiam dissensio : 4° historiæ; quarum vel materia vel adjuncta vel tempus incerta et dubia manent : quibus accedunt sensuum usurpandorum incertitudo, diversitas scopi, et figuratorum multiplicitas.

Quæ autem ad *modum* pertinent difficultates plurimæ oriuntur præter phrases et idiotismos linguis originariis proprios : 1° ex defectu et incertitudine signorum; 2° ex notione varia, ambiguitate et æquivocatione verborum; 3° ex redundantia aut imperfectione vel præpostero ordine sententiarum; 4° ex frequentia troporum et figurarum; 5° ex antilogiis in speciem occurrentibus; 6° ex comparationibus, distinctionibus et interpretationibus per diversimode sentientium notas adjectis. Unde et ipse Lutherus coactus est dicere in præf. ad Psalmos : « scio esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri, unum Scripturæ librum a se in omnibus partibus esse intellectum. » Et apud Aurifabrum in Sympos. « Scripturas sacras sciat se nemo degustasse, nisi centum annis cum Elia, Elisæo, Joanne Baptista, cum Christo et apostolis Ecclesiam gubernarit. »

36. *Objic.* Scriptura tribuit verbo Dei claritatem absolute, obscuritatem tantum respective : primum quidem, quia Apostoli, Matth. 5, v. 14 : dicuntur *lux mundi :* Præceptum Domini, Ps. 18, v. 9 : *Lucidum, illuminans oculos.* Verbum Dei, Ps. 118, v. 105 : *Lucerna pedibus, et lumen semitis.* Mandatum Domini Deuter. 30, v. 11 : *Non supra nos neque procul positum :* secundum vero, quia in 2 ad Cor. 4, v. 3, scribitur : *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum; in iis, qui pereunt, est opertum.* Ergo.

R. Ad Arg. — *D. ass.* Scriptura tribuit verbo Dei claritatem absolute, et obscuritatem tantum respective in aliquibus, C. in omnibus N. vel *subd.* supposita revelatione divina et præmissa declaratione Ecclesiastica, C. sine his, N. Textus allati vel ad rem non faciunt, vel sub hac modificatione sunt intelligendi. Nam 1° textus apud Matth., accipiendus est de luce exemplorum et probitatis, ut explicat, v. 11 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona;* non autem de luce doctrinæ, quasi nihil ab Apostolis aut scriptum aut traditum sit obscurum. 2° Verba Psalmorum non esse accipienda sine illis conditionibus declarant, Ps. 118, v. 18 : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua,* et v. 130 : *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* 3° Locus Deuteronomii vel agit de facilitate implendæ legis divinæ, ut, præter Patrum apud Bellarm., expositionem, manifeste indicat, v. 4 : *Juxta te est sermo valde in ore tuo et in corde tuo, ut facias illum :* vel agit de facili cognitione solius Decalogi, cujus præcepta tanquam naturalia ante omnem Scripturam a Judæis jam intelligebantur, et per Moysen explicata magis innotuerant. 4° Paulus verbis citatis non indicat nullum post Evangelii prædicationem latere mysterium; sed rationem reddit cur multi Judæorum adhuc non credant : nempe quia, ut prosequitur, *Deus hujus seculi excæcavit mentes infidelium,* etc.

Inst. 1. Patres asserunt Scripturam cuique apertam, nec indigam Interprætis. S. Aug., quidem l. 2 de Doct. Chr., c. 9, scribit : *In iis, quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem mores-*

que vivendi, spem scilicet et charitatem; S. Chrys., autem hom. 3 de Lazar.: *Cui enim non manifesta, quæcumque in Evangelio scripta sunt? quis autem audiens beatos esse mites, beatos misericordes, beatos mundos corde, cæteraque hujusmodi, desiderabit præceptorem, ut aliquid eorum discat quæ dicuntur? quin et signa, miracula, historiæ, nonne cuivis nota manifestaque sunt?* Et hom. 3 in 2am ad Thess.: *Quam ob rem opus est concionatore? omnia clara et plana sunt ex Scripturis divinis.* Ergo.

R. Superiorem distinctionem hic repetendam docent tum testimonia eorumdem Patrum superius laudata, tum contextus. Aug., enim l. c. præmittit : *Prima observatio est nosse illos libros, et si nondum ad intellectum, tamen vel mandare memoriæ, vel omnino non incognitos habere;* et subjungit : *Tum vero in ea, quæ obscura sunt, aperienda et discutienda pergendum.* Similiter Chrysost., subdit primo loco : *Quod si non poteris assiduitate lectionis invenire, quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad doctorem;* et loco secundo : *Nosti, quæ clara sunt; quid de obscuris rogas? mille historiæ sunt in Scripturis, dic mihi unam ex illis. Sed non dices. Prætextus sunt ista et inania verba;* nempe quibus multi torporem suum in lectione sacra excusare contendebant, ad quem excutiendum S. Doctor his amplificationibus utitur.

Inst. 2. Argumentum, distinctio et usus Scripturæ probant ejus claritatem. Nam 1° summa Scripturæ continetur in præceptis Decalogi, Symbolo, Oratione Dominica, et Sacramentis : sed hæc omnia illustrantur apertis Scripturæ testimoniis : ergo Scriptura etiam debet esse aperta. 2° In eo differunt vetus et novum Testamentum, quod vetus teste Isaia, c. 29, fuerit liber signatus, novum vero sit apertus; cum Apoc. 5. Agnus, qui occisus est, librum aperuerit et solverit signacula : ergo saltem novum Testamentum est clarum. 3° Non probatur notius per minus notum, sed contrarium fit juxta axioma Philosophicum : sed omnes dogmata fidei probant per Scripturam : ergo hæc debet esse notior, adeoque clara.

R. — *N. Ass.* Ad ejus *prob.* 1am *T. M.* inprimis *N. min.* cum alias nullæ jam circa hæc capita restarent cum Hæreticis controversiæ. Deinde *N. Cons.* quia permissa quantumvis illa Scripturæ summa, hujusque claritate, nihilominus in mysteriis, prophetiis, Canticis canticorum, aliisque tenebræ remanerent.

Ad 2am *N. A.* vel *D.* In eo differunt, quod Vetus Testamentum sit liber signatus tam quoad sententias quam quoad figuras; et novum sit liber apertus quoad figuras quidem, non autem quoad sententias, C. opposite quoad omnia, N. Quamvis umbræ figurarum in V. T. obscurantes, per N. T. lucem et complementa rerum sint discussæ; utrumque tamen Testamentum retinuit suum velamen quoad multas sententias.

Ad 3am *D. M.* Non probatur notius per minus notum notitia verborum, quæ stat in perspicuitate sententiæ, N. notitia veritatis, quæ in certitudine dictorum consistit, C. Hoc sensu dogmata fidei probantur demonstratione Theologica ex Scripturis, quia notius est, verum esse, quod habetur in verbo Dei, quam quod asseritur a Patribus vel Doctoribus, licet obscuriora sint Scripturæ verba, quam Patrum et Doctorum sententiæ, suis illa commentariis illustrantium.

37. *Dico II.* **In dubiis Scripturæ solvendis sola Scriptura non sufficit; sed datur vivi interpretis et judicis necessitas.**

Prob. Multa in Scripturis sunt obscura, ut probatum est (num. 35) :

multa etiam sunt controversa, ut constat experientia, tam circa ipsum Scripturarum canonem, quam circa textuum Scripturæ intelligentiam. Sed neque pro illis obscuritatibus exponendis, neque pro his controversiis decidendis Scriptura sola sufficit. Quoad *primum* enim vel textus clariores adsunt, qui obscuros illustrare queunt; ut circa obscuritatem ex *rebus* ortam manifestum est; vel si clariores adsunt, eorum tamen collatio factu est difficilis; et facta etiam omnem obscuritatem non tollit, ut Patrum sententiæ supra relatæ, et orthodoxorum cum Hæreticis ac Hæreticorum inter se vigentes controversiæ loquuntur. Quoad *secundum* autem, imprimis de canone sacrorum librorum Scriptura nihil edicit, neque signum aliquod externum prodit pro uno potius libro a Novatoribus admisso, quam pro altero ab iis rejecto : si quis autem liber divinitatem suam enuntiat, nisi aliunde constet divinitus eum inspiratum, tam parum probat se divinum, quam parum id præstat Alcoranus Mahometis, qui se missum de cœlo dicit : ad canonem Judæorum vel Christianorum prioris ætatis qui provocat, jam a solius Scripturæ criterio discedit.

Deinde vero pro intelligentia controversi textus, nec Scriptura sensum determinat, nec comparatio textuum causam decidit, nec regulæ hermeneuticæ qualescumque controversiam finiunt; cum Hæretici suum sibi errorem in Scripturis perspicere affirment, et adjumentis illis omnibus adhibitis repugnare veritati pergant. Ergo in Scripturæ dubiis sufficere Scriptura sola nequit, sed datur vivi interpretis ac judicis necessitas, sicut nempe lis de hæreditate cernenda ex solo testamento obscuro et a litigantibus ad suæ causæ patrocinium adducto, sine interpretis et judicis sententia, finiri non potest.

Conf. Ortis de lege ac fide atque ex Scriptura quæstionibus, Scriptura jubet et exemplis docet, ad vivum interpretem ac judicem esse recurrendum. Alterum liquet ex Deuter. 17, v. 8 : *Si difficile atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter causam et causam, lepram et lepram, et Judicum videris verba variare, surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus, veniesque ad sacerdotem et judicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis,* etc. Et ex 2 Paralip. 19, v. 10 : *Ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de cærimoniis, de justificationibus, ostendite eis.* Alterum ex Matth. 2, v. 4, ubi Herodes *congregans omnes principes Sacerdotum et scribas populi sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur;* et ex Atc. 15, v. 6 et 7, ubi quibusdam postulantibus, ut gentiles ad fidem Christi conversi subjicerentur circumcisioni et legi Mosaicæ, *convenerunt Apostoli et Seniores videre de verbo hoc; cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit,* etc. Item ex historia ecclesiastica ; unde constat nullam hæresin per solam Scripturam fuisse damnatam, nullamque causam absque vivorum judicum sententia terminatam fuisse.

38. *Objic.* Scriptura jussu et factis docet in dubiis esse recurrendum ad Scripturam : Sic Isa. 8, v. 20, jubet ire Dominus *ad legem magis et testimonium;* Joan. 5, v. 39. Christus Judæis ait : *Scrutamini Scripturas;* de Beroensibus autem Act. 17, v. 11, narratur, quod ad prædicationem Pauli *susceperint verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.* Ergo.

R. ad Arg. — *D.* Scriptura jussu et factis docet recurrendum esse ad Scripturam aliquando et alicubi, sc. ubi est clara, C. semper et in omnibus, *subd.*

illam vel ut medium licitum præferendo illicitis, vel ut utile adjungendo aliis, C. illam statuendo ut medium unicum aut sufficiens, N. Aliud testimonia allata non evincunt. Secundum priorem enim comparationem 1um esse accipiendum docet versus præcedens : *Cum dixerint ad vos; quærite a pythonibus et a divinis, qui strident in incantationibus suis : numquid non populus a Deo suo requiret?* Præterea ex contextu hic sensus solus sequitur : relinquite insanas illorum superstitiones, Deo solo contenti; qui plane huc est impertinens.

2um est potius contrarium, siquidem *scrutamini* sumatur in Indicativo, ut græca latinaque dictio permittit, versus sequens innuit, et cum Cyrillo apud Maldon. plures sentiunt; cum hunc faciat sensum : Vos quidem scrutamini Scripturas; sed quia non recipitis testimonium Joannis, nec creditis miraculis Christi, nec auditis verbum Patris, obcæcati estis et non creditis. Si vero sumatur in Imperativo, utile quidem non autem sufficiens medium est Scriptura; cum hic non ad eam solam, sed simul v. 33, 36, 37 : ad tria proxime memorata et neglecta Judæi remittantur.

3um Sistit nobis Beroenses vel ante, vel post susceptam jam fidem Christi? si 1um, ut Lorinus sentit, scrutando Scripturas motiva credibilitatis de divinitate Christi ad trutinam revocarunt; quod catechumeno necessarium est, quin fidelis jam ad idem teneatur : si 2um, ut textus ipse indicat, scrutatores Scripturarum non hic egerunt judicio definitionis, sed judicio discussionis, ad proficiendum scilicet in declaratæ jam a Paulo veritatis cognitione; ad quem scopum non inutilem concedimus Scripturam.

Inst. 1. Eadem non admittit interpretationem hominum; sed ipsa se, instituta textuum collatione, satis declarat : hinc Christus Joan. 5, v. 34, ait : *Ego autem non ab homine testimonium accipio;* et sequeretur alias fidem nostram pendere ab intelligentia humana, cum tamen ad Ephes. 2, v. 20, dicatur : *superædificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum;* Aug., autem l. 2 de Doctr. Chr., c. 6, scribit : *Nihil fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.* Ergo.

R. — *N. ass.* Ad ejus *prob.* 1am *N. Cons.* Allatus textus excludit tantum necessitatem testimonii humani, et quidem in materia singulari de divinitate Christi, quam Prophetarum oracula, Christi prodigia et Patris vox apud Jordanem abunde probaverat; non item ejus consortium et utilitatem, cum constet, Joannem Bapt. et Apostolos divinitus constitutos fuisse hujusmodi testes.

Ad 2am — *D. seq.* Fides nostra quoad substantiam penderet ab intelligentia humana, N. quoad explicatiorem modum, *subd.* ab intelligentia mere humana, N. simul divina, C. Nihil equidem credimus, nisi verbum Dei scriptum aut traditum; ideoque fides nostra stat superædificata fundamento Apostolorum et Prophetarum : sed hoc verbum nec certo cognoscimus, nec intelligimus, nisi proponente Ecclesia, cujus auctoritas non est mere humana; cum illi perpetuo adfuturus sit promissus Spiritus sanctus, et qui eam audierit, auditurus Christum dicatur.

Ad 3am *R.* Aug. sententiam tum ex allatis nuper testimoniis, tum ex particula *fere* hic inserta, non pertinere ad universam Scripturam.

Inst. 2. Deus promisit et testatur intelligentiam Scripturarum sine magisterio humano; siquidem Isa. 54, v. 13, habetur : *Dabo omnes filios doctos a Domino;* et Jerem. 31, v. 34 : *Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum... omnes enim cognoscent me a minimo usque ad maximum;*

ac 1 Joan. 2, v 27 : *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos : sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus : manete in eo.* Ergo.

R. — *N. ass.* Textus Isaiæ si cum Cyrillo intelligatur de doctrina Evangelii, indicat hanc non jam per Prophetas, sed per ipsum Filium Dei proponendam Judæis. Si cum Aug. exponatur de gratia divina, significat Spiritum sanctum interius persuasurum id, quod magister exterius proposuerit faciendum; quem postremum sensum ipse Dominus, Joan. 6, v. 45, declarat : *Est scriptum in Prophetis : Et erunt omnes docibiles Dei : omnis, qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Textus Jeremiæ per hyperbolen docet cognitionem Dei in N. T. fore familiarem, et clariorem uberioremque, quam in V. T. fuerat; instructionem autem humanam sive de hoc sive de aliis fidei objectis non excludit penitus; cum Matth. 28, v. 20; ad Eph. 4, v. 2 et alibi doctores a Deo constituti habeantur. Similiter textus Joannis non negat absolute, instructionem esse necessariam, aut ad fideles confirmandos; cum hoc ipsum hic Apostolus revera præstet : sed certum duntaxat modum; quem nimirum vel in rudibus et ignaris tironibus imbuendis, vel in reductis ad pristina revocandis usurpare oportet. Præterea locutio hæc est vel sperantis, Parthos ita in rebus fidei fuisse instructos, ut doctore amplius non egeant; vel commendantis tum suam doctrinam illorum institutioni conformem, tum eorum diligentiam.

39. *Dico III.* **Necessarius ejusmodi interpres ac judex non est spiritus privatus.**

Prob. Spiritus privatus haberi posset pro legitimo hujusmodi interprete ac judice, vel quia ad salutem sufficit credere illa quæ quis ex Scriptura pro sua capacitate addiscit credenda, vel quia interior fidelis cujuslibet persuasio est idonea credendi regula : neutrum dici potest : ergo.

Prob. Min. 1° Opinio prior caret omni fundamento, sive ex Scriptura et traditione, sive ex ratione et moribus Ecclesiæ : inimica est integritati fidei; et Trinitatis, Incarnationis, aliorumque dogmatum ignorantiam facit innoxiam, quorum scilicet mysteria captum humanum superant : contraria est œconomiæ divinæ, jam quam ex 1ª ad Cor. 12, v. 8 et seqq : *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ;.... alii interpretatio Scripturarum;* non autem omnibus : *Numquid omnes doctores? Numquid omnes interpretantur?* aliena est ab institutione Christi, Apostolis Matth. 28, v. 19 imperantis : *Euntes docete omnes gentes.... docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis;* repugnat disciplinæ Apostolicæ 1ª ad Cor. 14, v. 35, præscribenti mulieribus, *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent :* frustrat Ecclesiæ docentis sollicitudinem, Conciliorum definientium auctoritatem, Hierarchiæ ordinem, aliaque salutis media.

Prob. 2° Legitima Scripturæ interpretatio debet fieri Spiritu divino; tum quia, quo Spiritu scriptum est verbum Dei, eodem est exponendum : tum quia ex 2ª Pet. 1, v. 20 : *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.* Sed spiritus privatus, si consideratur ut communis et omnibus inest, divinus esse non potest; cum diversis diversa dictet, Spiritus autem Dei contrarius sibi esse nequeat; si autem consideratur ut est alicui specialis, sine revelatione alia incertum est an sit divinus; tum quia dari pseudoprophetas, et *qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident,* docemur ab Ezech. 13, v. 3 et Christo Matth. 24, v. 11 et seqq.; tum quia ab Apostolo mone-

mur 1 Joan. 4, v. 1 : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint :* Etsi autem et habenti veritatis spiritum hoc certum foret; is tamen ad fidem aliis faciendam non est idoneus, nisi accedat Ecclesiæ auctoritas, ut ex communicato cum Apostolis Evangelio suo Paulus ad Gal. 2, v. 2 ostendit, et Aug., l. 28 cont. Faust., c. 4, arguit : *Quis est ergo tam demens, ut credat nescio cui ex transverso de Perside post ducentos et amplius annos venienti... cum ipse Apostolus Paulus post ascensionem Domini de cœlo vocatus, si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando et cum quibus conferendo Evangelium, ejusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet.*

40. *Objic.* Jubemur ipsi examinare omnia : et probis promittitur veritatis revelatio. *Primum* patet ex 1ª ad Thess. 5, v. 21 : *Omnia probate : quod bonum est, tenete;* ex 1ª Joan. 4, v. 1 : *Probate spiritus, si ex Deo sint :* item *secundum* ex Luc. 11, v. 13 : *Pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se;* et Joan. 7, v. 17 : *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit.* Ergo.

R. ad Arg. 1° — *D.* Jubemur ipsi (sc. qui sensus exercitatos, ut ad Hebr. 5, v. 12, indicatur, aut donum discretionis spirituum habent,) examinare omnia, C. omnes et quicumque N. vel *Subd.* secundum criterium nostrum, N. secundum regulam fidei, C. Alterutrum distinctionis membrum pertinet ad testimonia laudata, maxime postremum, de quo ipsum Joannis cap. allatum pro regula fidei assignat Apostolorum et Ecclesiæ doctrinam.

2° *D.* Promittitur veritatis revelatio mere interna, et excludendo magisterium externum, N. hoc non excludendo, nec modum cognoscendi determinando. T. Siquidem textus prior de doctrina speciatim haud loquitur; posterior autem de Christi suam doctrinam aliunde probantis eloquio duntaxat agit.

Inst. 1. Fidelibus et spiritualibus asseritur facultas discernendi sensum Scripturarum. Scribitur enim ad Rom. 12, v. 6 : *Habentes autem donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive,* etc. Item 1 ad Cor. 2, v. 15 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei : spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur.* Ergo.

R. — *D.* Fidelibus et spiritualibus omnibus, et sine muneris donique discrimine asseritur facultas discernendi sensum Scripturarum, N. aliquibus, et pro singulari personarum qualitate, T. Præterquam enim, quod non omnes tantam fidem habeant et spirituales in memorato sensu sint; textus *primus* non significat prophetiam (sive ea dicatur vaticinandi sive Scripturam interpretandi donum) distribui pro magnitudine fidei, quam quivis habet, ut objectio contendit; cum multi magna fide prædiți careant penitus hac gratia gratis data : sed agit de usu hujus doni, et præscribit canonem, secundum quem nemo sive vates, sive interpres haberi aut suscipi possit, nisi cum fide fideique regulis congruat; contra ac pseudoprophetæ et hæretici faciunt. *Secundus* etiam soli quidem spirituali illam facultatem tribuit, sed non omni; docetque nihil valere carnis prudentiam in judicanda pietatis doctrina, eamque censuram ac jus illud residere penes unum Dei Spiritum : verum hunc spiritum dari omnibus neque hic neque alibi declaratur.

Inst. 2. Deus solus docet, et quilibet intelligit vocem Dei, juxta Matth. 23, v. 8 : *Vos autem nolite vocari Rabbi; unus est enim magister vester,* sc. Chri-

stus, *omnes autem vos fratres estis;* et Joan. 10, v. 27 : *Oves meæ vocem meam audiunt; et ego cognosco eas, et sequuntur me.* Ergo.

R. — *N. A.* Ad quod probadum allati textus non faciunt. Nam *primus* CHRISTUM quidem solum declarat magistrum ejusmodi, qui sit fidei auctor et religionis fundator, prohibetque Judæorum more Apostolos fieri sectarum et dogmatum fabricatores : adeo tamen non vetat esse communis dogmatis nuntios et unius religionis propagatores, ut potius apertis mandatis ad id officii eos designarit : quin et Doctoris nomen in Ecclesia Dei Apostolis Prophetis ac Pastoribus semper proprium et usu commune fuit; distincti autem ab his etiam Doctores, Act. 13, ad Eph. 4 et 1 ad Cor. 12 alibique celebrantur. *Secundus* de prædestinatorum divino ductu et obedientia, non autem de Scripturarum intelligentia loquitur : si tamen de hoc forsan accipiatur, modum loquendi specialem sicut non exprimit, sic nec excludit : quare cum ille modus a Deo institutus sit et familiaris, qui per os Ecclesiæ, vicarios Christi et Apostolorum successores perficitur, objectionis scopo obest potius, quam prosit.

41. *Dico IV.* **Neque interpres aut judex ille est magistratus politicus, sed Ecclesia.**

Prob. Dubia circa Scripturam solvenda habent pro materia Verbum Dei seu legem superioris; pro fine divinam fidem seu assensum certissimum; adeoque ut interpres et judex agat valide, debet esse auctoritate divina munitus, aut saltem divinitus ad hanc causam deputatus : ut agat licite et utiliter, immunem eum ab errore et fallacia esse oportet. Sed neutra conditio convenit magistratui politico; ut in Tr. de Legibus ostenditur; utraque autem propria est Ecclesiæ Catholicæ; ut in Disputatione sequente probabitur; ergo. Vide ibidem probationes ampliores una cum vindiciis.

42. *Observa.* Locuti hactenus sumus de interpretatione Scripturæ authentica, eamque auctoritatem tribuimus, non descendendo ad subjectum immediatum, penes quod in Ecclesia illa facultas resideat : prius quidem, quia hæc solum interpretatio objectum fidei constituit posterius; quia, ad fidem hoc interim sufficit. Sicut vero præter *authenticam* interpretationem legum datur alia quæ, quod a Doctoribus vel rerum gnaris fiat *doctrinalis* vocatur; sic eadem circa Scripturam in usu est, et ut a nobis breviter attingatur, meretur. Quoniam vero in *Scriptura polemica explicata* tum canones quidam generales pro genuino Scripturæ sensu dati sunt, tum varia adjumenta sunt allata; ita scriptionem moderabimur, ut non repetamus, quæ de notitia chronologiæ, monetarum, mensurarum, ac ponderum, aut de tropis et figuris aut de linguæ hebraicæ et græcæ idiotismis dicta sunt : quæ vero in canonibus nimis adstricta videntur, amplius explicemus, et quorumdam aliorum notitiam adjiciamus.

QUÆRES. *Quænam ad doctrinalem Scripturæ sacræ interpretationem faciant?*

43. *Nota.* Ad rite intelligendam Scripturam sacram et exponendam, sicut in disciplinis omnibus, ars continetur in regulis, exemplum datur ab Interpretibus : utrumque juvant dispositio legentis et methodus lectionis. De singulis pro instituto breviter.

44. *Respondeo I.* Dispositiones animi pro legendis et exponendis Scripturis

requisitæ, aliæ sunt remotæ, aliæ proximæ. *Remotæ* sunt 1° Puritas cordis; in malevolam enim animam aut corpus subditum peccatis sapientia non introibit : 2° Oratio; quia nonnisi postulantibus et orantibus sapientia promittitur : 3° Intentio recta; cum eo, quo Spiritu facta est Scriptura (ad manifestandam scilicet Dei, ejusque voluntatis ac veritatis cognitionem) perscrutanda sit. *Proximæ* sunt 1° Humilitas; qua ratio subjiciatur fidei, opinandique libido et philautia frænetur; 2° Simplicitas; qua excludatur curiositas aut noxia aut inutilis : 3° Sedulitas; qua vincatur torpor ac tædium, excitetur attentio et meditatio : 4° Moderatio, qua tum festinatio tum morositas nimia debite corerceatur.

45. *Respondeo II.* Methodus legendi sacram Scripturam stat in triplici ordine. 1us ordo est librorum : secundum quem universim ante vetus Testamentum et legendum novum, tanquam scopus et interpres veteris : speciatim autem tanquam faciliores præmittendi sunt historici, tum subjiciendi legales, his addendi sapientiales, postremo sequuntur prophetici. 2us est lectionis, quæ facienda est primum ad notitiam, necdum inhærendo difficultatibus sive mysterii : deinde repetenda est ad pleniorem cognitionem, litteralem sensum omni ex parte versando, tum mysticum indagando. 3us est adjumentorum, quæ sub initium capienda sunt ex synopsibus et concordiis; dein augenda notis grammaticis, chronologicis et geographicis; tandem amplificanda commentariis et disquisitionibus particularibus.

46. *Respondeo III.* Regulæ pro interpretandis Scripturis aliæ communes sunt libris sacris omnibus, aliæ speciales, seu his illisve libris propriæ. Ex cummunibus distinguimus regulas pro sensu litterali ab aliis pro sensu mystico : speciales ad Prophetias, Psalmos et Evangelia restringimus.

Regulæ pro sensu litterali. I. Omnis locutio propria proprie, figurata figurate accipiatur. II. Vox omnis et locutio accipienda est proprie, nisi necessitas aliqua cogat accipere eam improprie. III. Necessitas est accipiendi vocem aut locutionem improprie, si proprie accepta vel asserat aliquid repugnans aut fidei, aut Dei hominumve charitati, aut honestati morum; vel contextui et circumstantiis non congruat. IV. Ob repugnantiam cum fide accipiendus improprie est sermo : 1° qui Deo tribuit humana sive membra, sive officia, sive affectiones; 2° qui de Christo vel Ecclesia enuntiat prædicata ex rebus inanimatis vel irrationalibus desumpta; vel statum, negotia aut actiones ad seculi normam describit; 3° qui felicitatem, potestatem, ornatum, victum aliaque justorum sub rebus corporalibus proponit. V. Ob repugnantiam cum charitate aut honestate improprie accipiendus est sermo : 1° qui sævum quid et asperum sive contra se sive contra proximum jubere videtur; 2° qui molle quid aut carnale videtur præcipere aut commendare; 3° qui alterutrum a viris sanctis factum laudare vel imitandum proponere videtur.

Regulæ pro sensu mystico. I. Neque nimis vaga et libera sit sacrarum litterarum interpretatio mystica, neque nimium restricta : certa est, quam Christus ipse et apostoli fecerunt; probabilis saltem, quam usurparunt Patres. II. Res visibiles sic creavit Deus, ut non solum humanis usibus servirent, sed suis etiam proprietatibus adumbrarent res spirituales et cœlestes; unde plerisque præter litteralem unus vel plures sensus mystici convenire possunt. III. Deus per vetus Testamentum aliud nos docere voluit quam meras historias. IV. Omnia antiqui fœderis contingebant quidem in

figuris; in omnibus tamen omnino circumstantiis aut partibus scrutari mysteria vanum est aut noxium. V. Personæ vet. Test. celebres multæ significabant allegorice Christum, Israeliticus populus in multis Ecclesiam. VI. Historiæ, cerimoniæ, Sacrificia, Ritus Judicia V. T. præceptaque de iisdem præter sensum allegoricum sæpe habent etiam moralem et analogicum.

Regulæ pro Prophetiis. I. Non omnia Prophetarum dicta et facta sic ad futura referri debent, ut sui temporis historiam et populi salutem eos neglexisse putemus. II. Prophetæ historiam præteritam vel præsentem recitantes, aut futuram prænuntiantes, sæpe subjungunt prophetiam de Christo et Ecclesia, facto transitu de littera ad spiritum. III. Hic transitus certo adest, ubi dicta superant modum, qualitatem et ordinem personarum ac rerum quæ tractantur : si non superent, de utroque, figura et figurato, eadem verba intelligi possunt. IV. Sub eodem contextu transeunt Prophetæ de verbis præteriti temporis ad verba futuri et præsentis, aut e contrario, quin de diverso tempore loquantur : euntque ac redeunt ad res promiscue mixtimque traditas, absque servato ordine. V. Prophetiæ eadem sententiarum serie conscriptæ non semper totæ eodem tempore complentur, sed paulatim et secundum temporum successiones.

Regulæ pro Psalmis. I. Frequentes sunt in Psalmis repetitiones, sive iisdem sive aliis verbis : e contrario nec raræ sunt mutationes personarum, sive quæ loquuntur, sive de quibus et ad quas fit sermo. II. David in psalmis loquens plerumque gerit figuram Christi aut Ecclesiæ. III. Cum Christus loquitur, vel intelligendus est totus ac plenus, hoc est, et ipse tanquam caput, et ejus corpus quod Ecclesia; vel ex persona solius capitis aut solius corporis. IV. Corpus Christi rursus vel sumitur plenum ac integrum, pro omnibus scilicet membris, h. e. justis et peccatoribus, perfectis et imperfectis, fortibus et infirmis, tribulatione afflictis et solatio recreatis, etc.; vel pro uno aut altero membro. V. Personæ Christi et Ecclesiæ opponitur dæmon et perversorum turba; qui ad rationem priorum varie accipiuntur, dum David de vi et persecutione, bellis et periculis hostium loquitur.

Regulæ pro Evangeliis. I. Evangelistæ tum testimonia vet. Testamenti, tum gesta et dicta suæ historiæ nonnunquam referunt diversis verbis, quam ab antiquis et coævis scriptoribus sacris fuerint relata; quia ad res et sententias præcipue attenderunt. II. Evangelistarum quisque aliqua prætermittit, quæ alius recitat : et unus has, alter illas circumstantias narrat; pro ratione scilicet cuivis propria, et absque contradictione. III. Ubi quidpiam ab uno Evangelista narratur, cui simile etiam refertur ab altero, sed ita ut in uno alterove puncto appareat contradictio quæ consiliari nequeat, utrumque factum reipsa esse, et aliud ab alio commemoratum, teneatur. IV. Dum Evangelistæ in sermonis continuatione utuntur verbis, *in illo tempore, tunc, postea,* aut similibus, indicant quidem, quæ narrantur facta fuisse consequenter, non autem continuo; si nulla temporis consequentis differentia exprimatur, de re tantum facta, non item de serie factorum, certi reddimur : cum Evangelistæ non raro rerum, quas gestas narrant, ordinem negligant, prius factum referendo posterius, aut e contra. V. In parabolis præcipue attendatur ad scopum et intentionem, propter quam illæ proferuntur : reliqua earum adjuncta ornatum narrationis faciunt, mysterium autem sensus non habent, nec explicationis necessitatem imponunt.

47. *Respondeo IV.* Interpretes, qui in enarrandis et exponendis Scripturis sacris operam posuerunt, in varias classes distingui possunt. 1° Quidem secundum sensum quem sectantur, in Litterales et Morales : 2° secundum methodum quam tenent, in Abbreviatores, Annotatores, Disputatores, Commentatores, Rapsodos seu Collectores, etc. : 3° secundum materiam quam tractant, in Universales et Particulares, prout nempe vel totam Scripturam, vel partem ejus aut unum pluresve tantum libros exposuerunt : 4° secundum tempus, in antiquos, Medii ævi, et Recentiores. Syllabum eorumdem aliquem daturi, omnium harum classium rationem aliqualem habebimus : ita tamen ut celebriores duntaxat referamus, et quidem qui vel in universam Scripturam, vel saltem in totum Vetus aut Novum Testamentum scripserunt : quod postremum litteris initialibus indicabimus. Placuit autem ob conformitatem cum posterioribus ordinem chronologicum sectari, et ad periculum avertendum Interpretes Heterodoxos litteris majoribus distinguere, dum Catholici et Judæi minoribus notabuntur,

Seculum I et II. Jonathan filius Uzielis, Onkelos et Joseph cæcus scripserunt Targum, h. e. Translationem et Paraphrasim Chaldeo sermone in V. T. Philo Libros continuæ Explicationis, Quæstionum et Propositionum in V. T. Flavius Josephus in Libris de Antiquitatibus Judaicis continuam velut Paraphrasin in V. T.

Sec. III. T. Flavius Clemens Alexandrinus in Libris Hypotyposeon seu informationum compendiariam Expositionem. Ammonius Alexandrinus Consonantiam Moysis et Jesu ac Harmoniam Evangelicorum in N. T. Adamantius Origenes Scholia, Homilias et Tomos.

Sec. IV. Diodorus Ep. Tarsensis Volumina. Dorotheus Ep. Tyri Synopsin. Athanasius Ep. Alexandrinus Synopsin, Commentarios, Sermones. Eusebius Ep. Cæsariensis Collectiones, Expositiones, Canones. Asterius Scythopolitanus Commentariolos in T. Ambrosius Ep. Mediolanensis Sermones, Homilias, Libros. Didymus Alexandrinus Opera allegorica.

Sec. V. Joannes Chrysostomus Ep. Constantinopolitanus Commentarios et Homilias. Hieronymus Presbyter Translationes, Annotationes, Commentarios et Epistolas. Oresiesis Monachus Ægyptus Dissertationes. Aurelius Augustinus Ep. Hipponensis Annotationes, Quæstiones, Disputationes, et Expositiones. Cyrillus Ep. Alexandrinus Homilias, Epistolas, Commentarios et Disputationes. Eucherius Ep. Lugdunensis Quœstiones. Isidorus Pelusiota Expositiones epistolares. Theodoretus Ep. Cyri Isagogen et Commentarios.

Sec. VI. Fulgentius Ep. Ruspensis Volumen sermonum. Aurelius Cassiodorus Memoriale, h. e. Compendium Scripturæ, Commentarios et Annotationes. Maximus Confessor Quæstiones, Expositiones, Sermones.

Sec. VII. Gregorius Magnus P. M. Commentarios et Homilias. Paterius Explanationes et LL. Gregorii M. excerptas. Isidorus Ep. Hispalensis Compendium Allegoriarum et Explanationes.

Sec. VIII. Beda Presbyter, cognom. Venerabilis, Rapsodias, Quæstiones, Homilias, Commentarios. Flaccus Albinus sive Alcuinus Commentariolum, Libros et Homilias. Athanasius junior Quæstiones.

Sec. IX. Walafridus Strabo O. S. B. Commentarios perpetuos, qui Glossa ordinaria vocantur. Haymo Ep. Halberstadianus Commentarios et Homilias. Rabanus Maurus Archiep. Moguntinus Commentarios.

Sec. X. Olympiodorus Commentarios in V. T. Œcumenius Catenam, h. e. explanationes ex Patrum sententiis collectas in N. T. Alfricus Anglus, cogn. Grammaticus Tractatus et Sermones.

Sec. XI. Moyses Maimonides et Salomon Jarchi Commentarios in V. T. Theophylactus Archiep. Bulgariæ Commentarios ex Joan. Chrysostomo compilatos in N. T.

Anselmus Archiep. Cantuariensis Commentarios et Homilias in plerosque V. T. libros. Alulfus O. S. B. Commentarios e Gregorio M. collectos in N. T.

Sec. XII. Anselmus Laudunensis Explicationes, quas Glossam interlinearem vocant. Hugo Victorinus Annotationes, Quæstiones, Homilias, Commentarios et Miscellanea. Rupertus Abbas Tuitiensis Commentarios maxime allegoricos. Richardus Victorinus Epitomen. Petrus Cantor Commentarios, quos Glossam scholasticam dicunt.

Sec. XIII. Aben Ezra Commentarios in V. T. Alexander Hallensis Postillam scholasticam. Hugo de S. Charo Card. Commentarios et Concordantias Biblicas. Petrus Berthorius O. S. B. Reductorium, Repertorium, inductorium et Breviarium Biblicum. Thomas Aquinas Catenam Auream et Lectiones in N. T. Ægidius Archiep. Biturícensis Explanationes.

Sec. XIV. Alanus Insulensis Oculum h. e. Compendium sacræ Scripturæ. Petrus Verberius Card. Breviarium Bibl. Nicolaus de Lyra O. S. F. Commentarios breves, quos Postillas vocant. Franciscus Maronius Postillas Annotationum. Augustinus Ancoras O. Erem. Libros Postillares. Petrus Paludanus Postillam. David Kimchi et Levi Gersonides Commentarios in V. T. Joannes Bacco Commentarios in N. T. Sertorius Fontanerius Archiep. Ravennatensis Explanationes. Joannes O. S. B. Breviarium Bibl. Nicolaus Gorranus O. Præd. Commentarios breves.

Sec. XV. Jacobus Magnus O. Erem. Annotationes. Petrus Joannis O. S. F. Postillas. Bartholomæus Urbinas O. Erem. Explanationes ex sententiis S. Augustini decerptas. Dionysius Carthusianus Commentarios. Bernardinus Abbas Camaldulensis Opus Annotationum.

Sec. XVI. Felix Pratensis Biblia Rabbinica, h. e. cum Commentariis Rabbinorum in V. T. Augustinus Ep. Nebiensis Annotationes in Octaplis ad V. T. Franciscus Titelmannus Elucidationes Paraphrasticas in N. T. Sebastianus Munsterus Annotationes. Conradus Pellicanus Commentarios. Nicolaus Tacitus O. S. F. Castigationes et Scholia in N. T. Isidorus Clarius Ep. Fulginatensis Scholia. Michael Villanovanus, h. e. Servetus Annotationes. Joannes Gagnæus Scholia in N. T. Nephtali Ben-Aser Commentarios in V. T. Joannes Benedictus Scholia. Sixtus Senensis O. Præd. Bibliothecam sacram. Quæstiones et Homilias. Lovanienses Doctores Annotationes in Bibliis Antuerpiensibus. Franciscus Vatablus Annotationes Salmanticæ impressas. Emmanuel Sa. S. J. Annotasiones. Alphonsus Salmeron S. J. Commentarios.

Sec. XVII. Joannes Drusius Observationes, Lectiones, Commentarios et Animadversiones. Joannes Piscator Commentarios. Nicolaus Serarius S. J. Prolegomena et Commentarios. Franciscus Lucas, cogn. Brugensis, Annotationes, Commentarios, Notas. Joannes Mariana S. J. Scholia seu Notas breves. Franciscus Haræus Scholia et Catenam. Jacobus Gordonus S. J., Jacobus Tirinus S. J., et Cornelius a Lapide S. J. Commentarios. Ludovicus de Dieu Commentarium et Animadversiones. Joannes Menochius S. J. Explicationem brevem sensus litteralis. Joannes Lightfoot Harmoniam, Animadversiones et Commentarios. Antonius Vitré Notas. Antonius Escobar de Mendoza S. J. Commentarios. Hugo Grotius Notas. Matthæus Polus Synopsin Criticorum, Interpretum et Commentatorum sacræ Scripturæ. Joannes de Silveira Carm. Commentarios in N. T.

Sec. XVIII. Joannes Baptista du Hamel Notas. Joannes Clericus Commentarios et animadversiones. Michael Mauduit, Presb. Orat. Analysin in N. T. Augustinus Calmet O. S. B. Commentarium Litteralem, Dissertationes et Dictionarium Biblicum. Natalis Alexander O. Præd. Commentarium in N. T. Petr. Lallemand S. J. Observationes et Notas in N. T. Cæsar Calinus S. J. Tractatum Historicum, Chronologicum V. et N. Testamenti. Præsides Sodalitatis Bambergensis Libellis Xenialibus Explicationem et Paraphrasin.

48. *Observa.* Quæ hactenus de adjumentis ad sacram Scripturam intelligendam et interpretandam adduximus, confirmata et amplius deducta invenire licet partim in S. Augustini libris de Christiana Doctrina et Consensu

Evangelistarum, atque Psalmorum explanationibus; partim in Bibliotheca sacra Sixti Senensis, Prolegomenis Serarii, ac de la Raye et Waltoni in Scripturam, nec non Tractatu Mabillonii de Studiis Monasticis, et Calmeti præmissa Dictionario Bibliotheca : in qua postrema, qui Interpretes singulares in singulos Scripturæ libros desiderat, adornatum eorum catalogum habet.

ARTICULUS VI.

AN LECTIO SACRÆ SCRIPTURÆ IN LINGUA VULGARI OMNIBUS PASSIM SIT LICITA?

49. *Nota.* Catholicorum nemo est qui neget Scripturam sacram esse librum cujus lectio in sese sancta sit et utilis; quæque omnibus proinde hominibus, cujuscumque ætatis, sexus et conditionis, per se loquendo, non tantum permitti, sed etiam suaderi proponique possit. Ex quo factum est, ut multiplex Bibliorum in linguas vernaculas versio præstantissimis Episcopis ipsis vel auctoribus vel suffragatoribus primum susciperetur. Posteriorибus tamen seculis abusus rem quantumvis optimam in vitium et noxam vertit; eo quod vel hæretici ad tuendos suos errores, corruptas versiones vulgares per malitiam legentibus obtruderent, vel lectores minus aut prave dispositi sive per ignorantiam, sive per temeritatem, sive per superbiam, ex traductionibus quantumlibet integris errores tum fidei, tum morum haurirent.

Occursuri huic malo Patres a Tridentino, Sess. 18, an. 1562, die 26 febr. celebrata, ad indicem librorum prohibitorum concinnandum deputati, inter regulas quas adjunxerant huic operi sibi demandato, et teste decreto Sess. 25, an. 1563, die 3 et 4 : decembr. celebratæ, Concilio obtulerant. scripserunt hanc ordine quartam : *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis oriri; hac in parte judicio Episcopi aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi vel Confessorii, Bibliorum a Catholicis Auctoribus versorum lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse : quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere præsumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. Bibliopolæ vero, qui prædictam facultatem non habentes, Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium, in usus pios ab Episcopo convertendum, amittant; aliisque pœnis pro delicti qualitate, ejusdem Episcopi arbitrio, subjaceant. Regulares vero, nonnisi facultate a Prælatis suis habita, ea legere aut emere possint.*

Hæc constitutio quam contrarie opponebatur hereticorum tum temporis doctrinæ, praxi ac intentioni, tam acerbas et atroces eorum oppugnationes concitavit : quarum exempla videre licet in Calvini Commentariis ad Isa., c. 48 et ad ep. I. Petri; in Brentii Confess. Wittenberg. de S. Script., in Kemnitii Examine Conc. Trid., in Gomari, Chamierii, aliorumque operibus. Quesnellus sicut eosdem in obtrudenda lectoribus versione corrupta est imitatus sic et eorum armis sua sociavit in propositionibus, quarum in Bulla *Unigenitus* damnatarum hic ordo est et tenor. Prop. 79 : *Utile et necessarium*

est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi, studere et cognoscere spiritum, pietatem et mysteria sacræ Scripturæ. 80. *Lectio sacræ Scripturæ est pro omnibus.* 81. *Obscuritas sancta verbi Dei non est laïcis ratio dispensandi seipsos ab ejus lectione.* 82. *Dies dominicus a christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia, sanctarum Scripturarum. Damnosum est, velle christianum ab hac lectione retrahere.* 83. *Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione sacrorum librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia, ortus est Scripturarum abusus, et natæ sunt hæreses.* 84. *Abripere e christianorum manibus Novum Testamentum, seu illud illis clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.*

Ex hisce apparet, dogma Novatorum circa lectionem sacræ Scripturæ in lingua vulgari his tribus contineri : 1° Lectionem sacræ Scripturæ ad salutem fidelibus esse necessariam. 2° Non dari rationes justas et prudentes, quæ impediant, quominus lectio Scripturæ omnibus, sine ulla aut personarum legentium aut librorum legendorum exceptione, passim concedatur. 3° Prohibitionem ab Ecclesia factam circa lectionem Scripturæ in lingua vulgari non esse legitimam, nec ullam proinde inducere obligationem. Ad normam harum propositionum theses nostras asserendo, quid circa quæstionem articuli sentiamus, exponemus.

50 *Dico I.* **Lectio Scripturæ sacræ non est omnibus, ac proin nec in vulgari lingua, ad salutem necessaria.**

Prob. Quod est necessarium ad salutem, vel ad electionem agendorum, vel ad rationem suscipiendorum, scilicet Sacramentorum, requiritur : sed ad istorum nullum lectio sacræ Scripturæ absolute requiritur; tum quia hæc omnia haberi possunt ex concionibus, catechesibus, aliisque institutionibus, sive voce, sive scripto communicatis : tum quia universim Apostolis Matth. 28, v. 19 et 20 : mandatur horum prædicatio, non scriptio; cui auditio, non lectio, respondet : tum quia singillatim ad Rom. 10, v. 17, scribitur : *ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Ergo.

Conf. I. Quod fuit et est pluribus impossibile, non potest passim omnibus esse necessarium ad salutem ; sed lectio sacræ Scripturæ fuit omnibus et est pluribus impossibilis. Fuit enim impossibilis omnibus a mundi exordio usque ad tempora Mosis, qui initium scribendi libros divinos fecit : fuit impossibilis gentibus præter Judæos reliquis usque ad tempora Ptolomæi, quibus versio Scripturæ græca prodiit : fuit impossibilis ipsis etiam Judæis tum ob exemplarium raritatem, tum ob linguæ post captivitatem vulgaris differentiam ab idiomate sacro originario : fuit impossibilis Christianæ Ecclesiæ, quæ primis temporibus aut caruit Evangelio, aut pluribus in regionibus vernacula illius versione : fuit et est etiamnum impossibilis tum cæcis, tum legendi ignaris, tum libros, vel comparandi facultate, vel legendi otio, vel intelligendi copia destitutis. Ergo.

Conf. II. Ubi nullum extat præceptum, nec adest naturæ debitum, nec urget observantia et usus, ibi nulla potest esse necessitas : sed imprimis præceptum sive naturale sive positivum, legendæ Scripturæ necessitatem imponens tam parum assignari potest, quam parum viget obligatio aut traducendi Scripturam, aut illam emendi vel habendi, aut litteras discendi : quæ triplex tamen obligatio ad illud qualecumque præceptum sequeretur. Dein debitum

ex natura rei proveniens nullum esse tum probat ratio primo allata, tum auctoritas Augustini, l. 1. de doctr. Christ., c. 39, scribentis : *Homo itaque fide, spe, et charitate, subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget scripturis, nisi ad alios instruendos* : Usum denique nihil urgere demonstrat tum idem ibidem pergens : *Itaque multi per hæc tria in solitudine sine codicibus vivunt;* tum Irenæus, l. III. adv. hæres., c. 4, scribens : *Quid autem, si neque Apostoli Scripturas quidem reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderant iis quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine charactere vel atramento scriptam habentes in cordibus suis per spiritum salutem, et veterem traditionem custodientes.* Idem etiamnum obtinet in regionibus Americanis, ubi fideles et neophyti sancte vivunt, sine facta Bibliorum in idioma patrium versione : etiam in plurimis Europæ provinciis, Italia maxime, Hispania et Germania; quibus quamvis versiones vulgares non desint, pluribus tamen earum incolis aut nullus aut rarus usus est lectionis Scripturæ : quin et Novatorum lectio ad Novum Testamentum vel unice vel præcipue refertur; non item ad Vetus, quantumlibet veritates etiam divinas complectens.

51. *Dico II.* **Dantur rationes justæ et prudentes, cur lectio Scripturæ sacræ non permittatur passim omnibus.**

Prob. Inutilitas, insolentia et periculum in usu rei sunt rationes justæ et prudentes, ne permittatur rei usus passim omnibus : sed tria hæc occurrunt in lectione Scripturæ, si passim omnibus permittantur : ergo.

Prob. min. quoad *primum.* Lectio Scripturæ est illis inutilis, qui aut non perspiciunt sensum, aut distrahuntur in sensus oppositos, aut nudo verborum cortici adhærent, nucleo mysterii aut doctrinæ negleco; sed si passim lectio Scripturæ permittatur omnibus, hoc evenit pluribus, fœminis nempe, rudibus, aliisque scientiarum altiorum ignaris, partim ob Scripturæ obscuritatem, antilogias et difficultatem, partim ob defectum facultatis intelligendi, componendi et discernendi in legentibus : ergo.

Quoad *secundum.* Insolens est quod aut in nulla disciplina alia et vitæ genere fit, aut contrariatur ordini recte constituto; sed si lectio Scripturæ passim permittatur omnibus, imprimis conceditur profanis et inexpertis tractare sacra, quod tamen negatum est hujusmodi a gentilibus, et in nulla alia disciplina aut vitæ genere usu venit, ut testatur Hier., in ep. ad Paulinum : *Quæ sunt medicorum, promittunt medici; tractant fabrilia fabri : sola Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant* : deinde turbatur discendi ordo qui 1 ad Cor. 14, v. 34, pro fœminis, ad Hebr. 5, v. 12; et seqq. pro rudibus, Malach. 2, v. 7, pro omnibus, non per lectionem, sed doctrinæ auditionem divinitus est constitutus : ergo.

Quoad *tertium.* Ubi ex parte legentium præter imperitiam est curiositas, temeritas, aut superbia; ex parte libri legendi autem, præter ambiguam, figuratam et peregrinæ grammaticæ propriam scriptionem, argumentum habet vel altissima mysteria, vel recondita maxime vaticinia, vel principia et exempla mala æque ac bona; ibi periculum est præsens vel errandi in materia fidei et morum, vel impugnandi veritatem et honestatem, vel contemnendi res sacras aut ad profana convertendi : sed si passim omnibus per-

mittatur lectio Scripturæ, habentur pleraque memorata tam ex parte legentium, quam illa omnia adsunt ex parte librorum legendorum : ergo non abest periculum.

Conf. Frequens abusus rei, aut usus cum eventu malo, rationabile fundamentum præbet, cur res illa, licet ex se bona et alias utilis, non permittatur saltem passim omnibus ; cum ex Scriptura, de serpente æneo, et ex historia Ecclesiastica, de Agape aliisque ritibus olim familiaribus constet, ob similem causam usum plane fuisse sublatum : sed lectionis Scripturæ imperitis concessæ frequens fuit abusus aut usus cum eventu malo ; ut patet experientia tum primorum temporum, de qua testatur S. Petrus, ep. II, c. 3, v. 16 : *In quibus,* Pauli epistolis, *sunt quædam difficilia intellectu ; quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem ;* tum sequentium, quibus Anthropomorphitarum, Milienariorum, Circumcellionum, Euchitarum, aliorumque hæreses ortæ sunt ex imperitia sensus et littera occidente : tum posteriorum, quibus Albigenses, Waldenses, Beguardi, Wicleffi-tæ, Hussitæ, Lutherani, Calvinistæ in sectas et errores absurdissimos, impellente spiritu privato ex lectione Scripturæ omnibus permissa hausto, abierunt : unde Hilarius l. ult. de Synodis, ex Scriptura non intellecta omnes hæreses prognatas dixit, et Lutherus ipse in Symp. de Sectar. Scripturam vocavit librum hæreticorum : ergo extat rationabile fundamentum ne lectio Scripturæ passim permittatur omnibus.

52. *Dico III.* **Regula quarta Indicis, lectionem sacræ Scripturæ, non quidem absolute prohibens, sed nonnisi sub certis conditionibus permittens, est lex legitime lata, qua stante, non est omnibus promiscue licitum legere Scripturam in lingua vulgari.**

Pars 1ª prob. Regula hæc habet omnes legis legitime latæ conditiones, cum de subjecto, forma et fine non sit controversia ; de materia autem, causa et auctore ex dictis pateat. Nam materia seu lectio Scripturæ non est necessaria omnibus, ut (num. 50) probatum est : causæ etiam justæ et prudentes adsunt, ut (num. 51) est ostensum, atque in ipsa regula declaratum : auctor vel est Concilium Tridentinum, ut multi cum diversis Episcopis, editoribus Indicis, et Sorbona, an. 1567, versionem Renati Benedicti gallicam censurante, asserunt ; vel Pius IV. Summus Pontifex ; uterque autem est supremus magistratus et legislator : ergo.

Conf. I. Regula a pluribus Summis Pontificibus et Episcoporum Conciliis tum præformata tum confirmata est lex legitime lata ; sed imprimis hæc regula ab illis est præformata : nam Gregor. VII, in ep. ad ducem Bohemorum rationem reddens cur nollet divina officia Sclavonice celebrari, scribit : *Ex hoc sæpe volventibus liquet, non immerito sacram Scripturam omnipotenti Deo placuisse quibusdam locis esse occultam, ne, si ad liquidum cunctis pateret, forte vilesceret et pateret despectui, aut prave intellecta a mediocribus, in errorem induceret.* Innocentius III, in ep. ad Metenses qui Scripturam gallice verti curaverant data, aliquas quidem ejus partes minus difficiles legendas illis permittit, de aliis autem sic enuntiat : *Arcana fidei sacramenta non sunt passim omnibus exponenda, cum non possint passim ab omnibus intelligi, sed eis tantum qui ea possint fideli concipere intellectu. Propter quod simplicioribus inquit Apostolus, quasi parvulis in Christo lac potum dedi vobis, non escam : majorum enim est solidus cibus, sicut aliis ipse dicebat : sapientiam loquimur inter perfectos : inter vos autem nihil judicavi me scire nisi*

J.-C. et hunc crucifixum. Tanta est enim scripturæ profunditas, ut non solum simplices et illitterati, sed etiam prudentis et docti, non plene sufficiant ad illius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit Scriptura : quia multi defecerunt scrutantes scrutinio. Unde recte fuit olim in lege divina statutum, ut bestia quæ montem tetigisset, lapidaretur; ne videlicet simplex aliquis et indoctus præsumat ad sublimitatem sacræ Scripturæ pertingere. Conc. Tolosanum, tum an. 1129, can. 12, tum an. 1229, celebratum, can. 14, præscribit[a]: *Prohibemus autem ne libros veteris Testamenti aut novi permittantur laici habere; nisi forte Psalterium vel Breviarium pro divinis officiis, aut Horas beatæ Mariæ aliquis ex devotione habere velit. Sed ne præmissos libros habeant in vulgari translatos, arctissime inhibemus.* Oxoniense, an. 1408, celebratum cap. 7, sic ait : *Statuimus et ordinamus, ut nemo deinceps aliquem textum Scripturæ sacræ auctoritate sua in linguam anglicam vel aliam transferat, per viam libri, libelli aut tractatus; nec legatur aliquis hujusmodi liber, libellus aut tractatus, jam noviter tempore Joannis Wicleff, sive citra compositus, aut in posterum componendus, in parte vel in toto, publice vel occulte, sub majoris excommunicationis pœna.*

Dein eamdem regulam confirmarunt tum summi Pontifices Sixtus V et Clemens VIII, addita circa regulam 4[am] observatione ; et succedentes ex ordine Pontifices fere omnes, qui Indicem cum suis regulis recudi augerique jusserunt; tum frequentia in Italia, Belgio et Gallia concilia, quorum specimen ex qualibet regione unum subjicio. Mediolanense III, sub S. Carolo Borromæo, an. 1573, hæc habet : *De Bibliis autem vulgariter redditis et de Testamento novo in vulgarem etiam linguam converso... ea diligens cautio adhibeatur, ut illius usus iis tantum concedatur, quibus Episcopus permittendum judicaverit.* Cameracense, an. 1586, habitum Tit. 1, c. 4, statuit : *Non permittantur cuivis de populo libri sacræ Scripturæ lingua vernacula, nisi de licentia Episcoporum aut deputatorum ab eis.* Narbonense, an. 1609. celebratum cap. 8, decernit : *Biblia vero sacra idiomate gallico conscripta legere aut domi retinere nemini liceat, nisi ab Episcopo aut ejus vicario generali in scriptis obtenta licentia.* His accesserunt comitia generalia Cleri Gallicani, an. 1661, congregata, quorum jussu edita etiam hoc anno fuit *Collectio quorumdam gravium auctorum, qui ex professo vel ex occasione, sacræ Scripturæ aut divinorum officiorum in vulgarem linguam translationem damnarunt, una cum decretis Summi Pontificis et Cleri Gallicani, ejus epistolis, Sorbonæ censuris ac supremi Parisiensis senatus placitis :* ergo.

Conf. II. Circa quod datur lex naturalis vetans, verbum Dei improbans, et auctoritas Patrum adversa, circa id œconomia legis Ecclesiasticæ certas conditiones præscribens est justa et legitima ; sed circa Scripturam imprimis datur lex naturalis vetans, ne scilicet eam legat minus aut male dispositus, aut quilibet quamlibet Scripturæ partem, ut ipsi Quesnellistæ tribuunt : tum extat verbum divinum improbans, scilicet Matth. 7, v. 6 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos,* et I ad Tim. 1, v. 7 : *Quidam volentes esse legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant;* ac. 2 Petr. 3, v. 16 (num. 51) recitatus.

Demum auctoritas adversatur Patrum, vel negantium necessariam Scripturæ lectionem, quales sunt Tertull., l. 2 de Præscript., c. 14; Clem. Alex. l. 3 ; Pædag., c. 11; Hieron., l. 1 cont. Pelag.; Aug., ep. 102 ad Evodium, cum aliis (num. 50) laudatis ; vel notantium lectionem minus convenire omnibus, quales sunt Clem. Alex., l. 2 Strom.; Origen., hom 27 in Num.; Basil.

ap. Theodoret., l. 4 hist. Eccl., c. 17; Greg. Naz., Serm. 1 de Theol.; Hier. in Com., ad c. 3 Nahum.; Chrys., hom. 16 ad Genes.; Aug., l. de util. cred., c. 2; vel asserentium lectionem quibusdam nocere, quales sunt : Orig. in prol. ad Cantic., Basil. in Reg. brev., q. 96; Ambros., l. 4 in Ev. Luc. Hier., in prol. ad Ezech.; Aug., l. 2 de doct. Christ., c. 6 et 13; Greg. M. Præf. in Cant.; vel exigentium singulares ad lectionem conditiones, quales sunt : Athan., l. de Incarn. circa fin.; Chrys., ad c. 1; Matth. Aug. cont. Adamant., c. 3 et l. 1 cont. advers. leg., c. 13; Bernard., Serm. 1 in Cantica. Ergo.

Pars. 2ª. Sequitur ex notione legis prohibentis, quæ libertatem agendi ligat, et omittendi necessitatem imponit. Dixi autem : *qua stante;* quia pluribus videtur, multis in provinciis hanc regulam vel ab initio nequidem receptam vel consuetudine contraria penitus abrogatam, aut saltem quoad pœnas et modum concessionis derogatam. An et quidnam hujus rei singulis provinciis conveniat, ex eorum practicis et scriptoribus intelligendum est. Quod Germaniam attinet Serarius in proleg. Bibl., c. 20, q. 3, prop. 3, sic loquitur : *Id in nostra Germania videmus, ubi non modo non improbant Episcopi, Parochi, Confessarii, si quis Eckii aut Dietenbergii, nulla diserte petita facultate, legat; sed probant et laudant maxime, quasi jam facultas ea communis sit, neque pœnam infligunt ullam; prout quotidiana docet experientia, et satis significat Bellarmini propugnator.* Layman in compend., l. 2, Tr. 1, c. 15, notat : *Regula 4ª probibentur Biblia vulgari idiomate : sed non est recepta in Germania;* cujus ratio in Theol. Mor., ibidem, num., 8, datur hæc : *cum nemo sit, qui cum auctoritate deducat in observationem.*

Ad hos et Tannerum provocant Gobat in Clyp., num. 317. La Croix, l. 7, num, 374; Sporer, Tr. 2 in 1 præc. Dec., c. 3, append., § 4, legentesque versionem catholicam a peccato contra Ecclesiasticam legem absolvunt. Num vero consuetudo hujusmodi omnino sit munita debitis conditionibus, an habenda pro corruptela, illis judicandum relinquimus, quorum interest ac curæ demandatum pro animabus rationem reddere. Certe consuetudini huic minime favet tum observatio a Clemente VIII regulæ *quartæ* adjecta, quam legere est in libro Indicis librorum prohibitorum; tum breve Innocentii XII responsionis loco ad Episcopos Belgas de usu legendi Scripturam lingua vulgari editam invalescente questos, cujus an. 1696, die 28 nov., dati hæc verba leguntur : *Quod attinet ad libros sacræ Scripturæ idiomate vulgari traductos et alias prohibitos, patent Constitutiones Prædecessorum nostrorum, et potissimum felic. record. Pii IV a quibus satis superque abusibus providetur.*

Objectiones.

53. *Objic.* Lectionem Scripturæ omnibus esse concedendam, ipsa Scriptura declarat : ergo. *Prob. Ant.* 1º Enim fert mandatum legendi Scripturam, Jos. 1, v. 8 : *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus et noctibus,* Deuter. 17, v. 18 : *Describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine... et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ.* Deuter. 31, v. 10 et seq. : *Præcepitque ei dicens... Leges verba legis hujus coram omni Israel audientibus eis, et in unum omni populo congregato, tam viris quam mulieribus,* etc. Deuter. 32, v. 46 : *Ponite corda vestra in omnia verba, quæ ego testificor vobis hodie, ut mandetis ea filiis vestris custodire et facere et implere universa, quæ scripta sunt legis hujus.*

2° Refert consuetudinem legendi Scripturam, Act. 13, v. 27 : *Voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur;* et c. 15, v. 21 : *Moses a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.* Item, Esdr. 2, c. 8, v. 1 : *Legerunt in libro legis Dei distincte et aperte ad intelligendum, et intellexerunt, cum legeretur.*

3° Laudat usum lectionis exercitatum in Esdra, l. 1, Esdr. 7, v. 10 : *Esdras paravit cor suum, ut investigaret legem Domini;* in Eunucho, de quo Act. 8, v. 28, legitur : *Revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam Prophetam;* in Timotheo, de quo 2ª ad Tim. 3, v. 15, scribitur : *Quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem.* Ergo.

R. ad. Arg. — *N. A.* — Ad prob. 1. D. Fert mandatum pro legenda Scriptura omni et in idioma vulgare versa, N. pro Scripturæ in lingua originaria parte aliqua planiore, ad mores et officia propria pertinente, *Subd.* fert mandatum speciale pro personis singularibus et capacibus, C. promiscue pro omnibus, N. Patet distinctio ex textibus allatis. Eorum duo priores agunt de rebus ad regendam rempublicam pertinentibus, et 1ᵘˢ ad Josue Judicem, 2ᵘˢ ad reges Hebræorum dirigitur : duo posteriores pertinent quidem ad populum; non tamen agunt de mysteriis captum vulgi superantibus, sed de præceptis moralibus communi vitæ accommodatis; neque etiam legi a populo Scripturam, sed prælegi a Levitis jubent : aliud autem est ab ipso populo privatim legi, et temere propria industria explicari; aliud a Doctore prælegi, et si quid minus perspicuum occurrat, apta interpretatione exponi.

Ad 2. — *D.* Refert consuetudinem legendi Scripturam coram populo præsente, a Sacerdotibus eam interpretantibus usurpatam, C. ab ipso populo Scripturam legente exercitam, N. Quod in actis refertur, idem fere fit nostris temporibus, ubi lecta a concionatore Scripturæ parte, interpretatio cum exhortatione subjicitur; quin tamen ullus inde colligat, legi a singulis Scripturam. Idem de Esdræ loco testatur contextus; ubi et Esdras Levitis et Levitæ populo interpretati verba legis leguntur; nullibi autem scribitur, populum ipsum manibus versasse Scripturas et legisse.

Ad 3. — *D.* Laudat usum lectionis usurpatum a quibusdam peritis, capacibus et bene dispositis, C. A quibuscumque, imperitis etiam et minus aut male dispositis, N. Ab Esdra autem, magno legis Doctore et a Timotheo, quem Christus ipse in Apocalypsi Angelum Ephesi vocavit, et Paulus adhuc adolescentem creavit Episcopum aut potius Archiepiscopum, collectio ad quemlibet de vulgo fieri sane non potest. Quin nec argumentum ab Eunucho Candacis ad cæteros omnes valet, utpote cujus maximas dotes S. Hieron., in ep. 103 ad Paulinum celebrat.

Inst. 1. Pleraque Evangelia et Epistolæ Canonicæ scripta sunt in lingua tunc vulgari, nempe græca : Item sunt scripta ad omnes promiscue fideles; unde epistolæ inscribuntur vel *Ecclesiis* vel *omnibus sanctis et fidelibus*, aut *duodecim tribubus*, aut *electis advenis*. Actus autem Apostolorum *Theophilo*, h. e. cuilibet amanti Deum. Demum aliquando jubentur prælegi omnibus, ut habetur 1 ad Thes. 5, v. 17 : *Cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut et in Laodicensium Ecclesia legatur; et eam, quæ Laodicensium est, vos legatis.* Ergo omnibus concessa, usita et præcepta fuit lectio Scripturæ.

R. Quoad *primum* — *N. A.* Est enim manifeste falsum, græcam linguam aut Hebræis sive Palestinæ incolis sive per regiones alias dispersis, aut

Romanis aliisque extra Græciam nationibus fuisse vulgarem. Quoad *secundum D.* Scripta sunt ad omnes promiscue fideles, etiam legenda a singulis N. legenda a litteratis et peritis, audienda ab illitteratis ac imperitis. T. Exemplarium solitudo aut saltem raritas prius faciebat impossibile, posterius difficile; inscriptio autem universalis neutrum exigebat. Quoad *tertium.* N. *Cons.* Nihil enim præter publicam epistolæ prælectionem hic imperatur diversum ab eo quod nunc vel intra vel post missam ex Tridentini, Sess. 24, c. 4, præscripto circa lectionem explicationemque Evangelii et Epistolæ fieri solet : quod sane non est legi a singulis et manibus teneri Scripturam.

Inst. 2. Scriptura tum utilis est omnibus, tum ejus lectio omnibus commendatur, 1um patet ex ep. ad Rom. 15, v. 4 : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem spem habeamus*, et 2 ad Tim. 3, v. 16 : *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia* : 2um ex Psal. 118, v. 2 : *Beati, qui scrutantur testimonia ejus*; et 2 Pet. 1, v. 19 : *Habemus firmiorem propheticum sermonem cui benefacitis attendentes* : ergo et omnibus est concedenda.

R. — *D.* 1am *p.* Scriptura aut considerata per se, aut spectata cum debitis legentium dispositionibus est utilis, C. considerata relative et cum ordinaria legentium conditione, N. Quin ad capiendam hanc utilitatem non requiritur determinate lectio; et aptior est cum adjuncta explicatione auditio. 2am *p. N.* quam textus allati minime probant. Nam *scrutatio* in priori non significat scientiam speculativam, sed practicam, ut contextus loquitur; et indicat lingua Hebræa, Chaldaica et Syriaca, quæ habet, *Beati qui custodiunt* : neque *attentio* in posteriori significat lectionem, sed potius auditionem, quæ dictioni sermonis prophetici et vocis de cœlo lapsæ correspondet.

Inst. 3. Patres declararunt omnibus suæ ætatis fidelibus licitam fuisse lectionem Scripturæ : ergo et ea nunc illis passim concedenda. *Prob. Ant.* Docent 1o tum ipsam Scripturæ doctrinam convenire, tum illius modum docendi accommodatum esse omnibus : alterum patet ex Clem. Alex., l. 3; Pædag., c. 8; Ambr. in Ps. 48, v. 2 et Basil. in procem. ad Psalmos : alterum ex verbis Origen., l. 7 cont. Cels. : *Scriptura providens non solis eruditis, sed etiam reliquis, descendit ad idioticum captum multitudinis;* quibus consonant Aug., l. 6, Conf., c. 5 et ep. 3 ad Volusian. ac Greg. M. in præf. ad l. 20 Moral.

2o Monent et adhortantur omnes ad legendas Scripturas, maxime Aug., l. de vera relig., c. 51 et l. 7, Conf., c. 20, Chrys., Hom. 2 in Matth., H. 10, in Joan., H. 9, in c. 3 ad Coloss., etc.; Greg. M., hom. 15 in Ezech. et l. 4, ep. 40.

3o Declarant lectionem Scripturæ esse originem omnis virtutis, ejus negligentiam vero causam malorum; sic enim in Psal. 118 Ambrosius : *Nunquam negligamus verbum Domini, ex quo omnium origo virtutum est, universorumque operum processus;* Chrysost. autem hom. 9 in ep. ad Coloss. : *Hoc est omnium malorum causa, nescire Scripturas* : idem habet in procem. ep. ad Rom., et Cæsarius Arel., serm. 40.

4o Declarant lectionem Scripturæ esse necessariam ad salutem. En verba Basilii in reg. brev., q. 95 : *Quæ ad usum pertinentia sunt, ea ut unusquisque ex divinis litteris ediscat, et rectum est et necessarium* : Chrys. hom. de Lazaro hæc sunt : *Non potest fieri ut quisquam salutem assequatur, nisi perpetuo versetur in lectione spirituali*, etc.

5° Extendunt pleraque etiam ad feminas, tum eas ob lectionem Scripturæ laudando, ut Hier., ep. 16, 27, 30 : Marcellam, Paulam et Fabiolam, ac Greg. Naz., Or. 11, suam sororem laudarunt; tum easdem ad lectionem adhortando, ut Basil., ep. 285 : Eleutheram, Paulinus, ep. 50 : Celantiam, Hier., ep. 7, 8 et 155 : Lætam, Demetriadem et Paulam excitarunt, tum iisdem quotidianum pensum sive legendæ Scripturæ præscribendo, ut Hier., ep. 12 pro educanda Pacatula. Ambr., in exhort. ad virg. pro virginibus, et Conc. Aquisgranense, l. 2, c. 3 et 22 pro Monialibus præscripserunt. Ergo.

R. — 1. *ad Arg.* — *T. A.* — *N. Cons.* Ætate Patrum præter latinam vix ulla erat versio vulgaris; nec erat frequentia exemplarium, nec copia eorumdem apud plebem et laicos; ut ex historia de sacrorum librorum Traditoribus constat : adeoque dicta Patrum, quantumvis generalia, ad omnes pertinere haud poterant, ut modo exigitur ab adversariis. Præterea dispositio fidelium primis temporibus reipsa erat melior, major scilicet docilitas, Sacerdotii reverentia, et erga Præpositos submissio; aut saltem a Patribus supponi poterat; cum legentes Scripturam loca difficiliora cum simplicitate præterirent, ut Augustinus, adhuc Catechumenus fecit; vel sub directione egregii doctoris lectionem instituerent, ut Hieronymus de feminis a se laudatis commemorat; vel imprimendum memoriæ, et exequendum opere, quod in expositionibus Ecclesiasticis auditum fuerat, id monente Paulo facerent fideles viri, pro uxoribus et familia instruendis : dum e contra in iis, qui nostra ætate Scripturam sibi eripi non patiuntur, notatur frequentissime inutilis curiositas, temeritas, et pruritus sciendi omnia, maxime obscura et altiora potius, quam necessaria et utilia; sæpius audacia, superbia et impudentia, qua antiquorum Patrum expositiones contemnuntur, et novitatem vendentibus creditur; non raro philautia, spiritus privati studium, et pertinacia qua docentis Ecclesiæ manuductio, definitio et auctoritas violatur.

Demum prioribus seculis necdum tanta experientia comperti habebantur tot abusus ex lectione orti, tot hæreses per eam latissime sparsæ, tot circumventæ cum viris rudibus feminæ, tot denique versiones infidæ in linguas vernaculas a sacris fontibus discrepantes, atque a novatoribus ad suas hæreses disseminandas excogitatæ : quæ mutatio circumstantiarum mutationem disciplinæ, ipsis etiam Patribus probantibus, si viverent, introduceret.

R. 2. — *N. A.* — *ad prob.* 1. *D.* Patres docent Scripturæ doctrinam convenire, et stilum accommodari omnibus, sumendo omnes pro singulis generum, N. pro generibus singulorum, C. Volebant iidem unice, non esse hominum conditionem, cui dogmata quædam convenientia, nec ingenium, cujus captui accommodatam scriptionem alicubi non suppeditet Scriptura; minime vero contendebant, quod quælibet conveniant singulis, aut omnis phrasis accommodetur cujuslibet perceptioni; cum iisdem in locis fateantur abscondita mysteria et obscuritatem sermonis, ac præterea sufficere dicant, auditu verbum Dei hauriri.

Ad prob. 2. — *D.* Ad legendas Scripturas monent omnes in sensu accommodo, capaces scilicet et dispositos, C. omnes in sensu absoluto, *Subd.* præferendo lectionem Scripturæ lectioni profanæ aut perniciosæ, C. urgendo eam universim et absque comparatione, N. *Omissis,* inquit Aug., loc. citato, *et repudiatis nugis theatralibus et poeticis, divinarum Scripturarum consideratione pascamus animum;* quibus similia Chrys. loc., secundo et Greg. loc.

ult. laudatis enuntiant. Præterea contextus aperte ostendit, reprehendi potius neglectum Scripturæ et contemptum illa ætate a capacibus usurpatum, quam urgeri lectionem promiscuam.

Ad prob. 3. — *R.* 1. — *N. ass.* Neuter enim textus de lectione Scripturæ agit; et utriusque veritas salvatur per scientiam aut ignorantiam doctrinæ sacræ, quacumque ratione perceptæ. *R.* 2. — *D.* Lectio Scripturæ vel ejus neglectus dicuntur a Patribus causa virtutum aut vitiorum omnium per figuram exaggerationis et sensu oratorio, C. per rigorem proprietatis et sensu philosophico, N. Similes virtutum aut vitiorum ad alias radices reductiones, rhetoribus nec minus familiares, nec magis certas, alibi reperire licet.

Ad prob. 4. — *D.* Patres declarant Scripturæ lectionem esse necessariam, necessitate utilitatis, C. necessitate absoluta N. vel *Sub.* loquendo secundum hyperbolen, C. secundum proprietatem, N. Exemplum simile præbet Chrys., hom. 15 in Genes., ubi inquit : *Neque in re justa neque injusta jurare licet;* et hom. 17 in Matth. : *Quid igitur, si aliquis juramentum exigat, et necessitatem jurationis imponat? Sit tibi timor Dei omni necessitate violentior;* quæ locutio, juramentum nullo in casu permittens, ut vera sit, re significare debet minus quam verba exprimant.

Ad prob. 5. — *D.* Extendunt pleraque ad feminas quascumque ac sine discrimine, N. ad feminas capaces et dispositas, *Subd.* ex œconomia tum temporis adhuc utili et prospera, C. ex necessitate aut præcepto mutationis impatiente, N. Laudatæ a Patribus feminæ erant ingenio ac genere nobilissimæ, eruditæ linguis, meditationibus assuetæ; præterea humilitatis studiosæ, promptæque captivare intellectum in obsequium fidei, et sequi directionem magistrorum; quod ipsi Patres inter laudes earum commemorant : reliquæ saltem virgines erant separatæ a mundo, dicatæ Deo, et virtutum studio exercitatæ; neque triste adhuc fidei fluxæ, superbiæ ac contumaciæ experimentum dederant. Quid simili apud nos viso exemplo ordinaturi fuissent Patres, suspicari licet ex Hieronymo, l. 1 cont. Pelag., scribente : *Verum tu tantæ es liberalitatis, ut favorem tibi apud Amazonas tuas concilies, ut in alio loco scripseris, scientiam legis etiam feminas habere debere; cum Apostolus doccat esse tacendum mulieribus in Ecclesia, et si quid ignorant, domi viros suos debere consulere.*

Inst. 4. Rationes adductæ superius, cur lex circa Scripturæ lectionem juste ferri potuerit, aut nihil, aut nimium probant : ergo lex ipsa irrationabilis et injusta est. *Prob. Ant.* Nam 1° Lectio Scripturæ saçræ in vulgari lingua æque utilis est ac in latina : 2° etiam ex obscuritate et littera occidente periculum errandi est doctis et linguarum peritis; quin tamen prohibeatur illis lectio in lingua sacra : 3° fit abusus in Eucharistia, vino et aliis pluribus, non minus quam in lectione Scripturæ; propterea tamen illa non prohibentur : 4° non ex feminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia natæ sunt hæreses : ergo.

R. ad Arg. — *N. A.* — Ad hujus *prob.* 1. *N.* Ex parte libri versio quæcumque vulgaris non ita fidelis nec certe authentica est, ac latina : ex parte legentium autem, linguæ latinæ periti communiter doctiores sunt, facileque possunt recurrere ad interpretes probatos.

Ad prob. 2. *R.* Argumentum est simile huic : Etiam videntibus periculum est ne in foveam cadant; ergo si illorum causa non obstruitur fovea, etiam pro cæcis non est claudenda. Cæterum minori doctorum periculo pro-

visum est a lege naturali ; majori autem rudium discrimini providere amplius curavit accedens lex Ecclesiastica.

Ad prob. 3. *R.* 1° — *N. Supp.* quod lectio Scripturæ prohibeatur absolute ; cum Ecclesia certas tantum conditiones pro lectoribus exigat, et judicium de his sibi reservet. 2° Etiam simile quid Ecclesia circa Eucharistiam agit, quæ ob dispositionis defectum in fidelibus nostræ ætatis non probat tam frequentem Eucharistiæ usum, ut in primitiva Ecclesia. 3° *Disparitas* est quod de sumenda Eucharistia habeatur præceptum Domini, et generalior sit vini convenientia ; neutrum autem reperiatur circa Scripturæ lectionem.

Ad prob. 4. — *T. A.* — *N. Cons.* Quamvis feminæ, ut sunt ingenii tenuioris, non passim primæ excogitent hæresin, eam tamen conceptam retinent pertinacius, studiosius adjuvant, et latius propagant : cujus rei exempla refert Hier., in ep. ad Ctesiph., Sever. Sulpit., l. 2 hist. Sac., Epiphan., hær., 26 ; atque præter Thiotam Constantiæ, an. 847, mulieres Manichæas Aureliæ, et Atrebati, an. 1022 et 25. Tanchelini Socias Antwerpiæ, an. 1123 præsertim nupero et præsenti seculo moniales Portus Regii et aliæ in Gallia noxium experimentum præbuerunt.

Inst. 5. Lex maxime ob circumstantias extrinsecas prohibens rem per se bonam et utilem, cessat intrinsece et obligare desinit, si rationes legis, et consequenter finis cessat et negative seu contradictorie, et contrarie : sed regula 4ª Indicis est lex ejusmodi, ut omnes concedunt : et ejus finis cessat imprimis *negative,* qui erat damnum non simpliciter aliquod et dubium, sed auctum et certum, ortum partim ex lectionibus hæreticis sine discrimine cum catholicis lectis, partim ex temerario animo ac præsumptione spiritu privato intelligendi legentium, ut ratio decreti loquitur : « cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti quam utilitatis oriri : » quia *quoad effectum,* hæresin scilicet vel errorem, nullum jam damnum inter catholicos ex lectione Scripturæ experimur ; *quoad originem* autem inter eosdem nec versio hæretica usurpatur, nec ullus est, qui in Scriptura intelligenda audire Ecclesiam ejusque traditionem nolit.

Deinde etiam *contrarie* cessat ; quia observatio hujus regulæ noxia est, cum fideles priventur bonis omnibus, et exponantur malis, ob quæ consequenda vel vitanda Patres sollicite adeo adhortati sunt fideles ad Scripturæ lectionem. Ergo.

R. — *N. min.* Non enim imprimis finis legis illius cessat *negative ;* partim quia τὸ *sine discrimine* non appellat tam Biblia, et sic versionem hæreticam quam legentes et lectionem ; et temeritas non adeo fundatur in intelligentia secundum spiritum privatum, quam in incapacitate et defectu dispositionis : partim quia duplex hæc origo damni non est adæquata ratio legis, quam Ecclesia illis duobus necdum natis jam præformaverat, et sublatis confirmavit, ut supra ostendimus : partim quia non cessat adæquate generaliter et constanter, cum damnum adhuc aperte sentiatur in Gallia idque ex gemina radice ab adversariis assignata, et facile intelligi possit alibi ex dubiis et turbationibus legentium.

Deinde non cessat *contrarie,* cum alia detur ratio illa bona capiendi et avertendi mala, nempe auditio verbi divini explicati et lectio librorum spiritualium ; de qua Petrus Soto in defens. Cath. Conf., c. 23, ita disserit : « Quod si quis causetur, non esse æquum, omni lectione Scripturæ privare

populum : huic respondemus, non hoc nos agere ut nihil legant, nihil habeant simplices Scripturæ sacræ : integram quidem illam cibum dicimus solidiorem quam captui populi conveniat : sed sunt in ea quam plurima, quæ sufficiant ad pietatem et scientiam christianam et servandam et augendam in fidelium animis. Hæc doctorum diligentia excerpta saluberime credimus omnibus tradi posse. Imitemur antiquorum Patrum exempla : Augustinus ex omnibus Scripturæ sacræ libris, quæ ad mores pertinent, in unum librum collegit, quem Speculum appellari voluit, ut Possidius testis est in vita ejus, et liber ipse ostendit, in quo vix ullus libér Scripturæ omissus est, unde non aliquid sit excerptum. Basilius etiam simile ferme argumentum habet in octoginta moralibus regulis, in quarum singulis permulta capita, quæ ad mores pertinent, ex novo duntaxat Testamento magna certe dexteritate collegit. Cyprianus etiam tribus illis libris ad Quirinum hoc ipsum agit, ut ex Scriptura capita quædam ad formandam fidem in primis duobus, ad disciplinam christianam docendam in tertio ex Scriptura colligens. »

54. *Observa.* Benedictus XIV. P. M. cætera inter capita, quibus suum de Synodo Diœcesana opus, an. 1755, altera editione auctum amplificavit, examinatæ hactenus quæstionis argumentum Lib. 6, cap. 10, etiam inseruit, et erudita pro more expositione veritatem et sententiam nostram confirmavit. Quoad statutum autem circa hanc materiam a conventu diœcesano, ita sub finem præscripsit : *Itaque ut rem conficiamus, ubi nullus quoad vernaculam sacrarum Scripturarum lectionem abusus irrepsit, aut sileant Episcopi, aut solum quartæ Indicis regulæ urgeant complementum : ubi vero abusus semel innotuit, etiam synodali decreto radicitus evellatur.*

Quæres : *Quinam sit usus Theologicus sacræ Scripturæ ?*

55. *Nota.* Multiplicem Scripturæ sacræ usum ostendit ipsa Scriptura tum ad Rom. 15, v. 4 : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus :* tum 2 ad Tim. 3, v. 16 : *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia :* nos ad Theologicum duntaxat usum hic attendimus, qui in legitima argumentatione ad probandam in fidei materia veritatem et oppositam falsitatem refutandam consistit. Usus itaque hic dependet tum a regulis, quas pro lectione et interpretatione Scripturæ (num. 46) dedimus, tum ab argumentationis sacræ canonibus, quos proxime subjiciemus.

56. *Respondeo.* Canones argumentationis sacræ, seu usum Theologicum Scripturæ sacræ declarantes, duplicis classis sunt, et alii Scripturam ipsam, alii sensum Scripturæ afficiunt.

Prioris classis Canon I. Argumentum ex sacræ Scripturæ verbis depromptum est decisivum et irrefragabile; quia Scriptura est infallibile verbum Dei infallibilis.

II. Ut argumentatio sit efficax, depromendum est argumentum ex solis Scripturæ libris, quos Ecclesia Catholica pro Canonicis indubitato admittit; quia sine Ecclesiæ judicio certi non sumus, quænam sint Scripturæ divinitus inspiratæ : Argumentum e contra ex libris Scripturæ apocryphis, v.

g. ex tertio vel quarto Esdræ desumptum, incertum; ex suppositiis, v. g. ex epistola Pauli ad Laodicenses, nullum est; cum hos Ecclesia positive reprobaverit, illis certitudinem non tribuerit : quamvis divinæ originis nonnulla indicia et a Patribus quibusdam testimonia postremis suffragentur.

III. Ad eumdem effectum requiritur, ut argumentum ex editione vulgata depromatur; quia hæc una habet authentiam judicialem et explicitam : moderni autem fontes, græci et hebræi, vulgarem tantum et implicitam; vernaculæ editiones vel nullam vel dubiam.

IV. Valet tamen argumentum ad hominem contra Novatores, sive ex fontibus, sive ex eorum versionibus; quia ad illos ipsi identidem provocant, has vero tanquam sinceras venerantur.

V. Textus Scripturæ, ex quo arguitur, probandum contineat clare, aut liquido cum eodem connectatur oportet.

VI. Ubi textus Scripturæ ejusve sensus obscurus est, si adsit Ecclesiæ expositio vel unanimis Patrum interpretatio, conformiter ad alterutram assumptus, firmum et efficax facit argumentum : si illa desit, aut hæc variet, probabile solum argumentum præbet; ut partim ex dictis, partim ex dicendis constat.

Posterioris Classis Canon I. Eadem Scriptura potest habere plures sensus *litterales* sub verbis iisdem, acceptis tam proprie quam improprie seu figurate. Docent id Hieron., ep. 103 ad Paulin., Augustin., l. 1 de Genes. ad lit., c. 19, l. 3; de Doctr. Christ., c. 27, l. 12. Conf., c. 26 et 31; ac D. Thom. de Potent., q. 4, a. 1 et Sum. p. 1, q. 1, a. 10. Probat ratio deducta ex dignitate, excellentia et majestate; quam Scripturæ multiplex ille sensus conciliat : confirmant exempla tum Psalmorum et Prophetiarum, tum singularium sententiarum, partim a Scriptura ipsa, partim a Patribus in diverso sensu acceptarum; quales sunt Genes. 1, v. 1; Exod. 12, v. 46; Psalm. 2, 7; Psalm. 8, v. 3; Dan. 9, v. 27; Isa. 53, v. 8, etc.

II. Etiam in Nov. Testam. præter litteralem invenitur sensus *mysticus*. Id rursus docet D. Thomas p. 1, sup. cit. et Quodl. 7, a. 15, ad 5um : probat eadem ratio, et confirmant exempla tum Apocalypseos, tum variorum textuum apud Patres ac Interpretes passim occurrentium.

III. Textus acceptus in sensu *litterali* efficaciter et certo probat veritatem in se clare contentam, vel secum liquido connexam; quia hic sensus, sicut in simili casu ab homine, sic etiam hic a Spiritu sancto intelligitur intentus.

IV. Ut ex sensu *mystico* formetur argumentum efficax, debet vel ex alio Scripturæ textu, vel ex Ecclesiæ definitione aut traditione, vel ex consensu Patrum constare, sensum illum a Spiritu sancto esse intentum; quia sensus hic, cum mediate tantum significetur, ob res immediate significatas varius, anceps et obscurus est, nec cuivis obvius, nec connexionem necessariam habet cum loquentis intentione; unde sine accessione unius ex memoratis incertum relinquitur, an a Spiritu sancto fuerit intentus; quæ tamen incertitudo tollitur illarum conditionum ope.

V. Sensus *accommodatitius* Theologo ad veritates fidei probandas aut defendendas non præbet argumentum certum et efficax; quia non est intentus a Spiritu sancto, sed pro arbitrio, quatumvis pio et rationabili, ad res et personas, de quibus Scriptura haud loquitur, accommodatus : utilitatem tamen ad illustrandam vel moralem vel aliam doctrinam habet eo majo-

rem, quo major est auctoritas accommodantis, scilicet aut Ecclesiæ, aut Interpretis.

57. *Observa.* Pro utraque classe attendendum est, an Scripturæ locus ad probandum assumptus, sit dictum Scriptoris sacri proprium, an vero alienum, et a Scriptore sacro duntaxat relatum. In priore casu Scripturæ locus auctoritatem divinam habet, facitque argumentum efficax; quia res et sententias hujusmodi Scriptoribus sacris specialiter esse inspiratas (num. 20) est ostensum : in casu posteriore distinguere oportet inter dictionem ipsam et dictum seu dicti veritatem. Quod enim reipsa sit dictum, quod ut tale refert Scriptor sacer, eadem auctoritate certum est ex data proxime ratione : an vero dictum hoc a Scriptore sacro relatum etiam sit verum, si ex ipsa rei natura non constat, desumi debet ex auctoritate loquentis, quæ pro varietate personæ varia est. Sic dum affertur Dei ipsius oraculum, aut Prophetæ vaticinium, aut angeli vel hominis divinitus inspirati effatum, auctoritas divina habetur et veritas certa est : dum autem refertur alterius personæ sibi relictæ assertio, v. g. Judæorum Joan. 2, v, 20 : *Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc,* vel illa cæci nati Joan. c. 9, v. 31 : *Scimus, quia peccatores Deus non audit,* aut illa insipientis Psal. 52, v. 2 : *Non est Deus,* aut illa Satan. Job. 2, v. 5 : *Tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi,* etc.; auctoritas tantum est humana et veritas fallibilis aut etiam nulla.

CAPUT II.

DE TRADITIONIBUS SACRIS.

Controversia, quæ Catholicos inter et Acatholicos de Traditionibus olim suscitata, et seculis superioribus renovata fuit, duas quæstiones complectitur, alteram quasi *juris* et conditionatam, qua de Traditionis notione, divisione et auctoritate inquiritur; alteram velut *facti* et absolutam, qua de ejusdem necessitate, existentia et certitudine sive ad cognitionem sive ad usum disputatur : utramque uno hoc capite resolvemus.

ARTICULUS I.

QUÆNAM SIT NOTIO, DIVISIO ET AUCTORITAS TRADITIONIS SACRÆ?

58. *Nota.* De Traditionis notione et divisione non tam controversia est quam varia acceptio et multiplex respectus; de auctoritate autem fuit heterodoxorum sive in diversis locis contradictio, sive error proprius, quo Lutherus apud Pet. Suavem, l. 2, dixerat : *Sacrilegium esse, traditiones non scriptas paris auctoritatis credere cum Scripturis novi veterisque Testamenti*; et Kemnitius apud Bellarm., l. 4, c. 3, scripsit : *insignem esse audaciam, majestati et auctoritati Scripturæ aliquid æquare.* Fuerunt etiam, teste Pellavicino Hist. Trid., l. 6, c. 14 nonnulli ex Tridentinis Patribus, qui visi sunt

versari in ea dubitatione, num Deus voluerit tantam impertiri traditionibus firmitatem ac venerationem, quantam sacris Litteris. Ad ambiguitates illas et has dissensiones tollendas.

59. *Dico I.* **Traditionis notio pro ampliori vel strictiori acceptione varia est.**

Latissime sumpta traditio est notitia, sive doctrina sive institutio qualiscumque quocumque modo cum altero communicata : hoc sensu sumpsit traditionis nomen Apostolus 2 ad Thess. 2, v. 14 : *Tenete Traditiones quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram ;* et Philosophus, l. 3, Polit., c. 11 : *Civitates partim optimis legibus, partim arbitriis longa serie communicatis reguntur.*

Late sumpta rursus est notitia qualiscumque oretenus primum aliis communicata : hoc sensu traditionem accepit Tertull., l. de Coron., c. 4 : *Harum disciplinarum si legem expostules scripturarum, nullam invenies : Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fide observatrix.* Utroque significatu hactenus exposito continetur traditio tum sacra tum profana, tam vera quam falsa, sive pia sive impia seu pharisaica, et germana et popularis, etc.

Stricte et Theologice sumpta est notitia sacra, h. e. ad religionem pertinens, oretenus primum aliis communicata, h. e. non contenta saltem expressis verbis in sacra Scriptura, sed viva voce primitus ab auctore suo proposita, ac deinceps quasi de aure in aurem ad posteros successive perducta; sive post modum aut in Conciliorum actis, aut in Patrum scriptis, aut in Historicorum libris fuerit authentice consignata, sive non. Atque hoc sensu traditio a nobis in præsens accipitur.

60. *Dico II.* **Divisio traditionis est multiplex, habito scilicet respectu ad principium, ad doctrinam, ad materiam, ad subjectum, ad tempus, ad obligationem. Et quidem**

Respectu *Principii* universim vel est divina vel humana, prout nempe traditionis primus et immediatus auctor est vel Deus vel homo viva voce locutus. Quoniam vero hæc acceptio vel descriptio, contra usum communem in Tridentinæ Professionis formula etiam usurpatum, Apostolicas traditiones omnes rejicit ad humanas, neque inter enuntiata Apostolica discrimen illud facit, quod tamen Paulus ipse 1 ad Cor. 7, v. 10 et 12 manifestat : hinc traditionem dicimus *divinam,* quæ divinitus est revelata, sive a divino sive ab humano ore promulgatio ejusdem primitus promanarit; *humanam* autem quæ non est divinitus revelata, sed ab humana auctoritate profluxit.

Divina subdividitur in Dominicam et Apostolicam, fundamentum præbente Conc. Trid., quod Sess. 4 in decr. de Canon. Scriptur., ait, *omnem salutarem veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt.* Unde *Dominica* est, quæ ipsius Christi ore proposita fuit : qualis est traditio de Sacramentorum materia et forma determinata ; *Divino-Apostolica,* quæ Spiritu sancto dictante fuit ab Apostolis prolata ; qualis est Symbolum fidei Apostolicum. *Humana* subdividi quidem solet in civilem et Ecclesiasticam; sed quia de sacris duntaxat traditionibus hic agimus, et Apostoli inter Ecclesiarum pastores specialem classem merentur, generaliore hac divisione

omissa, humanam traditionem in Ecclesiasticam et rursus in Apostolicam distinguimus. *Humano-Apostolica* est, quæ est prodita ab Apostolis, nomine suo, et Spiritu quidem sancto assistente, non tamen nomine Dei et Spiritu sancto dictante, loquentibus; qualis est illud Pauli dictum l. c. *Cæteris ego dico, non Dominus : si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Ecclesiastica* est quæ sive ab aliis Ecclesiarum præsidibus, sive his consentientibus a fidelibus fuit introducta; qualis est solemnitas et observatio certorum festorum, post Apostolorum obitum celebrari cæptorum.

Respectu *Doctrinæ* alia est inhæsiva, alia declarativa, alia mere oralis. *Inhæsiva* est, quæ voce idipsum tradit, quod clare in sacra Scriptura est expressum; qualis illa de nativitate, miraculis, morte et resurrectione Christi : *Declarativa* est, quæ pari modo exponit, quod in Scriptura sacra obscure tantum extat; qualis est illa quæ loca Scripturæ, Christum esse filium Dei enuntiantia, exponit de filio naturali et consubstantiali Patri : *Oralis*, quæ id proponit, quod ne implicite quidem in sacra Scriptura continetur; qualis est de existentia et numero sacrorum librorum.

Respectu *Materiæ* dividitur in dogmaticam et moralem. *Dogmatica* est quæ doctrinam continet, *Moralis*, quæ institutionem aut præceptum habet. *Dogmatica* alia est *fidei*, quæ continet doctrinam, ad Religionis substantiam vel objectum fide divina credendum pertinentem; qualis est de existentia sacræ Scripturæ : alia *credulitatis*, quæ continet doctrinam non pertinentem ad Religionis substantiam, aut necdum propositam ad credendum fide divina; qualis est de assumptione corporis Beatæ Virginis in cœlum. *Moralis* alia est *morum*, quæ pertinet præcise ad faciendum bonum vel fugiendum malum; qualis est de observantia jejunii : alia *disciplinæ*, quæ pertinet ad externum Ecclesiæ aut fidelium regimen; qualis est de Pœnitentia publica : alia *rituum* et *cæremoniarum*, quæ ad cultum Dei exteriorem pertinet : qualis est de rubricis Missæ.

Respectu *Subjecti* seu Ecclesiæ, ad quam pertinet vel in qua viget, alia est *universalis*, si nempe respiciat universam Ecclesiam ac fideles ubique dispersos; qualis est de authentia quatuor Evangeliorum, et de jejunio quadragesimali : alia *particularis*, si unam vel paucas duntaxat Ecclesias particulares et congregatos in iis fideles respiciat; qualis fuit de authentia epistolæ ad Hebræos et de jejunio sabbatino.

Respectu *Temporis*, ad quod scilicet traditio protenditur, alia est *perpetua* quæ ab initio fuit edita, ut duraret in Ecclesia constanter, atque hinc mutationi non est obnoxia; quales sunt omnes traditiones fidei et morum : alia *temporanea*, quæ ad certum duntaxat tempus erat duratura, et proinde colligitur tanquam a posteriori ex mutatione facta; quales multæ sunt traditiones disciplinæ et rituum, uti agape, abstinentia a suffocato; trina mersio in fontem baptismatis, communio sub utraque specie, etc.

Respectu *obligationis* observandi, alia est *necessaria* quæ scilicet per modum præcepti est instituta; uti rursus traditiones fidei, et certa etiam classis piarum credulitatum sub præcepto propositarum, qualis est de Immaculata B. V. Conceptione (1), præter illas, quæ præceptum sive divinum, sive apostolicum, sive ecclesiasticum continent : alia *libera*, quæ ex sua institutione fidelibus quidem fuit commendata, adeoque contemni non debet;

(1) Nunc est de fide.

sed libero tamen eorum arbitrio relicta; qualis est aspersio aquæ lustralis, formatio crucis, et altera piæ credulitatis classis, in qua illa est de domo Lauretana, sudario Christi, etc.

61. *Dico III.* **Traditio universim auctoritatem habet suo auctori seu origini correspondentem; divina speciatim, si qua existit, æqualem tenet cum Scriptura sacra.**

1. *Pars prima* patet; quia Traditio ex dictis est verbum auctoris; verbi autem auctoritas tanta est, quanta loquentis vel originis; cum in ordine ad faciendam fidem non pertineat verbum qualecumque aut secundum se sumptum, sed ut a loquentis scientia et veracitate informatum. Unde Traditionis Divinæ auctoritas est Divina, Apostolicæ Apostolica, Ecclesiasticæ Ecclesiastica. Ex eadem ratione *Pars secunda* colligitur; quandoquidem Scriptura sacra auctoritatem non obtinet a membrana, calamo vel atramento, aut quia scriptum est; sed unice quia est verbum Dei : ergo si Traditio vere divina sit et verbum Dei, æquali cum Scriptura auctoritate eam gaudere oportet : quod disputare non a Christiani modo, sed etiam a cujuscumque hominis ingenio penitus alienum esse, et incredibilem contendendi pruriginem sapere, Muratorius, l. 1 de Ingenior. Moder., c. 2, cum aliis pluribus declarat.

Conf. Paulus etiam verbis rationem divini depositi tribuit, et pro sermone æque ac epistola fidem et obedientiam postulat. Ita enim 2 ad Tim. 1, v. 13, scribit : *Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide et dilectione in Christo Jesu : bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.* Et 2 ad Thess. 2, v. 14 : *Fratres state, et tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram.* Patres idem de Tradition eenuntiant, inter quos Iren., l. 3 cont. hær., c. 4, scribit : *Quid si neque Apostoli quidem scripturas nobis reliquissent, nonne oportebat ordinem sequi traditionis?* Basil., l. de Spir. S., c. 27 : *Si consuetudines quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti conemur rejicere, imprudentes gravissimum Evangelio detrimentum inferemus; imo potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.* Chrys., hom. 4, in 2 ad Thess. : *Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio; nihil quæras amplius, non codices Prophetarum, non epistolas Apostolorum, non libros Evangeliorum. Traditio est; nihil quæras amplius, hoc est, ipsa per seipsam tibi sufficiat : ut quod ipsa docet, credas tenendum.* Concilia denique rem aperte definiunt. Nicænum II, Act. 7, in fine ait : *Si quis traditionem Ecclesiæ sive scripto sive consuetudine valentem non curaverit, anathema sit.* Constantinopolitanum IV, Act. 10, Can. 1 : *Quapropter sanctiones Ecclesiæ Catholicæ et Apostolicæ per traditionem acceptas, servandas custodiendasque profitemur.* Tridentinum, Sess. 4, in Decr. de C. S. pergit : *Synodus orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quam novi Testamenti...., nec non traditiones ipsas tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo vel a Spiritu sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu et reverentia suscipit et veneratur.*

62. *Observa.* Uti notione, ita et nomine inter se distinguendas esse Traditiones Divinas, Apostolicas et Ecclesiasticas, patet ex superioribus : easdem

tamen quandoque a patribus confundi, ex eorum scriptis intelligitur. Quascumque enim Apostolicas imo et Ecclesiasticas subinde nomine *Divinarum* compellant, vel quia Apostoli aut Ecclesiæ Prælati easdem instituerunt Spiritu sancto impellente; vel quia eas, auctoritate a Deo accepta, instituerunt; vel quia ad Christi exemplum eas instituerunt : e contra Divinas interdum vocant *Apostolicas* et *Ecclesiasticas*, quia Dominicas etiam Traditiones Apostoli promulgarunt, et Ecclesia ac Patres ad nos transmiserunt. Cæterum quænam secundum rem ipsam ac proprie sint, ex argumento et doctrina traditionum, secundum regulas inferius dandas examinatis, facile dignosci potest.

ARTICULUS II.

AN SACRÆ TRADITIONES SINT NECESSARIO ADMITTENDÆ, ET REIPSA EXISTANT?

63. *Nota.* I. Quam sunt diversi a veritate ac divina fide Hæretici omnium ætatum omnes, tam alienos se a sacris Traditionibus admittendis præbuerunt eorum plerique. Hunc de Sadducæis errorem testatur Josephus, l. 13 Antiq, c. 18; de Valentinianis, Marcionitis et similibus Iren., l. 3, c. 2 et Tertul., l. de Præscript.; de Anabaptistis et Donatistis Aug., ep. 48 ad Vincent. et l. de Unit. Eccl., c. 19; de Arianis Hilar., l. cont. Constant. Aug., ep. 178 ad Pascent. et l. 1 cont. Maximin. in princ., Epiphan. hæres. 69 et 73; de Macedonianis et Eunomianis Basil., l. de Spir. Sant., c. 27 et 29; de Pelagianis Aug., l. de nat. et gr., c. 39; de Nestorianis et Eutychianis Basil. Ancyr. in Confess. Cath. et Conc. Chalc., Act. 1, de Apostolicis sui temporis Bernard., hom. 66 in Cantica; de Wicleffitis Thomas Waldens, l. 2 de Doctr. fid., c. 19. In hoc, sicut in reliquis, antiquos imitati sunt Novatores Lutherus in Comm. ep. ad Galat. et scripto adversus Angliæ Regem et Calvinus, l. 4 Inst., c. 8, § 8, habueruntque Sectatores Kemnitium, Brentium, Dallæum, Georg. Callixtum, Basnagium, aliosque omnes suos Tribules.

64. II. Quamvis vero commune istud dogma hoc itidem communi fundetur principio, quod sola Scriptura res fide divina credendas complectatur; diversitas tamen quædam tum in principio tum in dogmate statuendo inter patronos erroris intercedit, orta ex duplici sensu, quo utrumque aut largius aut strictius accipi potest et intelligitur. Eorum aliqui enim solam Scripturam complecti ita res fidei dicunt, ut necessaria omnino sit Scriptura, et traditio nunquam sufficiat; alii ita tantum, ut Scriptura sit sufficiens fidei regula, et traditio aut inutilis aut certe minus necessaria. Item aliqui negant universim ac in thesi, præter verbum Dei scriptum existere ullum aliud, quod dici possit traditum seu traditio : alii autem id inficiantur tantum speciatim ac in hypothesi, scilicet traditiones illas, quas Ecclesia Catholica præter Scripturas admittit, revera esse verbum Dei non scriptum. Unde sicut multiplicem controversæ quæstionis statum esse apparet, ita non minus patet, disputari hic præcipue de *Traditionibus divinis*, declarativis et oralibus, tum dogmaticis, tum moralibus, universalibus et necessariis; propterea etiam quod ipsi Hæretici traditiones inhæsivas facile amplectantur, reliquas omnes, quæ proferuntur, pro humanis venditent, disciplinares

speciatim et rituales tanquam adiaphoras non curent, particulares vero et liberas despiciant.

65. *Dico I.* **Scriptura sacra ad fidem non erat absolute necessaria, sed poterat sufficere Traditio.**

Prob. Ad fidem sufficit verbum Dei, sicut ad obedientiam lex : sed ut sit verbum Dei, non est necessaria Scriptura, sed sufficit traditio, sicut ut sit lex; cum detur etiam lex non scripta : ergo ad fidem non est necessaria Scriptura, sed sufficit traditio. *Conf.* Ab Adam usque ad Mosen erat vera Ecclesia Dei in mundo; a Mose ad Christum usque, eadem etiam extra Synagogam extendebatur ad gentes, aut aliquos saltem homines non Judæos; ut Aug., l. 11 et seqq. de Civit. Dei, l. de pec. orig., c. 24 et l. de prædest. Sanct., c. 9 demonstrat; a Christi demum et prima Apostolorum prædicatione stabat Ecclesia Christi : sed in *prima* ætate nulla penitus extabat Scriptura, in *secunda* lex quidem erat scripta, sed aut non communicata aut non observata a fidelibus extra Synagogam, in *tertia* litteris necdum mandatum erat Evangelium : aderat tamen doctrina sacra et revelatio tradita ab Adamo, Patriarchis et aliis majoribus, vel prædicata ab Apostolis : ergo ad Ecclesiam et consequenter ad fidem non erat necessaria Scriptura sacra, sed sufficiebat traditio.

66. *Objic.* Scriptura sacra est fundamentum fidei; præter Scripturam non est fundamentum fidei; sine Scriptura nullum est fundamentum fidei : ergo Scriptura est necessaria ad fidem nec sufficit traditio mere oralis.

Prob. 1ª *p. Ant.* ex Joan. 20, v. 31 : *Hæc autem scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei;* ad quem locum Aug., l. 1 de Consen. Evang., c. 35, ait : *Quidquid Christus de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum Apostolis suis manibus imperavit.* Ergo.

2ª *p.* patet ex ep. ad Gal. 1, v. 8 : *Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema sit;* in quod ita commentatur Theophylactus : *Non dixit : si contraria prædicent; cæterum si parum quiddam annuntient præter id, quod annuntiavimus.*

Denique 3ª *p.* constat ex Patribus, inter quos Orig., hom. 1 in Jerem., inquit : *Necesse est nobis Scripturas sanctas in testimonium vocare : sensus quippe nostri et enarrationes sine his textibus non habent fidem;* Similia habet Tr. 25, in Matthæum; Athan. in ep. 39 de libris canon. scribit : *Hi sunt fontes salutares, ex quibus sitiens haurire possit eloquia; in his solis pietatis schola beate annuntiatur;* Chrys., hom. in Psal. 95, ait : *Neque oportet quidquam dicere sine testibus, solaque animi cogitatione : nam si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans;* Cyril. Hieros. in Catech. 4, ait : *Divinorum Sanctorumque fidei Sacramentorum nihil, ne minimum quidem, absque Scripturis tradi debet;* Aug., l. 2 de pec. mer., c. 32 : *Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando.*

67. *R. ad Arg.* 1. — *D.* Scriptura sacra est fundamentum fidei unicum et totale N. Aliquod et partiale, C. Neque plus evincit probatio; cum Scripturæ textus fidem quidem divinitatis Christi simpliciter in Scriptura fundet, non autem fundamentum aliud aut possibile aut actuale excludat; Patris autem testimonium ne quidem de fide, sed de locutione tantum, loquatur.

Ad 2. — *D.* Quod est præter Scripturam, h. e. contrarium Scripturæ, C. extraneum aut superadditum Scripturæ, N. Verba sacra intelligi posse de sensu contrario, patet non tantum ex usurpatione particulæ *præter* apud Latinos, qua præter spem, morem, legem et dignitatem accipitur pro *contra;* sed etiam ex acceptione particulæ παρὰ apud Græcos, quæ Act. 18, v. 13, et ad Rom. 1, v. 26, 4, v. 18, 11, v. 24 occurens *contra* significat : eadem vero contrarie exponi debere, contextus, versio, et interpretatio ostendunt. Contextus quidem; quia Paulus ob datum a pseudoapostolis scandalum, plura hic et uberius scribit, quam antea prædicatione proposuerat; adeoque diversitatem, non autem continuationem aut extensionem doctrinæ damnabat : versio autem; quia Arabica et Æthiopica legit, *si nos aut angelus de cœlo annuntiet vobis quidquam diversum* : interpretatio denique; quia Aug., l. 17 cont. Faust., c 3, ait : *Non est credendum Manichæo, quia de Christo contra Christi discipulos loquitur, et contra Evangelium illorum auctoritate firmatum : habemus enim Apostoli vocem, qui tales venturos esse cernebat, unde fidelibus dicebat : si quis evangelizaverit, præterquam quod accepistis, anathema sit;* et Tract. 98 in Joan : *Propterea admonitio Apostoli de cordibus vestris non recedat : si quis evangelizaverit, præterquam quod accepistis, etc. Non ait, plusquam accepistis; nam si illud diceret, sibi ipsi præjudicaret, quia cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret quæ eorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat, addit; non quod inerat tollit : qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via.* Augustino consentiunt Ambr. et Hier. ad hunc locum : neque dissentit Theophylactus, qui *contrarium* in alia significatione hic sumit, ut constat ex Chrysostomo, cujus verba aut recitare aut in compendio referre solet. Is enim in hom. 1 ad Gal., ait : *Neque dixit, si contraria annuntiaverint aut totum subverterint Evangelium; verum si vel paululum evangelizaverint præter quod accepistis, etiam si quidvis labefactaverint, anathema sint.* Et Galatarum conturbatores hoc paululum facientes notans addit : *Atqui unum aut alterum duntaxat præscriptum induxerant, circumcisionem et dierum observationem innovantes. Verum ut ostenderet, quod pusillum quiddam perperam admixtum corrumpit totum, dixi subverti Evangelium.* Unde *contrarium* non pro quocumque repugnante aut corrumpente, sed pro totali destruente ab utroque Patre usurpatur.

Ad 3. — *N. ass.* quod laudata Patrum testimonia haud probant. Origenes enim non de quocumque dogmate, sed de singulari figura V. T. Christo applicanda loquitur, quam ex Scripturæ consensu exponendam assumit, unde ibidem subjungit : *ut firmem verbum intellectus mei, accipiam duos testes de veteri Testamento; accipiam tres de Evangelio, de Propheta, de Apostolo : sic enim stabit omne verbum.*

Athanasius in solis libris canonicis pietatis scholam collocat, non excludendo traditiones, sed libros apocryphos ab Hæreticis obtrusos; ut ex fragmento epistolæ hujus superstite constat, cujus initium est : *Quandoquidem aggressi sunt aliqui describere sibi apocrypha, et cum inspirata divinitus Scriptura confundere.*

Chrysostomus similiter Scripturam non opponit traditioni, sed soli *dicentis cogitationi;* prætereaque de morali tantum doctrina in Scripturis perspicue tradita, a prædicatore testimoniis sacris auditori persuadenda loquitur, ideo subjungens : *Quis igitur sermo nobis attestabitur, quod afflictiones et*

flagella hominibus illata imputantur ad peccatorum remissionem? audi beatum Paulum, etc.

Cyrillus loquitur quidem de omni dogmate, sed comprehenso in fidei Symbolo; nec negat ad Scripturas sive dignoscendas sive exponendas necessariam esse traditionem, sed potius contrarium asserit, et libros solum apocryphos excludit, ibidem addens : *disce quoque studiose ab Ecclesia, quinam sint vet. Testamenti libri, qui vero novi : neque mihi legas quidquam apocryphorum.*

Augustinus de quæstione loquitur, quæ nec ex Scriptura, nec ex traditione decerni poterat, nempe de animæ origine; in qua et ipse anceps et dubius mansit. In ea autem quæstione cujus parti alteri aperte favet traditio, sicut quæstio desinit esse obscurissima, sic mutatur Augustini hypothesis, atque hæc proinde ad nostram controversiam non pertinet.

68. *Dico II.* **Scriptura sacra ad fidem non sufficit, sed Traditio est necessaria.**

Prob. Si Scriptura sacra sufficeret, ergo vel secundum singulos seorsim libros sacros; vel secundum omnes simul, aut qui unquam fuerunt scripti, aut qui ex scriptis restant et habentur in canone, sed nihil istorum dici potest. Non *primum;* cum liber singularis sufficiens nec designari possit, nec ullus etiam omnia credenda contineat; non *secundum;* quia multi libri, qui vere sacri fuerant, tam novi quam veteris Testamenti, perierunt, et tamen sufficiens adhuc propositio credendorum affirmatur; ut adeo sufficientia nequeat constitui in collectione librorum quorumcumque sacrorum unquam scriptorum; non *tertium;* quia Scripturam sacram nec sufficere ad libros ipsos canonicos determinandos, nec ad sensum librorum obscurum declarandum, Cap. 1 ostensum est : Ergo cum fides requirat verbum Dei, aliud autem extra Scripturam non sit, nisi traditum; necessaria est Traditio.

Conf. Plures ex adversariis admittunt nobiscum in Lege Naturæ cultum Religionis supernaturalis revelatum, in lege Mosis remedium contra originale peccatum pro fœminis, aut certe fidem in Christum mediatorem per sacrificia cruenta indicatam, in lege gratiæ descensum Christi ad inferos, perpetuam Deiparæ virginitatem, baptismum ab Hæreticis collatum et infantium, aliaque plura : sed eorum nihil discimus ex sacris litteris : ergo ut ea credi et admitti possint, necessario recurrendum est ad Traditionem.

69. *Objic.* In ordine ad credendum Scriptura nihil patitur sibi addi, omnia complectitur; satisfacit et abundat; ergo Scriptura sufficit, nec traditio necessaria est ad finem.

1ª *p. Ant.* Patet ex Deut. 4, v. 2 : *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Ibid., 12, v. 32 : *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito; nec addas quidquam, nec minuas.* Apoc. 22, v. 18 et 19 : *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas; et si quis diminuerit, auferet Deus partem ejus de libro vitæ.* Unde Tertul., l. adv. Hermog., c. 22, ait : *Scriptum esse doceat Hermogenis officina : si non est Scriptum, timeat væ illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum*, etc.

2ª *p.* Liquet tum ex 2 ad Tim. 3, v. 16 et 17 : *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum..... ut perfectus sit homo Dei et ad omne opus bonum instructus;* tum ex Joan. 20 nuper laudato : *multa quidem et alia signa fecit Jesus, quæ non sunt scripta in libro hoc; hæc autem scripta sunt, ut credatis;* in quem locum Aug., Tr. 49 : *Electa sunt, quæ scriberen-*

tur, quæ saluti credentium sufficere videbantur; et Cyr., l. 12 in Joan., c. ult : *Non omnia conscripta sunt; sed quæ scribentes tam ad mores quam ad dogmata putarunt sufficere, ut recta fide et operibus rutilantes ad regnum cœlorum perveniamus.*

Denique 3ª *p.* Ostenditur ex dictis Patrum. Nam Iren., l. 2 adv. hær., c. 47, dicit : *Scripturas esse perfectas;* Chrys., hom. 13 in 2 ad Cor. easdem vocat *exactam rerum omnium lancem et normam;* Tert. cont. Herm., c. 22, ait : *adoro Scripturæ plenitudinem;* Athan. in Or. cont. gent., *sufficiunt per se sacræ Scripturæ ad veritatis indicationem;* et in ep. ad Serap.: *Ne igitur interroges, sed solum ex sacris litteris condiscas : sufficiunt enim, quæ in illis reperias, documenta;* Aug., l. de bono viduit, c. 1 : *Quid igitur amplius te doceam, quam id quod apud Apostolum legimus; sancta enim Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit.*

R. ad Arg. — *N. A.* — Ad ejus prob. *primam p. R.* primum et secundum textum huc nihil facere, tum quia non agunt de credendo, sed operando; nec de verbo scripto, sed dicto : tum quia sensus verborum est : quod jubeo, integre et prout jubeo, facietis; non autem hic : non facietis aliud quam id quod nunc jubeo cum Judæorum posteri novas festivitates tempore Judith, Estheris et Machabæorum institutas recte observarint. Tertius autem prohibet apocalypseos corruptionem, et per verba *ad hæc* additionem ipsi libro faciendam; non autem ne alii libri scribantur aut dogmata tradantur; cum is ipse Apostolus Evangelium et epistolas addiderit. Tertullianus vero loquitur de additione ab Hæreticis conficta et scripturæ contraria; cui utique væ illud timendum est; cum eodem Auctore l. de Præscr., c. 17 : *Tantum veritati obstrepat adulter sensus, quantum corruptus stilus.*

Ad 2ªm *p. R.* sufficientiam Scripturæ ex primo textu haud sequi, quo præcise laudatur utilitas; sicut dum in ead. 4, v. 11 : Marcus dicitur *utilis in ministerium;* non declarantur supervacanei Lucas, Titus et reliqui adjutores Pauli ; præsertim cum hic sermo sit de Scriptura Vet. Test. quam scilicet Timotheus ab infantia didicit, quamque non sufficere superadditum Evangelium demonstravit. Neque id ex secundo textu sequitur, qui non agit de sufficientia doctrinæ, sed miraculorum et signorum, ad Christi divinitatem hominibus persuadendam; quod ipsum etiam Augustinus in verbis objectionem antecedentibus et consequentibus, Cyrillus autem in integra testimonii serie declarant. Quin acceptus de doctrina probaret reliqua Evangelia, Apostolicas epistolas et Apocalypsim, esse superflua : quod concedere etiam adversarii nefas putant.

Ad 3ªm *p. R.* Irenæus Scripturam dicit perfectam circa Dei unitatem, et excludendo Valentinianorum commenta Scripturis repugnantia. Chrysostomus legum divinarum sententiam, non vero Scripturam, vocat agendorum exactam lancem et normam ; quod ad præsentem quæstionem nihil pertinet. Tertullianus Scripturæ plenitudinem non ponit in complexu omnium dogmatum, sed in historica relatione de mundi exordio sine præjacente materia. Athanasius similiter primo loco de quibusdam tantum dogmatibus, vanitate scilicet idolorum et Christi divinitate loquitur, et ibidem Traditionibus aperte favet, cum textus integer sic habeat : *Sufficiunt quidem per se tum sacræ Scripturæ ad veritatis indicationem, tum plurimi de ea re libri a sanctissimis magistris conscripti, quos si quis evolvat intelliget aliquo modo Scripturarum mentem, et fortasse eam, quam cupit, cognitionem adipiscetur.* Secundo autem loco rejicit tantum Arianorum et Pneumatomachorum inter-

rogationes de nominibus Filio aut Spiritui sancto tribuendis, docetque de his sufficere id quod Scriptura nos docet; adeo autem Traditiones non rejicit, ut potius ad easdem provocet, post probatam ex Scripturis divinitatem Spiritus sancti ita pergens : *Videamus tamen adhuc illam ipsam ab initio traditionem et doctrinam ad fidem Ecclesiæ Catholicæ, quam Christus quidem dedit, Apostoli vero prædicarunt.* Haud aliter Augustinus de unica tantum viduitatis professione loquitur; et Scripturam quidem fixam regulam statuit, qua doctrina verbo Dei contraria repellatur, non tamen omnis doctrina vera aperiatur.

70. *Dico III.* **Admittendum est in thesi verbum Dei non scriptum, et existit aliqua Traditio divina.**

Prob. Traditionum generatim mentio occurit in lege antiqua; Genes. 18, v. 19 : *Scio enim, quod* Abraham *præcepturus sit filiis suis et domui suæ post se, ut custodiant viam Domini et faciant judicium et justitiam;* et Job. 8, v. 8 et 10 : *Interroga generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam : et ipsi docebunt te, loquentur tibi et de corde suo proferent eloquia.* Item in lege scripta; Psal. 77, v. 5 et seqq. : *Quanta mandavit Patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera, filii qui nascentur, et exsurgent, et narrabunt filiis suis;* et Eccl. 8, v. 11 et 12 : *Non te prætereat narratio seniorum : ipsi enim didicerunt a patribus suis : quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum.* Tandem in lege nova; 1 ad Cor. 11, v. 2 et 23 : *Laudo vos Fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis;* et 2 ad Thess. 2, v. 14 : *Itaque fratres state, et tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem sive per epistolam nostram.* Atqui prima et secunda classis continet Traditiones divinas, ut ex textu vel contextu liquet; de tertia Chrys. et Theoph. in Comment. ad eos textus, Epiph. hær. 61; Basil., l. de Spir. S., c. 29 et Damasc. Orth. Fid., l. 4, c. 17, idem enuntiant : ergo.

Conf. Universim existere Traditionem divinam declarant Concilia; nempe Generale V suas definitiones sic concludit : *Cum igitur hæc ita recte confessi sumus, quæ tradita nobis sunt tam a divinis Scripturis, quam a sanctorum Patrum doctrina, et ab his, quæ definita sunt de una eademque fide a prædictis quatuor Conciliis,* etc. Generale VII in definitione fidei : *Regiam viam incedentes, et sanctorum nostrorum ac divinorum Patrum doctrinæ insistentes, et Catholicæ Ecclesiæ, in qua Sanctus Spiritus inhabitat, traditionem observantes definimus,* etc.; quibus adde Gen. VIII et Trident. (num. 63) laudatum. Idem pronuntiant Summi Pontifices, præter Stephanum, qui in causa cum Cypriano unum opposuit : *Nihil innovetur, nisi quod traditum est;* nempe Innoc. I in ep. 1 ad Decent : *Si instituta Ecclesiastica, ut sunt a beatis Apostolis tradita integra, vellent servare Domini Sacerdotes, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur;* Sixtus III in ep. ad Joan. Antiochenum : *Ergo quia una fides, dicenda credamus et tenenda dicamus : nihil ultra liceat novitati, quia nihil adjici convenit vetustati : dilucida et perspicua majorum credulitas nulla cœni permixtione turbetur;* Leo M. Serm. 2 de jejun. Pentec. : *Dubitandum non est, omnem observantiam Christianam eruditionis esse divinæ, et quidquid ab Ecclesia in consuetudinem devotionis est receptum, de Traditione Apostolica, et de Spiritus sancti prodire doctrina.*

Consentiunt Patres plerique ex omnibus seculis, e quorum prioribus

quinque coævi Patris unius verba referre sufficiat. De Ignatio M. hæc, l. 3 hist Eccl., c. 37 refert Eusebius : *Cum per Asiam sub custodia duceretur, singularum nihilominus civitatum, quas ingrederetur, Ecclesias sermonibus et cohortationibus suis confirmans... hortatus est, ut Apostolorum Traditionibus tenaciter inhærerent, quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas, scriptis mandare necessarium duxit.* Irenæus, l. 3 adv. Hær. Valentinianos et Gnosticos oppugnaturus, ostendit eorum vafritiem qua, dum premebantur Scripturis, confugerent ad Traditiones; dum vero Traditionibus constringebantur, ad Scripturas redirent; unde utrisque eos armis successive aggreditur : qua occasione, c. 3, sic scribit : *Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui recta velint videre*; tum, c. 4 : *Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, qui Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum sanctum in cordibus salutem, et veterem Traditionem diligenter custodientes*; et c. 5 : *Traditione igitur, quæ est ex Apostolis, sic se habente in Ecclesia et permanente apud nos, revertamur ad eam, quæ est ex Scripturis, ostensionem.* Tertullianus, l. de Præscriptionibus, quem pro Traditionibus admittendis totum impendit, c. 19, scribit : *Non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut par incertæ. Nam et si non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret; ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est : quibus competat fides ipsa? cujus sint Scripturæ? a quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani? ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinæ et fidei Christianæ, illic erit et veritas Scripturarum et expositionum et omnium Traditionum Christianorum :* denique, c. 37 ita concludit : *Si hæc ita se habent, ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit; constat ratio propositi nostri definientis, non esse admittendos hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere.*

Athanasius docens, Patres Nicænos non tantum Scripturis sed et Traditione fretos homousion Symbolo addidisse, l. de decr. Nic., ait : *Hoc igitur intellectu Patres, qui Nicææ convenerunt, istas voces usurpare voluerunt; ipsos porro non ex se, quod adversarii objiciunt, hæc vocabula finxisse, sed ab aliis olim accepisse, age in præsentia declaremus.* Quod cum fecisset, subjungit : *Ecce nos demonstramus istiusmodi sententiam a Patribus ad Patres quasi per manus traditam esse. Vos autem novi Judæi et discipuli Caiphæ, quos verborum vestrorum patres ac majores demonstrabitis, quorum ne unum quidem ex prudentibus aut doctis in auctorem citare possitis?* Hieron. in Dial. adv. Lucif., c. 4 : *Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam et alia multa, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurparunt.* Augustin., ep. 118, ad Januar : *Illa autem, quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri.*

His addi possunt ex Sec. primo, Papias, c. 4; Polycarp. apud Euseb., l. 5 hist. Eccl., c. 20; Dionys., l. de hierar. Eccl., c. 1. Ex secundo, Iren., l. 4, c. 43; Clem. Alex., l. 1, 6 et 7; Strom. Tertull., l. de Coron., c. 3 et 4

de carn.; Chr., c. 2. Ex tertio, Serapion apud Euseb., l. 6 hist. Eccl., c. 12: Origen. in præf., l. 1 Periarch. Tract. 29 in Matth. et l. 5 in ep. ad Rom.: Cyprian., ep. 63. Ex quarto, Euseb., l. 1; Demonst. Evang., c. 8 et l. 1 cont. Marcel., c. 1; Athanas. in ep. ad Afros; Basil. in ep. 61 ad Episc., Occid. l. de Sp. S., c. 27 et 29; hom. 27 cont. Sabell. Epiphan., l. de hær. cit. Greg. Nyss., l. 3 cont Eunom. Naz. Or. 1 in Julian. Ex quinto, Chrysost., hom. 69 ad pop. et 3 in ep. ad Philip. Hieron. in ep. ad Marcel. Augustin. loc. inf. citandis; Lirin. in Commonit., c. 3, 4 et 9, etc.

71. *Objic.* Scriptura universim damnat Traditiones; ut patet ex verbis Christi Matth. 15, v. 6 : *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram;* et v. 9, ex Isa. : *Sine causa colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.* Item ex 1 Pet. 1, v. 18 : *Redempti estis de vana conversatione paternæ traditionis;* et ex Pauli ep. ad Coloss. 2, v. 8 : *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum.* Ergo.

R. ad Arg. — *D.* Scriptura damnat Traditiones mere humanas, et quidem Pharisaicas, Judaicas et gentiles, vel verbo Dei contrarias, vel perniciosas aut saltem inutiles, C. Divinas, Apostolicas, vel Ecclesiasticas, N. Ad prioris generis traditiones pertinent comprehensæ in textibus allatis. Christus enim aperte loquitur de Pharisaicis, non illis a Mosis et Prophetarum disciplina derivatis, sed a Sammai et Hillel inductis, quas Hieron., l. 3 comment. in Isa. et ep. ad Algas., item Aug., l. 2 cont. advers. leg., c. 1 et alii exponunt ac vituperant. Petrus vel de iisdem agit, vel de Judaicis ea ætate jam inutilibus, quin et mortiferis : Paulus autem per traditionem hominum intelligit vel instituta et corruptelas Philosophorum Platonicorum et Pythagoricorum, vel superstitiosas Gentilium observationes in sacrificiis, nuptiis, exequiis et cæteris actionibus, vel imperfectas, vanas aut fabulosas doctrinas, sive Judaizantium, sive hæreticorum, maxime Simoniacorum et Gnosticorum.

Inst. I. Idem est sensus Patrum, Nam 1° nihil recipiunt extra Scripturam : Sic Tertul. de carn. Chr. Marcionem alloquitur : *Non recipio, quod extra Scripturam de tuo infers;* Hier., in c. 23 Matth. : *Quod de Scriptura non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur;* et in c. 1 ad Tit. : *Sine Scripturarum auctoritate garrulitas non habet fidem.* 2° Traditiones non scriptas reprobant : Sic Basil. in Acest. de ver. fide scribit : *Manifestissimum hoc infidelitatis argumentum fuerit et signum superbiæ certissimum, si quis eorum, quæ scripta sunt, aliquid velit rejicere; aut eorum, quæ non scripta, introducere; et* Theophil. Alex., ep. 2. Paschali : *Diabolici spiritus est, aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare divinum.* 3° Usum traditionis hujusmodi vituperant : Sic Iren., l. 3, c. 2 de hæreticis inquit : *Cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem Scripturarum convertuntur, quasi ex his non possit inveniri veritas ab his qui nesciunt traditionem;* Cyr. Hieros., Catech. 11, ait : *Cur igitur curiose inquiris ea quæ Spiritus non scripsit in Scripturis, qui ea quæ scripta sunt non nosti : in his quæ scripta non sunt non sis curiosus;* et Catech. 16 : *Dicemus de Spiritu sancto ea tantum quæ scripta sunt : si quid autem scriptum non est, non scrutabimur curiose.* Ergo.

R. — *N. ass.* — Ad ejus *prob.* 1. *D.* Nihil redcipiunt extra Scripturam rejiciendo traditiones Scripturæ contrarias et apocryphas, C. respuendo veras

et authenticas, N. Primi generis traditiones intelligit Tertullianus, qui Marcionem dicit, *originalia Christi instrumenta delere ausum, et de suo inferre.* Eumdem sensum habet primum Hieronymi testimonium, cui hæc præmittuntur : *Alii Zachariam patrem Joannis intelligi volunt ex quibusdam apocryphorum somniis approbantes, quod propterea occisus sit, quia Salvatoris prædicavit adventum : quod quia de Scripturis non habet auctoritatem,* etc. Secundum huc non pertinet; cum solum perstringat eos qui Scripturæ testimoniis abutuntur, eaque in suorum errorum patrocinium contorquent, ut ex loco integro patet : *Et quidem sine Scripturæ auctoritate garrulitas non haberet fidem, nisi viderentur per veram doctrinam in divinis testimoniis roborare. Hi sunt de circumcisione Judæi, qui tunc temporis nascentem Christi Ecclesiam subvertere nitebantur, et introducere præcepta legalia,* etc.

Idem respondetur ad prob. 2. Nam transmissa auctoritate Asceticorum, quorum auctorem Sozomenus, l. 3, c. 15, facit Eustathium Sebastenum; Basilius hic tantum rejicit hæreticorum, ut Scripturam corrumpentium sic traditiones confingentium, *doctrinam a Dominica alienam, et a pio sanctisque litteris consentaneo sensu abhorrentem.* Theophilus autem impugnat Origenem, *tanta confingentem, suum errorem sequentem, ausum nocitura proferre in medium, et in fabulas quasdam et deliramenta procedentem;* ut in eadem ep. prosequitur.

Ad prob. 3. — *D.* Vituperant traditionis spuriæ usum, C. authenticæ, *subd.* usum illegitimum, C. legitimum, N. Valentiniani apud Irenæum provocabant ad traditiones suas explosis Apostolicis; unde sequitur : *cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni dicentes se non solum presbyteris sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem.* Cyrillus autem inutiles duntaxat quæstiones, sive circa divinæ generationis modum, sive circa Spiritus sancti nomina, hic loci rejicit, utilem autem traditionis usum non item; cum ibidem multa de utroque mysterio libris divinis haud expressa ipse proferat.

Inst. 2. Ratio id ipsum persuadet. Nam 1° Traditiones maximam partem ab Hæreticis sunt usurpatæ; ut Tertul., l. de Præscr. docet universim, Iren. autem l. 1, c. 23 et 24 de Basilidianis et Carpocratianis speciatim : 2° Sunt erroris et fabularum in Ecclesiam introducendarum occasio; ut patet ex regno millenariorum a Papia, Justino, Lactantio, et aliis Patribus invecto : 3° Sunt obnoxiæ tum mutationi, ut patet in multis, vi traditionis olim vigentibus, nunc vero antiquatis; tum omnimodæ desitioni, quale fatum attulit traditio dogmatibus Lycurgi, Pythagoræ et similium.

R. — *N. ass.* cum *prob.* 1. Quia modus confingendi traditiones; easque Scripturis præferendi, ab hæreticis usurpatus, est abusus traditionum, quem Tert. et Iren. laudati carpunt, et in quo juxta Cyprianum in ep. ad Jubaian. hæretici se probant simios Catholicorum; quorum traditiones veræ sunt et per Christum vel Apostolos communicatæ, dum eorum sunt falsæ et ab auctoribus nullius fidei prolatæ.

Ad prob. 2.— *D.* Sunt erroris et fabularum occasio per se, N. per accidens, C. sed ob hanc causam æque parum ac Scriptura, quantumvis per similem abusum detorta, est rejicienda. Porro Millenariorum dogma ex Scriptura male intellecta potius quam ex traditione ortum habuit; et si quidem habuerit etiam ex hac, defectus stabat in eo, quod solum ad antiqui-

tatem, non vero ad universalitatem, consensionem, aliasque traditionis qualitates, attendebatur.

Ad prob. 3. — *D. quoad prius :* Traditiones circa disciplinam, ritus et cæremonias sunt obnoxiæ mutationi, C. circa dogmata et mores, N. Primi generis exempla scimus in prægustatione mellis et lactis, immersione trina, pœnitentia publica, communione sub utraque specie, etc. secundi nulla extant.

Quoad posterius N. ass. Contrarium docuit experientia in traditionibus sacris ab exordio mundi ad Christum usque conservatis : disparem autem rationem facit tum verbi divini reverentia et fidei necessitas, tum providentia utrique addicta, quæ sacræ traditioni, præ illa Philosophorum profana, debita est ac convenit.

72. *Dico IV.* **Admittendum etiam est in hypothesi verbum Dei non scriptum, et existunt Traditiones divinæ circa plura dogmata quæ admittit Ecclesia Catholica.**

Prob. Nullum est dogma, quod Ecclesia Catholica admittit ut fide credendum, quod non exigat et habeat pro fundamento verbum Dei vel scriptum vel traditum ; quia 1um postulat notio divinæ fidei, 2um autem evincit Ecclesiæ infallibilitas infra probanda : sed aliqua sunt dogmata ab Ecclesia Catholica admissa ut fide credenda, pro quibus verbum scriptum extat vel nullum, vel saltem non clarum et convincens ; ut adversarii ipsi contendunt : ergo pro ejusmodi dogmatibus debet extare verbum Dei traditum : ergo existunt Traditiones quædam divinæ. *Conf.* Patres et Concilia in asserendis dogmatibus, ab Ecclesia Catholica admissis, provocant ad divinas Traditiones de hujusmodi dogmatibus ; cum præ his custodes et testes Traditionum meliores alii assignari nequeant.

Antecedens probatur.

I. Ex dogmate de extantia et numero librorum canonicorum ; de quo Serapion obtrusum sibi Marcionis Evangelium respiciens apud Euseb., l. 6, hist. Eccl., c. 12, ait : *Nos et Petrum et reliquos Apostolos perinde ac Christum ipsum suscipimus : sed quæ nomen illorum falso inscriptum præferunt, ea nos utpote gnari ac periti repudiamus; quippe qui compertum habeamus, ea nos a majoribus minime accepisse;* Origenes, ibid., c. 25, sic scribens refertur : *Sicut Traditione accepi de quatuor Evangeliis, quæ sola in universa Dei Ecclesia citra controversiam admittuntur ;* et Aug., l. cont. ep. fundam., c. 5 : *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas.*

II. Ex dogmate de sensu librorum canonicorum ; de quo Orig. Tr. 29 in Matth. inquit : *Quoties autem canonicas proferunt Scripturas, in quibus omnis Christianus consentit et credit, videntur dicere : Ecce in domibus verbum est veritatis : sed nos illis credere non debemus, nec exire a prima et Ecclesiastica Traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis ;* et Clem. Alex., l. 7 Strom. : *Qui verbis non recte sed perverse utuntur, neque eos, quos deceperunt, sinunt assequi veritatem. Sed nec ipsi introitus clavem habentes, sed falsam quamdam et adversam clavem, per quam non relaxato velo, ut nos ingredimur per Domini Traditionem, sed exciso ostio et muro Ecclesiæ perfosso, veritatem transgredientes, efficiuntur principes et duces mysterioram.*

III. Ex dogmate de Sma Trinitate de quo Basil., l. de Spir. S., c. 29, scribit : *Sane contra id quod dicunt, glorificationem* cum Spiritu *carere testi-*

monio, nec in Scripturis extare, illud dicimus : Si nihil aliud est receptum absque Scripturis, ne hoc quidem recipiatur : sin plura arcana citra Scripturam recepta sunt nobis, cum aliis pluribus et hoc recipiamus. Arbitror autem Apostolicum esse, etiam non scriptis Traditionibus inhærere, quarum maxime una est et hæc, de qua nunc agimus; quam qui ab initio præscripserunt, per longam consuetudinem Ecclesiis irradiarunt; Epiph. Hær. 69 : *Respondete nobis Arii discipuli : Ingenitum dicimus omnes simul Patrem et increatum; et admirabilis est dictio scilicet; ubi itaque est dictio hæc scripta, ostendite : neque enim Lex, neque Prophetæ, neque Apostoli*, etc.; Augustin., l. 3 cont. Maximin., c. 3 : *Da testimonia, ubi adoratus Spiritus sanctus; quasi non eis, quæ legimus, aliqua etiam, quæ non legimus, intelligamus. Sed ne quærere multa compellar : tu ubi legisti Patrem Deum ingenitum vel innatum? et tamen verum est.*

IV. Ex dogmate de baptismo, sive parvulorum, sive ab hæreticis collato; de primo Origen. in cap. 6, ep. ad Rom., inquit : *Ecclesia ab Apostolis traditione accepit, etiam parvulis baptismum dare*; et Aug., l. 10 de Gen. ad lit., c. 25 : *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda nisi Apostolica esset traditio.* De secundo Idem, l. 5 de Baptis., c. 23 : *Si non habent baptismum, qui de Deo prava sentiunt, hoc posse et intus accidere, jam satis disputatum est. Apostoli autem nihil quidem exinde præceperunt; sed consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.* Et l. de unitat. Eccles., c. 19 : *Hic forte dicis : lege mihi, quemadmodum Christus suscipi jusserit eos, qui ab Hæreticis transire ad Ecclesiam volunt. Hoc aperte atque evidenter neque ego lego, neque tu..... Cum hoc nusquam legatur; credendum est testimonio Ecclesiæ, quam veracem esse Christus testatus est.*

V. Ex dogmatibus contra Novatores definitis a Tridentino; pro qua decisione ad Traditionem provocavit Concilium Sess. 6, c. 3, circa justificationem per fidem; Sess. 13, c. 8, circa communionis sacramentalis sumptionem a Sacerdotibus et laicis; Sess. 14, c. 1, circa potestatem remittendi et retinendi peccata fidelium, Apostolis et eorum successoribus communicatam; Sess. ead. de Sacr. extremæ unct., c. 1, circa materiam et formam hujus sacramenti; Sess. 22, c. 4, circa Missæ canonem, et c. 9, circa fidem de sacrosancto Missæ sacrificio; Sess. 24, circa matrimonium; Sess. 25, c. 1, circa purgatorium et c. 2, circa invocationem et intercessionem Sanctorum, Reliquiarum honorem, legitimum Imaginum usum et venerationem; de quo postremo dogmate etiam Conc. Generale VII in definitione fidei ita loquitur : *Fatemur unanimiter nos Ecclesiasticas Traditiones, sive scripto sive consuetudine valentes et decretas, retinere velle; quarum de numero est imaginum effiguratio... Traditionem observantes, definimus cum omni diligentia et cura venerandas et sanctas imagines, ad modum et formam venerandæ et vivificantis crucis, e coloribus et tessellis aut alia quavis materia commode paratas, dedicandas, et in templis sanctis Dei collocandas habendasque.*

VI. Ex doctrinis, sive dogmaticis sive moralibus, conglobatis apud Patres; inter quos Tertul., l. de Corona, c. 3 et 4, inquit : *Denique ut a baptismate ingrediar, aquam adituri ibidem, sed et aliquando prius, in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo et pompæ et angelis*

ejus; dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes quam Dominus in Evangelio determinavit : inde suscepti luctis et mellis concordiam prægustamus, exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiæ Sacramentum et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cætibus, nec de aliorum manu quam præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annua die facimus. Die dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis orare. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum et aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. Rationem Traditioni et consuetudini et fidei patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit disces.

Basilius, l. de Spir. Sancto, c. 27 : *Ut signo crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? ut ad orientem versi precemur, quæ nos docuit Scriptura? Invocationis verba, cum conficitur panis Eucharistiæ et poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus aut Evangelium, verum alia quoque et ante et post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex Traditione citra scriptum accepimus. Consecramus autem aquam baptismatis et oleum unctionis; præterea ipsum qui baptismum accepit : Ex quibus scriptis? nonne a tacita secretaque Traditione? ipsam porro olei unctionem quis sermo scripto proditus docuit? jam ter immergi hominem, unde ex Scriptura habemus? nonne ex doctrina, quam Patres nostri silentio quieto minimeque curioso servarunt?*

Augustinus demum ep. 118 ad Januar., scribit : *Quæ non scripta sed tradita custodimus... Sicut quod Domini Passio et Resurrectio et Ascensio in cœlum et adventus de cœlo Spiritus sancti, anniversaria solemnitate celebrantur; et si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacumque se diffundit, Ecclesia. Alia vero quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est, quod alii jejunent sabbato, alii vero non : alii quotidie communicant corpori et sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt : alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur, alibi tantum Dominico : et si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes*, etc.

Objectiones contra hanc partem sicut contra singularia dogmata pugnant, sic propriis singulæ locis habentur.

73. *Observa.* Traditiones sacras depositas esse apud Ecclesiam, ostendunt sacræ litteræ 1 ad Tim. 6, v. 20 : *O Timothee depositum custodi*; 2 ad eumd., c. 1, v. 13 et 14 : *Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti... bonum depositum custodi.* Et ibid., 2, v. 2 : *Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* : confirmant Patres, maxime Irenæus, l. 3, c. 3, scribens : *Non oportet adhuc apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quæ sunt veritatis; ut omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ... Quid enim? et si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in*

antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de præsenti questione sumere, quod certum et re liquidum est? Et Tertull., l. de Præscrip., c. 21 : *Quid autem prædicaverint Apostoli, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Aposloli condiderunt, ipsi eis prædicando tum viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas postea :*

Comprobat denique Ratio; quia supposito, quod parte prima diximus, nullam post Apostolos revelationem novam fieri Ecclesiæ, debuit ab Apostolis apud Eccesiam deponi doctrina omnis, quæ ipsi usque ad seculi consummationem necessaria erat; tum ut ex ea fidem moresque formaret fidelium, tum ut ex ea damnaret errores, quibus fidei morumque puritatem corrumpere studerent hæretici. Si autem omnis illa doctrina apud Ecclesiam deposita fuit, sequitur etiam depositas fuisse traditiones divinas, verbo Dei scripto non expressas, cum sine his memorati fines obtineri nequeant.

Adminicula porro traditionem depositam conservandi, præter singularem divinæ providentiæ curam, præcipua sunt imprimis Conciliorum canones, Patrum scripta, Historiarum libri, quibus traditiones primum oretenus prolatæ nec sacris litteris comprehensæ, postmodum vel ad fideles docendos, vel ad hæreticos refellendos, vel ad fidem illustrandam consignatæ fuerunt : tum monumenta sive stabilia et permanentia, ut sunt templa, altaria, sacri fontes, cruces, imagines, libri Ecclesiastici, et similia; sive transeuntia quidem sua in actione, sed tamen continuata per usum, observantiam et mores, qualia sunt ritus Sacramentorum, celebratio festorum, jejuniorum observatio, oblatio missarum diversarum, supplicationes, orationes, etc. : demum successio continuata Episcoporum, et frequens hæresum sive nativitas sive resuscitatio; quorum illi doctrina sua sana, hæ autem perversa et damnata non sinunt traditiones antiquas obliterari.

ARTICULUS III.

QUÆNAM SINT REGULÆ DIGNOSCENDI ET USURPANDI TRADITIONES SACRAS?

74. *Nota.* Quanquam heterodoxorum plerique, teste Cano l. 3 de Loc. Theol. c. 1, non sint adeo stupidi, ut verba Christi et Apostolorum, quæ modo eorum esse constat, infirmare, atque sic quæstionem Juris negare pergant : in quæstione tamen facti contra Catholicorum argumenta tanto obstinatius suos errores propugnant, quo minus nosse nos putant quid Christus quidve Apostoli fuerint locuti, et quo magis ex hac ignorantia usum Traditionis ac vim argumentationis nostræ inde depromptæ vacillare contendunt. Utrique exceptioni opponimus regulas, quarum priores ostendant certas notas, quibus divinæ ab humanis et Apostolicæ ab Ecclesiasticis Traditiones dignoscantur; posteriores autem doceant methodum legitimam, qua argumentatio ex Traditione desumpta energiam habeat.

75. *Dico I.* **Regula generalis dignoscendi an sit genuina, et qualis Traditio sacra, stat in judicio Ecclesiæ.**

Ratio patet *tum ex dictis* (num. 73) quia Traditiones a Christo et Apostolis apud Ecclesiam sunt depositæ, et fideliter ab eadem custodiuntur : ergo si de aliqua Traditione oritur quæstio, sicut ad Ecclesiam spectat de illa

testimonium dare et sententiam, sic ejus enuntiato indubia est, certoque veritatem determinat : *tum ex dicendis* de Ecclesia tanquam judice controversiarum; quia vi hujus characteris, sicut Ecclesia rite judicare potest de authentia sensuque Scripturæ, sic de Traditionis sacræ veritate et qualitate judicandi auctoritate pollere debet.

Conf. Facultas indubie judicandi de authentia et proprio charactere Traditionis, 1° necessaria est Ecclesiæ, cum dari veras traditiones probatum sit, et spurias a fraude aut simplicitate tam hæreticorum quam fidelium profectas plures constet experientia, adeoque vis utrasque discernendi necessaria appareat : 2° hæc facultas reipsa data est Ecclesiæ, ut satis ostendunt tum suavis Dei providentia, quæ non deficit in necessariis, tum promissa Spiritus sancti assistentia usque ad Seculi consummationem : 3° eadem jam sæpius usurpata est ab Ecclesia, quemadmodum id enuntiant plura Concilia Generalia et Patrum testimonia de multis dogmatibus et institutis per Disputationem præsentem adducta : ergo.

76. *Dico II.* **Regulæ speciales pro dignoscendis traditionibus stant in principiis certis, ex quibus origo Traditionis legitime deducitur.**

Ejusmodi sunt pro asserenda *Traditione divina.*

I. Si traditio sit doctrina quam universa Ecclesia tenet tanquam dogma fidei; quia cum Ecclesia errare non possit in fide, quidquid tanquam fide credendum proponit vel amplectitur, id certissime a Deo revelatum est. Colligitur hæc regula ex Iren., l. 3 adv. hær., c. 2; Tertull., l. de Præscript., c. 28; Cypr., l. 3, ep. 13; Hier., ep. 75 adv. Vigilant. et Aug., l. 2 de Bapt., c. 2. Exempla habentur in dogmatibus de perpetua Deiparæ virginitate, valore baptismi infantium vel ab hæreticis collati, et aliis pluribus.

II. Si sit praxis, quæ a nulla potestate humana, sed a solo Deo constitui potest, servaturque ab Ecclesia universa; quia tam parum Ecclesia potest errare circa Dei instituta, quam circa ipsam fidem, et quod humanam instituendi potestatem superat, a Deo originem habere debet. Colligitur ex Aug., l. 10 de Genes. ad lit., c. 23 et l. 2 de baptism., c. 7. Exempla habentur in materiis et formis Sacramentorum, Confessione Sacramentali præmittenda sumptioni Eucharistiæ, et similibus.

III. Si sit doctrina vel praxis, quam simili modo tenuit et servavit universa Ecclesia quovis seculo; quia sicut tota præsentis seculi Ecclesia admittere nequit tanquam divinum, quod humanum est; ita nec præcedentium seculorum Ecclesia id potuit, cum una et eadem sit Christi sponsa, licet diversis ætatibus distincta. Colligitur ex testimoniis et exemplis ad regulam primam allatis, et amplius ex Iren., l. 3, c. 2 et 3 ac Vincent. Lirinensis Commonit., c. 2 declaratur.

IV. Si sit ejusmodi, quod omnes vel saltem plerique Patres vel Ecclesiæ Doctores ac Pastores, sive in Concilio Œcumenico congregati sive seorsim scribentes, cæteris scientibus et non contradicentibus doceant ex divina traditione provenire, aut doctrinam contrariam tanquam hæreticam rejiciant, aut praxin tanquam medium ad salutem necessarium exigant; quia Patres et Pastores omnes Ecclesiam docentem constituunt, quam oves et Ecclesia discens sequi tenentur, adeoque illi errare non possunt, sicut Ecclesia nequit errare; ac præterea dum adhæremus Ecclesiasticis Doctoribus et sejungimur ab hæreticis, spiritum veritatis sequimur, et pseudopro-

phetas hominesque mendaces rejicimus. Colligitur ex Hier. ep. ad Pammach. Leon., ep. 13 ad Augustam et Patribus Conc. 7, act. 6, ubi et exemplum de cultu imaginum habetur, sicut et alia ex Tridentino num. 69, § 5, attulimus.

V. Si sit traditio, quam tanquam divinam custodiunt et tenent Ecclesiæ etiam particulares, in quibus perseverat haud interrupta Episcoporum ab Apostolis, a quibus fundatæ fuerunt, successio, qualis jam una est Ecclesia Romana; quia apud eas depositas traditiones divinas supra ostensum est. Colligitur ex Iren., l. 2, c. 3; Tertul., l. de Præscr., c. 21; Theodosio apud Socr., l. 5, c. 10 et Soz., l. 7, c. 12. Exempla prostant in libris Deuterocanonicis, baptismo Hæreticorum, admissione justorum ad gloriam, etc.

Regulæ pro asserenda *Traditione Apostolica* sunt.

I. Si quod Ecclesiastica quidem potestate institui poterat, non tamen ostenditur aut a Pontifice institutum, nihilominus in Ecclesia universa et omnibus retro temporibus servatum est; quia vetusta consuetudo, cujus initium non invenitur, sicut ad Apostolorum tempora referri debet, sic et eorum institutioni tribuendum est, cum pro divina non adsit necessitas, et cum mere Ecclesiastica non concilietur antiquitas et universalitas. Colligitur ex Aug., l. 3 de Baptism., c. 7, et l. 4, c. 24, et verificatur in jejunio quadragesimali, die Dominica Sabbato substituta, etc.

II. Si Patres Apostolis proximi, jam suis temporibus usum antiquum et communem rituum aut ceremoniarum similium referant, aut Apostolicam institutionem declarent; quia, præter modo dicta, id auctoritas horum virorum satis probat. Colligitur ex Tertul., l. de Coron., c. 3 et 4; Basil., l. de Sp. S., c. 27 et patet in exemplis num. 69, § 6 conglobatis.

Regulæ pro asserenda *Traditione mere Ecclesiastica* sunt. I. Si ipsa rei ratio tardiorem epocham exigat, qualis est in festis et vigiliis Sanctorum : II. Si institutionis origo designari possit : III. Si vigeat in aliqua tantum Ecclesia particulari : IV. Si a paucis, licet antiquis scriptoribus, commemoretur, sed contradicant alii numero et auctoritate pares aut præcipui : V. Si viri Ecclesiastici et apostolica præsertim Ecclesia traditionem tanquam novellam repudient. Vide de his Vincent. Lirin. in Commonit., c. 20, 21, 22 et 28.

77. *Dico III.* **Regulæ pro usu theologico Traditionum sacrarum sunt.**

I. Ut Traditio sacra in sua specie efficaciter probet, eam certam esse oportet; cum principium dubium non sit legitima argumentandi sedes.

II. Traditio divina firmum et efficax præbet theologo argumentum tum ad fidei morumque dogmata, tum ad oppositos his contradictores redarguendos et convellendos; quia æqualem cum verbo Dei scripto ex dictis (num. 63) auctoritatem tenet.

III. Traditio Apostolica, imo mere Ecclesiastica universalis et perpetua dat idoneum firmumque argumentum ad varia Religionis capita tum stabilienda tum defendenda; quia auctoritas principii, consuetudinis vis, et usus Ecclesiæ id juste desiderant.

IV. Nec Traditio particularis, nec temporanea, licet Apostolica aut universalis, præbent legitimum argumentum, ad extendendam priorem ad Ecclesias alias particulares, aut posteriorem ad omnia tempora, etiam moderna; quia utraque potest esse libera et mutationi obnoxia; ut patet in

jejunio sabbatino, immersione baptismali, pœnitentia publica, aliisque supra recensitis.

78. *Observa.* Sicut aliquorum duntaxat Patrum assertum non facit traditionem aliquam, maxime particularem, certam, ut patet in exemplo S. Cypriani et Firmiliani ad anabaptismi traditionem in Asia et Africa provocantium; si nec complurium etiam Patrum, aliquam traditionem olim negantium, eam spuriam reddit, ut in libris deutero-canonicis universim, et speciatim in epistola ad Hebræos exemplum est manifestum : fuit enim aliquando etiam de divinis et Apostolicis Traditionibus inter ipsos orthodoxos Patres et Doctores litigatum, donec plenario orbis concilio, ut S. Aug. loquitur etiam remotis dubitationibus, firmaretur, ut eliquatissima perspectione res discussæ, crescente paulatim luce, omnino patescerent. Neutrum tamen vim hujusmodi traditionis, aut argumentum ex ea depromptum infringit, ubi postmodum Ecclesiæ judicio declaratum fuerit, traditionem adulterinam non esse, sed genuinam.

DISPUTATIO II.

DE PRINCIPIIS DIRECTIVIS.

CAPUT I.

DE ECCLESIA CHRISTI.

Ordiri altius oporteret, nec quæstionem ad unam Christi Ecclesiam constringere, si ad religionem universim omnemque ejus diversitatem excurrere liberet. Ne autem amplissima illa spatia hic perlustranda sint, faciunt dogmata de unitate Dei, adventu Messiæ, et Christi divinitate, aliis in tractatibus stabilita, quibus Atheorum insania, Polytheorum superstitio, Judæorum pertinacia, et Mahometanorum aliorumque Christimachorum vanitas exponitur et expugnatur. His velut jam certis suppositis et demonstrandis, sequitur veram Ecclesiam esse Ecclesiam Christi : ut adeo de hoc asserendo laborandum nunc minime sit; sed de hujus duntaxat Ecclesiæ notione, membris, notis, ac proprietatibus disquirendum, et cuinam e cœtibus, qui se Christianos dicunt ac Christum profitentur, nomen et axioma ejusdem vere jureque tribuendum; ut inde auctoritas principii directivi seu vivæ regulæ fidei et vindicari Ecclesiæ, et determinato subjecto adscribi possit : quod omne præsentis capitis erit argumentum.

ARTICULUS I.

QUÆNAM SIT NOTIO ECCLESIÆ CHRISTI.

79. *Nota.* Ecclesia non minus ac Synagoga voces græcæ sunt, quarum illa evocationem, ista congregationem latine sonant, significatione activa sensum passivum faciente. Utraque usurpatur vel tropice pro loco, ubi ejusmodi evocatio vel congregatio sit, ut accipitur 1 ad Cor. 11, v. 18 : *Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio esse scissuras,* et Luc. 7, v. 5 : *Synagogam ipse ædificavit nobis;* vel proprie pro cœtu ac multitudine evocatorum aut congregatorum. Ecclesia proprie usurpata accipitur vel in bonam partem, ut Psal. 149, v. 1 : *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum;* vel in malam, ut Psal. 25, v. 5 : *Odivi Ecclesiam malignantium;* vel indifferenter, ut Psal. 106, v. 32 : *Exaltent eum in Ecclesia plebis.*

Ecclesia in bonam partem accepta sumitur vel late pro cœtu colentium Deum; et sic complectitur Ecclesiam tum triumphantem seu beatos, etiam

angelos in cœlis, tum patientem seu animas in purgatorio, tum militantem seu viatores homines in terris : vel stricte pro cœtu fidelium ; quæ denominatio proprie convenit viatoribus seu Ecclesiæ militanti. Ecclesia stricte sumpta accipitur vel communius pro cœtu credentium præcise Deum ; unde et Ecclesia Dei dicitur, continetque fideles in omni statu, Naturæ scilicet, Legis et Gratiæ ; vel singulariter et antonomastice pro cœtu credentium explicite Christum ; unde Ecclesia Christi vocatur, et complectitur præcise Christianos vel saltem baptizatos. Posterior etiam simpliciter dicitur Ecclesia, cum prior appelletur Synagoga, captato ex etymologia discrimine ; quia juxta S. Augustini commentarium in epistolam ad Romanos ; Judæi, *quod carnales essent, pecorum more congregari dicebantur ;* Christiani vero, *quod spirituales sint, more creaturarum ratione præditarum, evocari* debeant.

Porro cum Ecclesia hæc simpliciter dicta et antonomastice talis juxta S. Aug., in Breviculo Collationis, Coll. 3 habeat se instar totius constantis ex anima et corpore, atque hinc vel inadæquate secundum alterutram, vel adæquate secundum utramque partem spectari possit ; Ecclesiæ notionem diversis hujusmodi considerationibus respondentem asseremus, subjecturi postea positiones aliquot, quibus hodierni quorumdam errores circa naturam Ecclesiæ secundum corpus consideratæ breviter et velut transeundo profligantur.

80. *Dico I.* **Ecclesia Christi inadæquate secundum animam considerata est cœtus vocatorum ad Christi fidem, supernaturalibus dotibus cum Christo conjunctus.**

Prob. Ecclesia in hac consideratione spectatur secundum internam conjunctionem membrorum cum capite per media et vincula proportionata : sed vocati ad fidem sunt membra Ecclesiæ, ex ep. ad Ephes., c. 1, v. 22 : *Et ipsum,* Christum, *dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius et plenitudo ejus,* et c. 5, v. 23 : *Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ ;* aliisque locis : supernaturales dotes, hoc est, Fides, Spes et Charitas cum reliquis virtutibus et Spiritus sancti donis sunt vincula et media proportionata hujus conjunctionis, ut ex eorum natura et officio patet : ergo.

81. *Dico II.* **Ecclesia Christi inadæquate secundum corpus considerata est cœtus baptizatorum, ejusdem fidei Christianæ professione et eorumdem sacramentorum communione, sub uno Christi in terris vicario adunatus.**

Prob. Ecclesia in hac consideratione spectatur secundum externam conjunctionem membrorum Ecclesiæ visibilis cum capite per media itidem sensibilia et proportionata : sed soli baptizati juxta Florentinum et Tridentinum, Sess. 14, c. 2, sunt membra hujus Ecclesiæ : Christus statuit in terris sui vicarium, eumque voluit Ecclesiæ caput esse, cum dixit Matth., 16, v. 18 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* et Joan. 21, v. 15 et seqq. : *Jesus dicit Petro : pasce agnos meos, pasce oves meas ;* quod infra uberius de unitate Ecclesiæ et Summo Pontifice ostendetur : media autem tum sensibilia tum proportionata habentur ad hunc finem in professione fidei, sacramentorum participatione, cultuque ac subjectione uniformi : ergo.

82. *Dico III.* **Ecclesia Christi adæquate sumpta est cœtus fidelium baptizatorum, quos interius quidem animat fides, spes et charitas, exterius autem fidei ejusdem Christianæ professio et eorumdem sacramentorum communio adunat sub uno capite Christo in cœlis, et ejus in terris vicario, Summo nempe Pontifice.**

Sequitur hæc thesis et descriptio ex duabus considerationibus prioribus in unam collectis; quod additur de Pontifice, sequitur itidem ex præmissis; quia Vicarius Christi in terris constitutus, et quidem unicus ad unitatem Ecclesiæ servandam admittendus, alius præter Pontificem Summum designari nequit. Sed de hoc infra uberius.

83. *Dico IV.* **Ecclesia Christi est cœtus auctore Christo institutus; non autem vel mutuo fidelium consensu coalitus, vel humana potestate politica coordinatus.**

Prob. Ex Litteris, quas Christiani sacras agnoscunt, et ex profanis æque ac Ecclesiasticis scriptis coævis, et ætatum ex ordine sequentium, conspirantibus certum est 1° ante secula 17 vixisse in Judæa Jesum compellatum Christum : 2° Eumdem promulgata religionis novæ doctrina adscivisse sibi discipulos, et habuisse sectatores : 3° Eosdem tum ante tum post Christi mortem persuasisse pluribus eamdem doctrinam a se divulgatam : 4° in ejusdem tum prædicatione tum receptione doctrinæ illis successisse alios ad nostra usque tempora et per universum terrarum orbem. Atqui hæc multitudo tum prædicantium tum recipientium illam doctrinam est imprimis Ecclesia Christi, saltem secundum corpus spectata, ut ex conditionibus ad hanc requisitis et in illa patentibus dignoscitur; deinde Christum habet auctorem ducem et institutorem ut ex præmissis apertum est : ergo Ecclesia Christi est cœtus auctore Christo institutus.

Conf. Iste cœtus neque mutuo fidelium consensu aut politica hominum ordinatione revera coaluit, neque coalescere potuit. Non *primum;* quia religionem Christi et doctrinam nec fideles proprio ingenio excogitarunt, aut suo nomine promulgarunt, aut temere vel tanquam a se inventam acceptarunt; nec magistratus quispiam humano-politicus ordinavit; cum judaicus et gentilis institutioni omni ex parte obstiterit, christianus autem postea huic cœtui conjunctus institutionem factam et ordinatam jam invenerit. Non *secundum;* quia Ecclesia et religio Christi, quoad fidem credendorum, cognitionem et captum, quoad obligationem maxime internam agendorum, potestatem et imperium, quoad efficaciam mediorum, vires et energiam hominum penitus excedit.

84. *Dico V.* **Ecclesia Christi ex institutione sua est cœtus hierarchicus; non vero collegium æqualium.**

Prob. Ecclesia Christi ab et ex institutione sua continet in se majores et minores, Matth. 22, v. 26 : *Qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est, sicut ministrator;* præpositos et subditos, ep. ad Hebr. 13, v. 17 : *Obedite Præpositis vestris et subjacete eis;* præcipientes et obsequentes, Act. 15, v. 28 : *Pertransiens civitates præcipiebat eis custodire præcepta Apostolorum et Seniorum;* rectores et regendos, Act. 20, v. 28 : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* Item docentes et discentes, Matth. 28, v. 19 : *Euntes ergo docete omnes... docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis;* ju-

dices et judicandos, Joan. 20, v. 23 : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt;* ministros, dispensatores, mediatores, legatos, cum aliis quorum causa hæc officia exhibentur, 1 ad Cor. 4, v. 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*, et 2 ad Cor. 5, v. 18 et seqq. : *Dedit nobis ministerium reconciliationis : pro Christo ergo legatione fungimur.* Ergo.

Conf. Ecclesia Christi comparatur in Scriptura regno, civitati, domui, familiæ, ovili et corpori, ibidemque maxime 1 ad Cor. 12, diversis diversa officia et potestates assignantur : ergo ad horum similitudinem Ecclesia Christi et cœtus hierarchicus, seu certis superiorum et inferiorum gradibus distinctus; non autem æqualium collegium.

85. *Dico VI.* **Ecclesia Christi est cœtus legibus propriis, non conventionalibus solum, constitutus.**

Prob. Leges propriæ et non conventionales sunt, quæ promanant a superiore, sanciuntur sine interventu et rogatione populi, necessitatem obedienti imponunt, non relinquunt intercedendi aut omittendi libertatem : ejusmodi leges sunt, quibus constituta est Ecclesia Christi. Nam Christus imprimis legitimus est Ecclesiæ superior, ut per se patet et Episcopi veram superiorum potestatem a Christo acceperunt, ut ex num. 84 et Tr. de Legibus manifestum est : nullam dein rogationem populi intervenisse sive in legibus institutionis Christi, sive in præceptis et ordinationibus tum Apostolorum tum successorum ipsis datorum circa reliquam Ecclesiæ constitutionem, liquet tam ex sacris litteris, quam ex historia Ecclesiastica : denique necessitatem obediendi inductam, libertatem intercedendi ademptam probat auctoritas non tantum Christi, sed etiam Ecclesiastici magistratus præceptiva et coactiva in Tr. de LL. asserta et vindicata : ergo.

Conf. Leges conventionales locum duntaxat habent in cœtu mutuo paciscentium consensu coalito, aut collegio æqualium : sed Ecclesia Dei nec ejusmodi cœtus est, nec collegium, ex thesibus proxime superioribus : ergo.

86. *Observa.* Ecclesia hactenus descripta dicitur *particularis*, si sumatur pro certo et determinato cœtu hujusmodi restricto vel intra domum aliquam aut familiam, ut fit in ep. ad Rom. 16, v. 3 et 5, vel in una civitate ac diœcesi, ut fit 1 ad Cor. 1, v. 1 et 2, vel in integra provincia, natione aut regno, ut fit ad Tit. 1, v. 5; indeque Ecclesia domestica, diœcesana, metropolitana, provincialis, nationalis, orientalis vel occidentalis appellatur. *Universalis* dicitur, si pro tota christianorum gente quaquaversum diffusa ac distributa capitur. Utrique Ecclesiæ data notio convenit, quantumvis particulares Ecclesiæ proprios pastores habeant; cum et hi sub uno capite Christo in cœlis et ejus in terris vicario adunentur.

Sumitur autem *Ecclesia universalis* vel substantialiter et complete pro omnibus nempe partibus, tam subditis quam præpositis, tam discente quam docente Ecclesia; vel formaliter et repræsentative pro parte docente et Episcopis, maxime in concilio œcumenico confluentibus, vel denique materialiter et subjective pro parte discente et plebe fidelium; quarum acceptionum prima et forte ultima ad præsens caput, media autem ad bina sequentia pertinet.

ARTICULUS II.

QUINAM SINT DE VERA CHRISTI ECCLESIA.

87. *Nota.* Ecclesiam non tantum adæquate sumptam sed et inadæquate acceptam secundum corpus, simpliciter dici veram Christi Ecclesiam, patet tum ex parabolis, sub quibus scriptura Matth., c. 3, v. 12; c. 13, v. 47; c. 22, v. 2; c. 23, v. 1, et alibi Ecclesiam exhibet; tum ex hominum diversitate, qua Cypr., l. 3, ep. 3. Aug. in Brevic. Coll. 3, c. 9; Greg. Naz. in Or. 1 apol.; Chrys. in Ps. 39, v. 13; Hier. in Dial. cont. Lucif. ult. med.; Fulg., l. de Fid., c. 43; Greg., hom. 11 et 38, in Evang. aliique constare docent Ecclesiam; necnon ex vulgari loquendi modo juxta quem de rebus loqui secundum externa, et subditos, milites, ministros, Reges et Catholicorum et Christianissimum dicere solemus, qui se tales exterius profitentur. De hac Christi Ecclesia simpliciter dicta quæstio præsens versatur, facile quidem decidenda, si ad descriptionem (num. 82) datam, et ad singula ejus prædicata attendatur : cum ratione primi, non baptizati licet aliena religione carentes; ratione secundi, præter Judæos, Turcas et Paganos, Apostatæ ac Hæretici; ratione tertii, Cathecumeni et Excommunicati; ratione quarti, Schismatici ab Ecclesia excludantur : reliqui vero, quantumvis reprobi aut impii, modo nulla horum conditione destituti, includantur.

Difficultatem tamen nonnullam movet duplex Ecclesiæ systema ab hæreticis posteriorum temporum recens adoptatum aut inventum. Alterum coarctat Ecclesiam aut ad solos prædestinatos; cujus auctor fuit Wicleffus secundum propositiones in Conc. Constantiensi Sess. 15, damnatas, sectator vero Calvinus juxta suæ de justificatione doctrinæ sequelam, et Quesnellus in prop. 72, 73, 74, 75, 76, 77, 78, per Bullam *Unigenitus* damnatis : aut ad solos perfectos; ut apud Aug., l. de Hæres., c. 88, docuerunt Pelagiani, et nuper Anabaptistæ : aut ad solos justos, vel ab infidelitatis saltem crimine immunes; quod voluerunt Novatiani apud Cypr., l. 4, ep. 2, Cathari apud Epiph., l. de Hæres., Donatistæ apud Aug., l. 3 cont. Parmen., c. 2, itemque Lutherani in Conf. August. Art. 7 et apud Lutherum, l. de Conc. et Ecclesia. Alterum colligit ad Ecclesiam omnes etiam sectas hæreticorum et schismaticorum, modo illi fundamentales, ut vocant, Christianæ Religionis articulos credant. Hujus artifex priori seculo fuit Petrus Jurieu, famosus apud Calvinistas præco, in libro, verum Ecclesiæ systema, inscripto; illudque nunc Calvini sectatores plures, ad Ecclesiam suam a gravissimis oppositionibus vindicandam, amplectuntur.

88. *Dico I.* **De Ecclesia nec sunt soli prædestinati, sed et reprobi; nec soli perfecti, sed et imperfecti : nec soli justi, sed et peccatores.**

Prob. 1ª *p.* Ecclesia Matth. II. cc. comparatur areæ triticum et paleam habenti, sagenæ pisces bonos et malos complectenti, convivio hospites ornatos et veste nuptiali destitutos excipienti, decadi virginum tot fatuas quot prudentes numeranti; in ep. 2, ad Tim. 2 domui vasa aurea, lignea et lutea, honorifica item et turpia continenti : Easdem parabolas etiam de reprobis una cum prædestinatis in Ecclesia comprehensis Cypr., l. 3, ep. 3

et l. 4, ep. 2; Aug. Tr. 45 in Joan. et l. 2 cont. Crescon., c. 34; Chrys. hom. 6 in ep. 2 ad Tim. explicant. Ergo.

Conf. Sequeretur 1° invisibilem et incertam esse Ecclesiam; adeoque nec fideles agnoscendos a Pastoribus, et vicissim; nec infideles, nisi forte temere perventuros ad veram Christi Ecclesiam; 2° nec infantes baptizatos, nec adultos peccato adhuc immunes, sed non prædestinatos, esse in Ecclesia; e contrario autem plures adhuc idololatras, Judæos, Hæreticos, et Schismaticos olim tamen convertendos et salvandos, jam nunc intra Ecclesiam contineri : quæ omnia plane absurda sunt.

Prob. 2ª *p.* Excepto Christo et Beatissima Virgine, nec sanctissimi omnino perfecti sunt, aut vacant peccato quocumque veniali; ut patet ex 3 Reg. 8, v. 46; Prov. 24, v. 16; Jac. 3, v. 2 et 1 Joan. 1, v. 8; Item ex Cypr. serm. de Eleemos., Greg. Naz. Orat. 2 in Julian.; Ambr., serm. 16, in Ps. 118. Ergo cum Christus et Beatissima Virgo soli non faciant Ecclesiam; nulla fuit, est, aut erit Ecclesia, si ex solis perfectis illa constitueretur. *Conf.* S. Aug., l. de perf. Justitiæ; Hier., l. 3 Dial. et Chrys. in Ps. 39, ex professo oppugnant errorem Pelagianorum : ergo.

Prob. 3ª *p.* In V. et N. Testamento narrantur peccata populi Dei; Matth. 23; Apoc. 2 et 3, item 1 ad Cor. 1, fit mentio fidelium tum præpositorum, tum subditorum, qui peccaverunt; Matth. 18 et 1 ad Cor. 5, propter peccata designantur ejiciendi ex Ecclesia : similia commemorant, et speciatim contra Novatianos ac Donatistas probant, peccatores in Ecclesia Dei haberi, Cypr., l. 3, ep. 3; Nax. Or. 1 apol.; Chrys. in Ps. 39; Hier. in Dial. cont. Lucif.; Aug. in Brev. Coll. 3, et l. de unit. Eccl., c. 13; Fulg., l. de fid., c. 43; Greg., hom. 11 et 38, etc. Ergo. *Conf.* Sequeretur 1° Ecclesiæ membra reddi incerta et dubia, neminemque scire, quinam sint de Ecclesia; adeoque frustranea in Ecclesia esse sacramenta; 2° Prælatos Ecclesiæ in peccatum lapsos, cum extra Ecclesiam fierent, nihil jam prodesse, nec suæ potestatis actum exercere posse; quod in prop. Joannis Huss a Conc. Constantiensi Sess. 15, damnatum est; 3° etiam subditos, si peccarint, desinere esse de grege; adeoque nec hos obedire Prælatis, nec Prælatos horum gerere curam aut posse aut oportere.

89. *Objic.* Ex rebus, quibuscum comparatur Ecclesia, constat eam conflari ex solis prædestinatis. Nam 1° secundum Aug., l. 5 de bapt., c. 18, comparatur cum *arca Noe :* sed in hac non erant nisi salvandi ex aquis diluvii : ergo. 2° Eadem, tanquam vera Christi sponsa Cant. 4, dicitur *hortus conclusus, fons signatus et puteus* aquarum viventium : sed hæc omnia, juxta Aug., l. 5 de bapt., c. 27, congruunt propter prædestinatos : ergo. 3° A Christo ipso Joan. 10, confertur cum *ovili :* sed hujus oves sunt soli prædestinati, ut Aug. Tr. 45 in Joan. docet : ergo.

R. ad Arg. Transmisso supposito, quod a pluribus, duas saltem priores comparationes alio mystice transferentibus, negatur. N. *ass.* Ad ejus *prob.* 1° *D. M.* Ecclesia comparatur cum arca Noe, quoad omnia, N. quoad aliqua, C. Similitudo juxta Aug., l. c. Cypr. de unit., Hier. in ep. ad Damas. de trib. symb. stat maxime in duobus : 1° quod Ecclesia complectatur reprobos et electos, bonos et malos; sicut arca ferebat animalia immunda æque ac munda : 2° quod extra Ecclesiam salvetur nemo, sicut nullus extra arcam e diluvii aquis evasit salvus. Neque extendendam ad assertum esse compara-

tionem, patet ex collatione baptismi cum eadem arca 1 Pet. 3, v. 21, facta; quia exinde sequeretur omnes baptizatos esse prædestinatos et salvandos.

Ad 2. — *D. M.* Hæc omnia congruunt Ecclesiæ triumphanti, C. militanti, *Subd.* propter prædestinatos in sensu vel tropico vel restricto, C. in sensu proprio et illimitato, N. Responsio constat ex Aug., l. 2, Retr., c. 18, declarante, dotes singulares et eximias in Scripturis sub vario schemate relatas accipi plerumque de Ecclesia *gloriosa* seu triumphante. Adstipulamur tamen Ecclesiæ militanti, toti per synecdochen, alias etiam in sacris litteris usurpatam tribui, quod ejus duntaxat parti, sc. prædestinatis, proprium est; vel attributa ejusmodi hoc sensu accipi, ut per ea solum excludantur ab Ecclesia, qui conditionibus debitis caruerint.

Ad 3. — *N. M.* Contrarium siquidem ex Psal. 73, v. 1 et Joan. 21, v. 18, manifeste patet. Ad auctoritatem Augustini, R. S. Doctor, sicut priores comparationes a Rebaptizantibus perperam usurpatas locis cit. ad sensum catholicum restrinxit; sic et hic aperte declarat, etiam *oves esse foris, et lupos intus :* unde dum postea solos prædestinatos appellat oves, ovium quidem nomine intelligit eos duntaxat, qui perseveraturi sunt in finem, qui sensus Joan. 10, v. 27 et 28 habetur; non tamen usurpationem vocis ampliorem in Scriptura passim obviam, sensumque alium excludit.

Inst. 1. Ecclesia congregatur ex veris *filiis Dei* juxta Joan. 11, v. 52; aut ex iis, qui a Joanne ep. 1, c. 2, v. 19 dicuntur esse *ex nobis ;* sed soli prædestinati dicuntur esse filii Dei et ex nobis, ut Aug., l. de correp. et grat., c. 9 laudata verba tractans ostendit : ergo.

R. — *D. M.* Ecclesia tantum congregatur ex filiis Dei *aut ex nobis,* his præcise secundum prædestinationem ac permanentiam, seu secundum veritatem finis sic compellatis, N. etiam talibus secundum justificationem, communionem, seu veritatem essentiæ, C. Posteriorem sensum indicat ipse S. Doctor, dum l. c. negans probos haud prædestinatos esse vere filios, ita pergit : *Non quia justitiam simulaverunt, sed quia in ea non manserunt;* quod repetit l. 4 de bapt., c. 2 et l. 2 cont. Cresc., c. 21 ; ubi negat reprobos quidem nobiscum permansisse, minime autem, eos fuisse in societate et corpore Ecclesiæ.

Inst. 2. Ecclesia est solum illud corpus, quod Christus tanquam caput salvabit; qui enim non salvantur, ab. Aug., l. 3 de doctr. Chr., c. 32, dicuntur *simulatum,* non verum Christi *corpus :* sed solum corpus prædestinatorum salvabit Christus : ergo.

R. — *D. M.* Ecclesia est solum illud corpus, quod Christus tanquam caput salvat vel efficienter vel sufficienter, C. necessario efficienter, N. Ratio corporis et capitis in Ecclesia, ut ex dictis liquet, non desumitur a salute : sicubi tamen, uti hic fit ab Augustino, inde derivetur, Ecclesia accipitur secundum suam finem, non secundum materiam. Cæterum aliunde patet, Christum reprobis abunde providisse de sufficientibus ad salutem mediis.

Inst. 3. Propria Ecclesiæ excellentia in sacris litteris contestata excludit ab ea impios et imperfectos. Nam 1° dicitur Cant. 4, v. 7 : *tota pulchra et sine macula,* atque ad Ephes. 5, v. 27 *non habens maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi.* 2° Ibidem declaratur *sancta et immaculata;* quorum primum a symbolo, secundum a Conc. Tolet, VI, c. 1, tribuitur Ecclesiæ etiam militanti. 3° Sub schemate Sionis Isa. 35, v. 9, in ea *nec leo, nec mala bestia,* c. 52, v. 1, nec *incircumcisus, nec immundus* inveniri scribuntur.

R. ad. Arg. — *N. ass.* Ad ejus *prob.* 1. *D.* Ecclesia triumphans, C. Eccle-

sia militans, *Subd.* est tota pulchra, sine macula et ruga, vel comparative ad Synagogam aut alias societates, vel positive sive ratione sacramentorum, sive ratione membrorum nobiliorum, C. simpliciter et absolute, ac respectu præcise membrorum, eorumque omnium, N. Primam acceptionem probat Aug., l. 1 Retr., c. 29 et toto Lib. de Perf. Justit., sequiturque D. Thom., p. 3, q. 8, a. 2; alteram sub datis duntaxat limitibus permittit rei veritas. *Ad* 2 redit eadem distinctio : præsertim cum symbolum universim loquatur, concilium autem interpretationem aliam non excludat. *Ad* 3 *D.* Hæc dicuntur de Ecclesia in sensu litterali et historico, N. in sensu mystico, *Subd.* ad excludendos infideles, quorsum et Paulus 2 ad Cor., 6 hoc schemate est usus, C. ad excludendos quoscumque malos, N.

Inst. 4. Patres docent, malos neutiquam pertinere ad Ecclesiam. Et quidem 1° Cypr. ep. ad Magnum, Hier. in Com. ad Ephes. 5, Aug., l. 1 cont., lit. Petil., c. 108 et l. 2 cont. Crescon. diserte id enuntiant. 2° Aug., Tr. 6 in Joan. 1, l. de unit. Eccles., c. 21 et 22, l. 5 de bapt., c. 3, parem supponit esse conditionem tum hæreticorum tum malorum : priores autem non pertinere ad Ecclesiam ex dictis constat. 3° Idem, l. 3 de bapt., c. 18 et l. 7, c. 51 ac alibi docet solos sanctos esse illam Ecclesiam, *quæ supra Petram fundata est, et habet claves regni cœlorum, atque audienda* dicitur, h. e. militantem. 4° Ex Aug. doctrina sequitur saltem duas distingui Ecclesias, alteram ex bonis et malis mixtam, ex solis justis constantem alteram.

R. — *N. ass.* Ad ejus *prob.* 1 *D.* Et Patres hic vel accipiunt Ecclesiam secundum animam, et in sensu restricto, pro societate eorum qui vinculo charitatis inter se et cum Christo uniuntur; vel malorum nomine intelligunt infideles; vel membra designant non qualiacumque, sed perfecta, viva et spiritu charitatis animata, C. loquuntur pro statu nostræ quæstionis, N.

Ad 2. — *D.* Aug. parem supponit hæreticorum et malorum conditionem quoad potestatem valide baptizandi, et quidem in principiis Donatistarum, C. quoad inclusionem aut exclusionem ab Ecclesia, *Subd.* ab Ecclesia inadæquate sumpta secundum animam, C. adæquate aut secundum corpus sumpta, N. Docebant Donatistæ, Ecclesiam constare ex solis justis et sanctis; in ea sola et a solis ejus membris dari Spiritum sanctum, valideque conferri sacramenta : consequenter baptismum ab hæreticis datum rejiciebant et iterabant. Cum vero iidem tamen collatum ab impiis et peccatoribus baptismum tanquam validum admitterent, Aug. ll. cc. maxime l. de unit. Eccl., c. 22 et l. 4 de bapt., c. 4, inconstantiam doctrinæ impugnavit et Donatistas pressit argumento ad hominem, arguendo, in eorum principiis, non magis improbum pertinere ad Ecclesiam et Spiritum sanctum dare, quam hæreticum; adeoque vel utriusque vel neutrius baptismum esse rejiciendum.

Ad 3. — *D.* Docet solos sanctos esse illam Ecclesiam in genere finis hoc sensu, quod privilegia Ecclesiæ concessa sint data in sanctorum utilitatem, salutem et consecutionem vitæ æternæ, C. in quocumque alio genere, quasi Ecclesia sic sit instituta, ut solis constet sanctis, et per solos sanctos administrentur sacramenta, N. Hunc sensum S. Doctoris contextus et l. 2 cont. Petil., c. 10 et 11 produnt.

Ad 4. — *N. seq.* Refutavit hanc imposturam Aug. in Brev. Coll. ad., d. 3, c. 9 ubi tradit quidem distingui Ecclesiam posse tum secundum partes, in bonos quasi animam et interiorem, in malos quasi in corpus et exteriorem partem; tum secundum tempora in militantem, quæ solos bonos contineat :

minime tamen asserit duas esse Ecclesias; sicut nempe nec duo homines sunt, dum exterior et interior sumitur; nec duo Christi, licet semel mortuus fuerit, nunc vero non moriturus.

Inst. 5. Dogma idem suadetur ratione multiplici. Nam 1° Qui Deum non habet patrem, Ecclesiam nequit habere matrem, nec ad eam pertinere : mali patrem non habent Deum, sed diabolum, ex Joan. 8, v. 44, ergo. 2° Qui non pertinet ad Christum, nec ad Ecclesiam pertinet, cum unum ex utroque corpus fiat : sed impii, utpote carentes Spiritu Christi; non pertinent ad Christum, ex ep. ad Rom. 8, v. 9 : *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus :* ergo. 3° Qui ab Babylonem pertinet, non spectat ad mysticam Jerusalem sive Ecclesiam, quia civitates oppositæ sunt, et alia pacis, confusionis alia : mali pertinent ad Babylonem, ut Aug., l. 14 de Civ., c. 28 designat : ergo.

R. — *N. ass.* — Ad ejus *prob.* 1. *D. M.* Qui Deum non habet patrem ullo modo, non habet Ecclesiam matrem, C. qui non habet omni modo, N. Deum habere patrem et filius Dei quis esse potest vel per institutionem et doctrinam, vel per regenerationem et adoptionem sive constantem sive temporariam, vel per imitationem. Quamvis ergo peccatores a Christo dicantur esse ex patre diabolo, et sic secundum imitationem et adoptionem constantem Deum non habeant patrem; possunt tamen eumdem tanquam patrem respicere prioribus modis, ut ipse Deus significavit, Isa. 1, dicens : *Filios enutrivi et exaltavi : ipsi autem spreverunt me.*

Ad 2. — *D. M.* Qui non pertinet ad Christum, ut præcise caput est et constituit Ecclesiam, C. qui non pertinet ad Christum, ut vivificavit et per charitatem agit, *subd.* non pertinet ad Ecclesiam secundum esse formale et secundum animam, C. secundum esse materiale, et secundum corpus, N. Quin et peccatores, quamvis sint membra hujus corporis mortificata, arida et imperfecta, tamen ob continuitatem externam et capiti subsunt, et motu externo simul cum aliis moventur, et motu etiam interno per fidei et spei habitus adhuc relictos cientur.

Ad 3. — *D. M.* Qui pertinet ad Babylonem, sub eadem ratione non pertinet ad Jerusalem, C. Sub diversa nequit pertinere, N. Sicut enim ratione nativitatis potest quis esse hujus, et ratione domicilii civis alterius urbis; sic et peccator ratione baptismi et professionis pertinet etiamnum ad myscam Jerusalem, quamvis mala vivendi ratione Babylonem inhabitet.

90. *Dico II.* **Neque de Ecclesia sunt aut hæretici manifesti, aut schistici publici, aut excommunicati denuntiati, quantumvis fundamentalia non destruere dicantur.**

Prob. 1ª *p.* Scriptura hæreticos dicit 1 ad Tim. 1, v. 19 : *circa fidem naufragasse,* h. e. fracta parte navis Ecclesiæ ex ea in mare decidisse; 1 Joan. 2, v. 19 : *ex nobis prodiisse, nec nobiscum permansisse,* h. e. extra fidelium congregationem fuisse factos; ad. Tit. 3, v. 10, *devitandos,* et v. 11, *proprio judicio condemnatos,* h. e. sua sponte a communione digressos : Inter Patres Hier. in Dial. adv. Lucif. asserit hæreticos, nempe *Marcionitas, Valentinianos Montenses non Ecclesiam Christi, sed antichristi esse Synagogam;* Aug., l. de unit. Eccl., c. 4, scribit eosdem *non utique esse in Ecclesia,* et l. cont. Petil., c. 3, *extra Ecclesiam baptismum tradere :* denique ipsa hæresis notio, et diversitas non tantum fidei et possessionis externæ sectarios ejusmodi segregatos et divisos a corpore Ecclesiæ demonstrat.

Prob. 2ª *p.* Schisma vel facit plures Ecclesias, quod est contra unitatem Ecclesiæ sub schemate unius *ovilis* Joan. 10, unius *corporis* ad Rom. 12, unius *sponsæ, amicæ, et columbæ* Cant. 6, propositam; vel a vera Ecclesia emittit fideles, sicut Luc. 5, scissura ex rupto reti pisces antea captos : adeoque schismaticus est *ab Ecclesiæ visceribus* seu *ab universali Ecclesia divisus,* ut Caus. 24. Quæst. 1, Can. 33 et 34, probat Pelagius P. M.; *est extra veritatem,* ut l. 4, c. 64, ait Irenæus; *in Ecclesia non est,* ut ep. 9, ad Flor. scribit Cyprianus; *est in altera Ecclesia,* ut hom. 11 in ep. ad Ephes. docet Chrysostomus; *est ab Ecclesia Dei separatus,* ut in c. 1, Amos et c. 3, ep. ad Tit. loquitur Hieronymus; *non pertinet ad Ecclesiam,* ut l. de fid. et Symb. c. 10, ostendit Augustinus : *deserit matrem, se separat, a radice Ecclesiæ amputatur, rebellis discedit* ut l. 1 cont. Parmen. decernit Optatus.

Prob. 3 *p.* Per excommunicationem reus juxta Matth., c. 18, v. 17, habetur *sicut Ethnicus et Publicanus;* juxta 1 ad Cor. 5, v. 5 : *traditur Satanæ,* et v. 13, *fit foris;* juxta Cypr., ep. 62 ad Pomp. *spirituali gladio necatur, et de Ecclesia ejicitur;* juxta Aug., l. de unit. Eccl., c. ult. *præciditur a corpore Ecclesiæ;* juxta Hier. in c. 3, ep. ad Tit., *de Ecclesia propellitur;* juxta Tertul. in Apol. c. 39 *a communione orationis et conventus et omnis sacri commercii relegutur* : ergo.

Conf. ass. I. Ecclesia nunquam attendit ad illam inter errores *fundamentales et non fundamentales* distinctionem; tum quia baptismum ab Ebionitis, Marcionitis, Arianis, Macedonianis, Apollinaristis, aliisque circa fundamentalia errantibus, modo cum debita materia et forma collatum, iterari noluit, ut Hier. in Dial. cont. Lucif., Aug., l. 3 de Bapt., c. 15 et l. 4, c. 16, declarant, tum quia etiam Novatianos, Donatistas, Quartodecimanos, Sabbatianos, Pelagianos, Origenistas, aliosque in fundamentalibus sic dictis haud errantes anathematizavit : tum quia indiscriminatim et quoscumque a communione aut doctrina Ecclesiæ catholicæ diversos damnavit, sive apud Patres, Iren. l. 1 adv. hær., c. 3 et l. 3, c. 4; Tertul. de Præscript., c. 4 et 30; Clem. Alex., l. 7, Strom.; Hilar., l. 7 de Trin., c. 12, sive in Conciliis Laodic., c. 9 et 10; Carthag. IV, Can. 71; General. II, Can. 6; Gen. V, act. 3 et circa finem condemnationis, Gen. VI, Sess. 18.

Conf. II. Patres diserte docent Ecclesiam esse societatem unam, cujus omnia membra inter se communione unita sunt, et a qua hæretici, schismatici, excommunicati excluduntur; nempe Ignat. in Ep. ad Philadelph. Justin. in Dial. cum Tryph., Tertul., l. de Præscript., c. 20 et 21; Cypr., ep. 40 et 93; Ambr. de Pœnit., l. 1, c. 6 et l. 2, c. 4, ac 5; Aug., l. de unic. Bapt., c. 16 et de Agon. Christ., c. 12; item ep. 152 et 209, etc.

Conf. III. Societates hæreticorum, schismaticorum, et excommunicatorum; nec sunt Ecclesia universalis; cum neque ab initio neque postea ubique fuerint diffusæ : nec sunt pars Ecclesiæ universalis; cum ab illis societatibus vel ipsæ discesserint, vel expulsæ maneant : nec sunt alia qualiscumque Ecclesia; cum hæc, ex illis se mutuo anathematizantibus conflata, nunquam congregetur, nunquam loquatur, judicet nunquam, nihilque definiat aut præcipiat : quæ tamen omnia præstari a vera Christi Ecclesia oportet.

91. *Objic.* Hæreticos esse intra Ecclesiam, docemur a sacris Scripturis juxta quas 1° in parabola Matth. 13 de *seminante* proposita ex Cypr., l. 3, ep. 3 et Aug., l. 2 cont. Cresc., c. 34, *ager* Ecclesiam, et ex Hier. ac Chrys. in h. l. et Aug., q. 11, super Matth. *grana* Catholicos bonos, *paleæ* Catho-

licos malos, *zizania* hæreticos significant. 2° In ep. 2 ad Tim. 2, v. 20, ex Cypr., l. c.; Ambr. in h. l. et Aug., l. 4 de bapt., c. 12, per *magnam domum* Ecclesia, et v. 16, ac 17, per *vasa lignea et fictilia* hæretici intelliguntur. 3° In ep. 1 ad Cor. 3, v. 11 et seqq. per *fundamentum*, quod est Christus, articuli fundamentales de Christo, per *superædificatores* pastores et doctores, per res impositas doctrinæ, per *aurum, argentum et lapides pretiosos* dogmata vera, per *ligna, fænum et stipulas* errores et doctrinæ falsæ designantur; quæ tamen, si fundamentum non destruatur, ipsæ quidem damnantur, earum tamen assertores ibid., v. 15, salvari poterunt; adeoque et membra Ecclesiæ esse possunt.

R. ad Arg. — *N. ass.* Ad ejus *prob.* 1. Christus ipse ibid., v. 37, parabolam hanc, in qua nulla *palearum* mentio fit, sic exponit : *Qui seminat bonum semen, est filius hominis : ager autem est mundus : bonum vero semen, hi sunt filii Dei : zizania autem filii autem nequam.* Alia aliorum expositio ad summum probat, hæreticos ob baptismum et quorumdam sacramentorum usum aliqua ratione pertinere ad Ecclesiam; non tamen, quod Jurieu contendit, salutis in ea ad modum reliquorum participes fore : cum parabola diserte enuntiet zizania colligenda in fasciculos ad comburendum.

Ad 2. — *D.* Per domum Ecclesia et per vasa lignea hæretici intelliguntur, sensu ubique proprio et stricto, N. vel improprio vel lato, T. Patres Græci, Chrys. et Theoph. vel per domum accipiunt mundum, vel per vasa illa peccatores : inter Latinos Cypr. quidem per domum Ecclesiam, sed per vasa intelligit fideles infirmos : cujus mentem Aug. dum de hæreticis interpretatur, non videtur assecutus; cum ille l. c. Novatianum extra Ecclesiam esse censeat, et hæreticorum baptisma repudiarit. Quod Ambr. laudatum attinet; non is, sed Pelagianus quidam aut Hilarius Luciferianus hos commentarios scripsit.

Ad 3. — *N. ass.* Quia hæc interpretatio, præterquam quod nova sit et ab omni retro antiquitate inaudita, gratis designat errores præ humanis opinionibus, et distinctionem articulorum in fundamentales et non fundamentales alibi rejectam improbabiliter reducit et huc applicat.

Inst. 1. Idem asserunt Paulus et Patres : ille quidem 1 ad Cor. 15, v. 12 : *Si autem Christus prædicatur, quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Inter hos autem Hier. in dial. adv. Lucif. ubi admittit intra Ecclesiam peccatores, horum nomine comprehendit hæreticos : quia ex valido peccatorum baptismo, etiam hæreticorum baptisma validum probat : item Aug., l. 1, de bapt., dicit *partem Donati esse conjunctam cum Ecclesia, et generare Christo filios;* unde et Christi sponsam dici oportet.

R. — *N. ass.* ejusque *prob.* 1, nam *quidam in vobis* vel intelligitur de Sadducæis aut Cerinthianis aut aliis a fide alienis, inter et contra Christianos hanc hæresin spargentibus; et sic textus rem nostram non attingit : vel de quibusdam fidelium Corinthiorum; hi vero cum aut dubitantes, aut errantes, aut etiam hæretici, sed occulti, esse poterant; nec inde contrarium thesi infertur. *Ad* 2. R. Hier. nomine peccatorum minime designasse hæreticos, sed eodem usum argumento ad hominem contra Luciferianos, quo contra Donatistas usum esse Augustinum supra diximus. *Ad* 3. *D.* Aug. docet partem Donati esse conjunctam cum Ecclesia in sacramentorum et rituum quorumdam usu, generare item filios ipsam tanquam ancillam veræ Ecclesiæ velut matrifamilias, C. Esse conjunctam vera membrorum addi-

tione et unione; item generare filios sibi tanquam matrifamilias et sponsæ Christi, N. seipsum S. Doctor sic exponit :

Et quidem dum quoad primum ibid., c. 10, ait : *Quasi vero ex hoc generet, unde separata est; et non ex hoc, unde conjuncta est : sed adjuncta est in uno baptismate.* Item in Enar. Ps. 54 : *Quare dixit : quia in multis erant mecum? baptismum habebamus utrique; et in eo erant mecum : Evangelium utrique legebamus; erant in eo mecum : Paschæ solemnitatem frequentabamus; erant ibi mecum. In multis mecum : in paucis non mecum : sed in his paucis, in quibus non erant mecum; non eis prosunt multa, in quibus mecum.* Quoad secundum autem, l. 1 de bapt., c. 15, scribit : *Ecclesia quippe omnes per baptismum parit, sive apud se, id est, ex utero suo; sive extra se de semine viri sui; sive de se, sive de ancilla.* Quod cum declarasset exemplis natorum ex ancillis Abrahæ et Jacob, subjungit : *sicut apud istos Ecclesiæ jure, quod est in baptismo, nascuntur, quicumque nascuntur : sed si concordant cum fratribus, per unitatem pacis ad terram veniunt promissionis, non de materno utero rursus ejiciendi, sed in paterno semine agnoscendi, si autem in discordia perseverant, ad Ismaelis funiculum pertinent.*

Inst. Ratio idem demonstrat. Nam 1° Ecclesia juxta 1 ad Cor. 5, v. 17, jus tantum habet in eos, qui sunt intus : sed Ecclesia jus habet in hæreticos, utpote quos ligat et punit : ergo. 2° Hæretici per baptismum ingrediuntur in Ecclesiam, et per characterem uniuntur cum Christo : ergo sunt membra Ecclesiæ. 3° Nisi Christiani omnes, saltem in fundamentalibus convenientes, pertineant ad Ecclesiam, hæc non erit ubique diffusa, quæ tamen conditio una est ex notis Ecclesiæ : ergo.

R. — N. ass. Ad ejus *prob.* 1. *D. M.* Ecclesia potestatem habet tantum in eos, qui sunt intus sive actu sive debito, C. solum actu, N. Sicut ovis exerrans ad ovile, servus fugitivus ad dominum, et transfuga ad ducem pertinet, non quidem actu sed debito; sic et post baptismum desciscens a fide aut hæreticus ad Ecclesiam spectat. Cæterum Apostolus de iis, qui ita foris sunt, ut nunquam fuerint intus, loquitur. *Ad* 2. *T. A. N. Cons.* Imprimis enim ad membrum Ecclesiæ non sufficit fuisse, sed requiritur esse in Ecclesia. Deinde character non est unio ipsa, sed signum duntaxat unionis, sive præsentis sive præteritæ; quod ab alieno et extraneo etiam ferri potest, ut in damnatis manifestum est. *Ad* 3. *N. seq.* Sine admissis ad sui constitutionem hæreticis et schismaticis manet Ecclesia moraliter ubique diffusa, quantum ad veræ Ecclesiæ notam requiritur; cum et inter hæreticos ac schismaticos Catholici non desint, et regenerati ab iis per baptismum, antequam hæresi aut schismati consensum præbeant, pertineant ad Ecclesiam, de quo infra.

Inst. 3. Auctoritas Scripturæ et Patrum stat pro schismaticis et excommunicatis ad Ecclesiam accensendis. Nam 1° Paulus in 1 ad Cor. 11, v. 18, notat schismata fidelium convenientium in Ecclesia. 2° Basil., in ep. ad Amphil., scribit : *Visum est antiquis hæreticos quidem omnino rejicere : qui se autem absciderunt, qui Schismatici dicuntur, ut qui adhuc sint Ecclesiæ, admittere.* 3° Aug., l. 1 de bapt., c. 1, ait : *Si ergo, qui recessit ab unitate, aliquid aliud agere voluerit, quam quod in unitate perceperit, in eo recedit et disjungitur : quod autem ita vult agere, sicut in unitate agitur, in eo manet atque conjungitur.* Idem, l. cont. Donat. post. Coll., c. 20, ait : *Neque enim a populo Dei separamus, quos vel degradando vel excommunicando ad humiliorem pœnitentiæ locum redigimus :* ergo.

R. ad Arg. — *N. ass.* — Ad ejus *prob.* 1. *D.* Apostolus in Ecclesia Corinthiorum notat schismata latius dicta et animorum, C. Stricte dicta et opinionum, N. Dissensiones Corinthiorum hic erant circa mensas, locum et tempus, ac socios sive convivas cœnæ Eucharisticæ et Agaparum, quæ tamen non facerent separationem ab Ecclesiæ unitate, aut contemptum auctoritatis Ecclesiasticæ adferrent.

Ad 2. *R.* Basilius vel dicit schismaticos non reipsa, sed specie et nomine tenus tantum, esse in Ecclesia; quia ibid. asserit, eos post pœnitentiam *recipiendos* rursus in Ecclesiam : vel correctus est a Conc. Constantinopolitano I. quod Can. 6. Schismaticos æque ac hæreticos abjicit. Neutiquam vero erroneo Jurii sensui adstipulatur; cum aperte neget, *habere amplius in se gratiam Spiritus eos*, qui se ab Ecclesia sejunxerunt.

Ad 3 *R.* Textus Aug. prior non prodest, quod dicat in aliquibus haberi conjunctionem; quia ex supra dictis *in his paucis, in quibus non erant mecum, non eis prosunt multa, in quibus mecum :* obest autem, quod dicat, qui *recessit ab unitate;* quia l. de fid. et Symb., c. 10, ait, eos, qui a charitate fraterna dissentiunt, non pertinere *ad Ecclesiam quæ diligit proximum,* sicut hæretici non spectant *ad eam quæ diligit Deum.* Posterior textus recte videtur Bellarmino corruptus ob contextum, qui exigit, ut legatur cum duplici negatione sic : Neque enim a populo Dei *non* separamus. Permissa autem integritate textus, vel accipi potest *separatio* perpetua, sine spe reditus et salutis; vel *populus* Dei pro numero salvandorum, non autem pro Ecclesia militante; vel textus totus non loquitur de excommunicatione, sed pœnitentiæ impositione.

Inst. 4. Facta omnis ætatis ecclesiastica idem ostendunt. In *Synagoga* enim 1° decem Tribus a tempore Jeroboam erant schismate disjunctæ a reliquis duabus, 2° Pharisæi et Sadducæi sub finem Legis erant hæresi et secta sejuncti a Judæis cæteris : et tamen omnes pertinebant ad veterem Ecclesiam.

In *Ecclesia Christi nascente* 1° Paulus et Cephas ad Galat. 2, item Paulus et Barnabas, Act. 15, discrepabant : 2° Judæi et Gentiles conversi scindebantur ritibus et vitæ usu : nihilominus iidem in eadem Ecclesia erant.

In *Ecclesia adolescente* schisma erat 1° Antiochiæ Meletium inter et Paulinum; 2° tempore Acacii Constantinopolitani et successorum, orientales inter et occidentales; quin tamen Episcopi illi aut populi fuerint extra Ecclesiam.

In *Ecclesia adulta* 1° Sec. 14 pars fidelium Urbano VI, pars Clementi VII et utriusque successoribus adhærebant; 2° omnes sectæ orientales, præsertim Ecclesia Græca, his temporibus sunt schismaticæ; nec tamen extra Ecclesiam fuisse omnes aut esse a quopiam asseruntur.

R. — *N. ass.* Quoad *Synagogam R. ad* 1. Decem tribus universim tanquam schismaticas et idololatricas non pertinuisse ad Synagogam, ex historia Regum patet. Sicut tamen Prophetæ aliique Israelitæ Deum timentes nec schismatis nec idololatriæ participes erant; sic nec excludebantur ab Ecclesia. Hos communicasse saltem animo et affectu cum Tribubus fidelibus, colligitur ex verbis Elisæi 4 Reg., c. 3, v. 14. Eosdem veræ religionis exercitia obiisse, intelligitur ex 4 Reg., c. 4, v. 23. Quod autem adorationem in templo Hierosolymitano et stata ibidem sacrificia omiserint, excusari forsan poterant ob gravissimum timorem a regibus idololatris incussum.

Ad 2. Aliam fuisse sectarum apud Judæos conditionem, quam earum sit

apud Christianos, ex eo maxime demonstrat CALMETUS, quod omnes corpori Synagogæ jungerentur, summis Religionis et Reipublicæ muneribus potiti, quamvis moribus et opinionibus a cæteris discreparent. SERARIUS Pharisæos ab hæresi excusat, non item Sadducæos, quos proin toleratos duntaxat existimat, sive mali majoris metu, sive timiditate et negligentia.

Quoad *Ecclesiam nascentem R. ad* 1. Divisio Pauli et Cephæ circa errorem facti et exempli malignitatem; Barnabæ et ejusdem Pauli circa assumendum in peregrinatione et prædicatione socium versabatur : neutra unitatem animorum et doctrinæ solvebat.

Ad 2. *R.* Judæorum conversorum classis altera, observans quidem legalia, non tamen necessaria autumans, nec schismatica erat, nec gentilium aspernatrix, maxime post declarationem Concilii Hierosolymitani : altera legalium necessitatem et usum urgens, erat schismatica, et tanquam Evangelii hostis atque a Christo aliena traducitur a Paulo, præsertim in ep. ad Galatas.

Quoad *Ecclesiam adolescentem R. ad* 1. MELETIUM, post pactum de successione superstitis ad fata alterius cum Paulino initum, non mediatam tantum sed immediatam cum DAMASO communionem habuisse, docent tum acta Concilii Aquileiensis an. 381 habiti, quibus pactum confirmatur et communio paciscentibus datur; tum Damasi ad orientales epistola, qua perhibetur Antiochenæ Synodi Patres, inter quos, primus Meletius, expositæ a Pontifice doctrinæ subscripsisse. Unde quamvis antea schismaticus fuerit (quod ipsum tamen alii inficiantur), non perstitisse tamen eum in schismate, non tantum modo dicta, sed et ipsius Meletii apud Hieronymum protestatio, atque Ecclesiæ eum inter sanctos colentis testimonium persuadent.

Ad 2. *R.* Sententiæ FELICIS contra ACACIUM, dum is adhuc viveret, præter Dardaniæ Episcopos quidem non detulerunt reliqui orientales, sive ad valorem anathematis exigentes condemnationem Patriarchæ Constantinopolitani in Concilio generali faciendam, sive Zenonis et Anastasii Acacio patrocinantium furorem metuentes : unde cum nullo alio ex capite schismatis se reos facerent, gravius nihil contra eosdem a Pontificibus statutum fuit; præsertim cum sub Justini imperio et Hormisdæ Pontificatu ab omnibus Pontificio decreto subscriptum fuerit. Euphemium autem et Macedonium Acacii successores nec hæreticos nec schismaticos fuisse, communis eruditorum sententia, plurimis apud Natal. Alexandrum rationibus firmata, tenet. Eorum nomen diptychis expunctum, quod minoris etiam pœnæ genus est, ut restitueretur, supplicatio populi Constantinopolitani temporibus HORMISDÆ obtinuit.

Quoad *Ecclesiam adultam R. ad* 1. Neutra pars obedientiæ erat schismatica; quia utraque adhærebat bona fide ei, quem pro legitimo Pontifice habebat : eoque in dubio tum exspectabat universalis Ecclesiæ judicium circa verum Pontificem; tum nec quoad jus capitis nec quoad unitatem corporis, animo saltem et affectu, errabat. Quod excommunicationes utrinque jactatas attinet; inutiles illæ erant ac vanæ; quia non constabat de legitima auctoritate, qua ferebantur.

Ad 2. *R.* Plures in Oriente ac inter Græcos revereri summum Pontificem et Ecclesiæ Romanæ uniri, quotidianis experimentis constat : neque omnes, qui hæc unitatis documenta aperta haud præbent, formales schismaticos esse habendos, evincitur ex paritate cum hæreticis materialibus. Reliqui si sine spe salutis dicantur esse extra Ecclesiam, nihil dicitur a veritate hactenus demonstrata, aut a charitate prudenti alienum.

Inst. 5. Nec deest ratio theologica pro eodem. Nam 1° Excommunicatio est medicina quædam spiritualis, instituta ad excommunicatorum utilitatem; ut ex 2 Thess. 3, v. 14, constat : sed non esset in utilitatem, si ejicerentur extra Ecclesiam : ergo. 2° Si quis injuste est excommunicatus, potest saltem acta jam pœnitentia esse in Ecclesia ante absolutionem. 3° Excommunicatus ab Episcopo particulari potest subesse Christo et communicare cum Ecclesia universali : ergo hic saltem non erit extra Ecclesiam.

R. — *N. ass.* — Ad ejus *prob.* 1. *D. m.* Si ejicerentur extra Ecclesiam sine potestate ac spe redeundi ad Ecclesiam, C. Si ejicerentur cum hac potestate ac spe, N. Imo finis severitatis hujus est ut confusione hujusmodi humiliati, deposita rebellione et contumacia, redeant ad Ecclesiæ sinum.

Ad 2. — *D. prius membr.* Si quis injuste simul et invalide ac nulliter est excommunicatus, C. Si quis injuste quidem, sed tamen valide est excommunicatus, *subd.* potest habere omnia ad membrum Ecclesiæ quoad animam tale requisita, C. quoad corpus tale, N. Ad salutem quidem sufficit animo esse in Ecclesia, secundum hanc Augustini, l. de ver. relig., c. 6, sententiam : *sæpe etiam sinit divina providentia expelli de congregatione Christiana etiam bonos viros : quam contumeliam vel injuriam cum patientissime pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel schismatis vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines quam vero affectu et quanta sinceritate charitatis Deo serviendum sit. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns.* Nihilominus hujusmodi de corpore Ecclesiæ, seu de Ecclesia, ut hactenus sumpsimus non esse, confirmatur ex damnatione Quesnellianæ propositionis 91 : *Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.* Ex his sequitur Resp. *ad poster. membr.*, nempe excommunicatum pœnitentem etiam ante absolutionem esse animo et affectu, non autem actu et re, in Ecclesia quoad corpus spectata.

Ad 3. — *N. A.* Nisi forte excommunicatio sit invalida, aut saltem impropria; quales in historia subinde occurrunt, ubi Episcopus Episcopo non subdito negabat vel litteras, vel consessum, vel etiam communionem. Falsitatem prioris declarat Aug., l. de Unit. Eccl., c. 4, scribens : *Quicumque de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, sed unitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia : quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, dissentiunt :* Posterioris autem Cypr., l. 4, ep. 9 : *Frustra sibi blandiuntur ii, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes, obrepunt et latenter apud quosdam communicare se credunt; cum Ecclesia, quæ Catholica una est, scissa non sit neque divisa, sed sit utique connexa et cohærentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata.*

92. *Observa I.* Iisdem fere argumentis, queis pro reprobis et peccatoribus in Ecclesia retinendis supra pugnavimus, probatur etiam hæreticos et schismaticos occultos atque excommunicatos non denuntiatos referri posse ad Ecclesiam. Unde quamvis etiam Catholicorum quidam, sed forsan quoad modum loquendi duntaxat, aliter enuntient, eosdem proxima assertione tacite exceptos voluimus, et facile inter Ecclesiæ membra numeramus; præsertim cum in hoc sequamur idioma Patrum, apud Bellar., l. 3 de Eccl. milit., c. 10, uberrime laudatorum.

93. *Observa II.* Quod de fide ad membrum Ecclesiæ requisita, ex Scrip-

turis, Conc. Lateranensi et definitione Nicolai in contrarium affertur, intelligendum est, non de interna, sed externa, seu professione fidei : sicut et dicta quædam Patrum contraria opposita de hæreticis manifestis, non occultis, accipiuntur. Haud absimili ex capite etiam non baptizatos adnumeramus Ecclesiæ membris, modo putentur baptizati, et Christianos se profiteantur, secuti in hac re judicium Dionysii Alex. ap. Euseb., l. 7, Hist. Eccl., c. 8 et Innoc. III. Cap. Apostolicam de Presb. non baptizato. Quamvis enim baptismus sit janua ad Ecclesiam, nullusque nisi per eam sinatur ingredi; tamen sicut si quis via alia irrepserit in domum, in eadem reipsa est, sic et non baptizatus aliunde ingressus in Ecclesiam, inesse in ea censendus est. Exinde tamen Ecclesia compellari nequit cœtus hæreticorum et infidelium hypocritarum; cum denominationes a potiori sumendas constet, et corpus humanum etiamnum vivum dicatur, licet unum aut alterum membrum mortuum aut aridum habeat. Ex ratione contraria Cathecumenos voto duntaxat ac spe, non vero re et actu in Ecclesia esse tenemus; et siquidem aliter aliquando loquatur Patrum non nemo, distinctione memorata est exponendus.

ARTICULUS III.

AN ET PER QUAS NOTAS DISCERNI POSSIT VERA CHRISTI ECCLESIA?

94. *Nota I.* Non esse visibilem Ecclesiam, ac proin nec dari signa, notas et characteres sensibiles, quibus illa discernatur a cœtibus, qui se falso Ecclesiam Christi dicunt, ex desperatione producendæ communitatis secum in dogmatibus conspirantis, docuerunt Luthérus in l. de abrog. Missa, p. 1 et Calvin. tum in Præf. ad Inst. tum l. 4 Inst., c. 1, § 7. A seipsis prior in l. de Conc. et alter. loc. post. citato, aut a Magistris saltem eorum discipuli Melanchton in Conf. et Apol. Brentius, Molinæus, et alii dissentiunt; ubi vel duas vel plures, ad has tamen facile reducendas afferunt notas pro probanda vera Christi Ecclesia, veritatem scilicet doctrinæ, seu sinceram verbi Dei prædicationem, et legitimam sacramentorum administrationem ac usum. In neutro capite conveniunt cum Orthodoxis, qui et Ecclesiam sensibus corporeis, cum judicio et certa persuasione quod sit vera Christi Ecclesia perceptibilem asserunt; et pro hac perceptione distinctas ab illis nominatis notas constituunt.

Quamvis autem has non requirant tales, ut Ecclesiam in se evidentem, sed tantum evidenter credibilem, faciant; itemque nunc alias esse permittant, quam quæ fuerant ab exordio Ecclesiæ, ubi S. Spiritus sensibiliter descendebat in fideles et confirmatos, diffusio autem per universum orbem et successio Pastorum continuata haberi non poterat, quarum nunc priore absente altera præsto est; dotes tamen, non quascumque sed singulares et certis conditionibus vestitas admittunt. Exigunt enim primo ut notiores sint re quam significant, et a qua distinguuntur; deinde ut sint quodammodo sensibiles, omnibus obviæ et cognitu faciles; denique ut sint propriæ et non communes pluribus, saltem simul sumptæ.

95. *Nota II.* Præterea vero licet in earum numero describendo nec antiquiores nec recentiores omnino consonent; cum S. Hier. in Dial. cont Lucif. duas, Vincent. Lirinensis in Commonit. tres, Aug. in l. cont. ep. fundam.,

c. 4 sex, et alii postea pauciores, alii plures, inter quos Bellarm. quindecim, enumerent : facile tamen apparet, in paucioribus contineri et in pluribus præcipue efferri illas quatuor, communiter a Theologis usurpatas, nempe unitatem, sanctitatem, catholicitatem et Apostolicitatem. Porro cum et harum possit esse multiplex sensus, diversa significandi vis, et ad varios terminos relatio, hujus diversitatis ratione habita, sub ea duntaxat acceptione has quatuor huc proferunt, sub qua enumeratas nuper conditiones possident. Cum quibus

96. *Dico I.* **Vera Christi Ecclesia visibilis est, et discerni potest.**

Prob. auctoritate 1° Prophetarum. Isa., c. 2, v. 2, ait : *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes :* per quem montem Hier. in h. l. intelligit Ecclesiam : Ibid., 61, v. 8 : *Germen eorum in medio populorum : omnes, qui viderint eos, cognoscent illos; quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus;* caput hoc, cujus initium Luc. 4. Christus sibi attribuit, totum est de Christi Ecclesia : Dan. 2, v. 44, dicitur : *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur : comminuet autem et consumet universa regna hæc; et ipsum stabit in æternum;* consentiunt autem Interpretes, hoc regno significari Ecclesiam Christi : Ps. 18, v. 6 : *In sole posuit tabernaculum suum;* Aug. Tr. 2 in ep. Joan et Tr. de Cant. nov., c. 5, per solem et tabernaculum intelligit *in manifestum* positam *Ecclesiam.*

2° Christi, qui juxta Aug., l. 2 cont. Cresc., c. 36, Ecclesiam, Matth. 5, v. 15, comparat *civitati supra montem positæ.* et Matth. 16, v. 18, arci *supra petram ædificatæ, adversus quam portæ inferi non prævalebunt;* Matth. 18, v. 17, fratrem incorrigibilem jubet denuntiari *Ecclesiæ, istamque audiri.*

3° Apostolorum; inter quos Paulus Act. 20, v. 28, dicit *positos esse Episcopos, ut regant Ecclesiam Dei,* et ad Eph. 4, v. 12, *datos esse pastores et doctores ad consummationem sanctorum in ædificationem corporis Christi;* monetque 1 ad Tim. 3, v. 15. Timotheum, *ut sciat, quomodo oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei viri.*

4° Patrum; ex quibus Origen., hom. 30 in Matth., inquit : *Ecclesia plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem;* Cyp. l. de unit. Eccl. *Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit;* Aug. Tr. in ep. Joan. *Numquid digito ostendimus Ecclesiam? nonne aperta est?* etc.

Prob. Ratione. 1° Ecclesiæ nomine intelligitur cœtus hominum visibilis, non minus quam nomine exercitus, civitatis et regni : atque sub eadem acceptione usurparunt Ecclesiæ nomen tum Scripturæ sacræ, sive Vetus, Num. 20, v. 4; 1 Reg. 17, v. 47; Eccli. 3, v. 1, etc., sive Nova, Act. 15, v. 3 et 4 ad Rom. 16, v. 4 et 5; Apoc. 3, v. 6 et seqq. alibique : tum sancti Patres plerique omnes. 2° In Ecclesia prædicatur et auditur verbum Dei, administrantur et capiuntur sacramenta; exercetur jurisdictio per superiores et inferiores; congregantur concilia, eduntur definitiones fidei, conduntur leges; etc., quæ omnia sunt sensibilia : ergo. 3° Ecclesiam, extra quam fatentibus etiam hæreticis non est salus, debent omnes accedere; ad eamdem, si per schisma aut hæresin secesserint, redire; in eadem juxta ep. ad Rom. 10, v. 10, exterius fidem profiteri; ergo.

97. *Objic.* Ecclesia Christi est spiritualis : ergo invisibilis. *Prob. Ant.* 1° ex

1 Petr. 2, v. 5 : *Et ipsi tanquam lapides viri superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias.* 2° Ex ep. ad Hebr. 12, v. 18 : *Non enim accessistis ad montem tractabilem,* et v 22. : *Sed ad Sion montem et civitatem Dei viventis.* 3° Ex Joan 4, v. 23 : *Veni hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate.* Ergo.

R. ad Arg. — *D. A.* Ecclesia est spiritualis secundum quid, scilicet respectu vel formæ, vel auctoris, vel effectuum ac finis, C. simpliciter et absolute, N. Quod prioribus modis tantum spirituale est, posse esse nihilominus corporeum et visibile, patet in sacramentis et homine.

Ad prob. 1. Vel redit eadem distinctio; quia Ecclesia, utpote capite et membris corporeis constans, non est simpliciter invisibilis, sed tantum secundum quid et respectu memoratorum : Vel *D.* aliter : Ecclesia est domus spiritualis secundum substantiam, h. e. occulta et invisibilis, N. Secundum relationem vel oppositionis cum domo ex ligno et lapide composita, vel ordinationis ad finem, ac bona et opera spiritibus et hominibus convevientia, C.

Ad 2. *R.* Per Sion montem et civitatem Dei vel intelligitur tantum Ecclesia triumphans, ut cum Theophyl. Œcumen. et aliis docet D. Thomas, indicantque verba subjuncta : « Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui sunt conscripti in cœlis » ad quam scilicet non quidem re sed tamen spe jam accesserunt fideles; et sic textus nihil probat : vel intelligitur Ecclesia secundum generalem rationem accepta, ut videtur exigere antithesis facta; et tum *D.* Ecclesia etiam generaliter sumpta, qua triumphans, est Sion mons, civitas Dei, Jerusalem cœlestis, etc., C. qua militans, N.

Ad 3. — *N. Cons.* — Per *in spiritu* nec loco sacrificii materialia, nequidem Jerusalem aut Garizim, nec adoratores visibiles excluduntur, sed sacrificia duntaxat carnalia et cæremoniæ prorsus corporales et externæ Judæorum; sicut per *in veritate* oppositio fiebat ad cultum falsum et erroneum Samaritanorum.

Inst. 1. Ecclesia est quid insensibile, internum et mysticum : 1° patet ex Luc. 17, v. 21 : *Non venit regnum Dei cum observatione; neque dicent : Ecce hic, aut ecce illic;* 2° ex ibidem subjuncto : *Ecce enim regnum Dei intra vos est,* et ex Jerem. 31, v. 33 : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* 3° ex ep. ad Rom. 12, v. 5, et 1 ad Cor. 12, v. 27, ubi Ecclesia dicitur *corpus Christi,* utique mysticum : ergo est invisibilis.

R. — *N. Ant.* Textus primus non agit de Ecclesia, sed de Christo; cujus adventus prior dicitur sine *observatione,* id est, sine pompa et signis; posterior autem non temere credendus, Antichristis eumdem *hic aut illic* enuntiantibus : qui demum secundum præsentiam corporalem in consortio ac medio Judæorum, secundum gratiam in eorum cordibus, et hoc sensu *intra eos* fuerat. Neque secundus de Ecclesia, sed de virtute et de præcepto charitatis, in Novo Testamento prævalente loquitur. Tertius de Ecclesia quidem agit, quæ etiam corpus Christi morale vocatur; non autem mysticum eo sensu, quod vel ex solis prædestinatis constet, vel secundum omnes sui partes invisibile sit, ut objectio innuit : cum prior sensus superius sit rejectus, posterioris autem falsitas ex partibus Ecclesiæ sensibilibus constet.

Inst. 2. Variæ considerationes Ecclesiam ostendunt invisibilem. Nam

1° *objective* spectata est objectum fidei, cum articulum in symbolo constituat : hoc autem conspici non potest, sed creditur : ergo. 2° *Formaliter* sumpta seu pro forma dicit fidem, spem, et charitatem : sed hæ visibiles non sunt : ergo. 3° Saltem tempore persecutionis aut prævalentis hæresis ita nonnunquam afflicta fuit, ut videri desierit : ergo.

R. — *N. ass.* — Ad ejus *prob.* 1. *D. m.* Objectum fidei conspici non potest sub ea ratione, sub qua creditur. T. (de quo vid. Tr. propr.) sub alia ratione, N. Objectum aliquod sub una ratione credi, sub altera conspici posse, patet in Apostolis humanitatem Christi videntibus, ejusque divinitatem credentibus : item in baptismo, in quo aspersionem aquæ et verborum prolationem sensibus percipimus, sacramenti autem rationem credimus, non sentimus. Similiter in casu nostro cœtum hominum ex et cum professione, communione et subjectione sensibiliter cognoscimus; hunc vero cœtum veram esse Christi Ecclesiam non videmus, sed credimus.

Ad 2. *R.* 1° Si inferatur, Ecclesiam formaliter sumptam seu secundum formam non videri, T. si inferatur, Ecclesiam simpliciter non videri, *N. Cons.* Scilicet sicut, quamvis concedatur hominem secundum formam seu animam esse invisibilem, hominem tamen simpliciter invisibilem nemo dixerit. *R.* 2. *D. m.* Hæ non sunt sensibiles in se et secundum subjectum, *Subd.* Si hoc sumatur divisim pro his aut illis particularibus hominibus, N. Vera Christi Ecclesia est, quæ interius per virtutes cum Christo conjungitur : has virtutes et conjunctionem non videmus in se ipsis; spectamus tamen in earum signis, nempe professione fidei, participatione sacramenti, etc., et hujus subjectis, scilicet hominibus ; de quorum singulis individuis licet rursus certum non sit, hunc vel illum habere fidem et unionem intus, qui eam exterius profitetur, de toto tamen eorum cœtu per notas characteristicas distincto, certum ex ordinatione divina habemus, quod vera Christi Ecclesia sit, et illa interiora habeat.

Ad 3. *N. Ant.* Cujus falsitas in art. seq. singulari assertione ostendetur.

98. *Dico II.* **Nec doctrinæ veritas nec usus Sacramentorum legitimus sunt veræ notæ et characteres Ecclesiæ Christi.**

Prob. Hæ dotes, quamvis conveniant veræ Christi Ecclesiæ, tamen non habent debitas notarum conditiones. Imprimis enim non sunt *notiores* Ecclesia ; quia veritas doctrinæ et legitima ratio usus sacramentalis, juxta suos patronos desumitur a conformitate cum verbo Dei scripto : difficilius autem cognoscere est verbi hujus extantiam, apographorum authentiam, versionum fidelitatem, sensus et interpretationis proprietatem, quam Ecclesiam. Deinde non sunt *sensibiles* et *passim obviæ* omnibus ; quia ob Scripturæ obscuritatem et incapacitatem hominum nec ipsa doctrinæ et rei sacramentariæ cognitio vera cuilibet obvia, multo minus sensibilis est : neque discussio et examen harum faciendum facilis et cuicumque accommodati est operis. Denique non sunt *propriæ* ; tum quia quælibet secta teste Lactant., l. 4; Inst., c. 29, Cypr. ep. ad Jubaian. et Aug., l. de unit. Eccl., c. 2 geminam hanc dotem sibi arrogat : tum quia apud schismaticos puros utraque nota emicare potest, et apud Luciferianos, Donatistas aliosque sub initium schismatis retinebatur.

Conf. Ad Ecclesiam Christi pertinet determinare, quænam sit vera doctrina, quinam sacramentorum usus legitimus; ut patet ex assertis Irenæi, l. 3 adv. hær., c. 4; Tert., l. de præscript., c. 21 ; Aug., l. cont. ep. fun-

dam., c. 5, atque ex decretis et canonibus conciliorum : ergo per Ecclesiam constat de veritate doctrinæ et legitimo sacramentorum usu ; non autem per hæc de Ecclesia.

99. *Objic.* Scriptura stat pro veritate doctrinæ tanquam nota Ecclesiæ, tum quia oves cognoscuntur ex doctrina, Joan. 10, v. 27 : *Oves meæ vocem meam audiunt :* tum quia munditia tanquam proprietas Ecclesiæ ex Dei verbo habetur, juxta Joan. 15, v. 3 : *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis;* et ad Ephes. 5, v. 27 : *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ :* tum quia doctrinæ examen præmittendum est accessioni ad Ecclesiam, juxta illud Joan. 5, v. 39 : *Scrutamini Scripturas : illæ sunt quæ testimonium perhibent de me :* Sicut instructio præmittitur receptioni in Ecclesiam, juxta illud Matth. 28, v. 19 : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos,* etc. Unde Ambr. in Luc., l. 6, ait : *Fides Ecclesiæ imprimis quærenda mandatur, in qua si Christus habitator est, haud dubie est legenda;* et Aug., l. de unit. Eccl., c. 3 : *Sunt certe libri Dominici, quorum auctoritati utrique cedimus : ibi quæramus Ecclesiam :* Ergo.

R. ad Arg. — *N. ass.* — Ad ejus *prob.* 1. *D.* Oves cognoscuntur ex doctrina præcise prædicata, N. ex doctrina corde percepta et custodita, *Subd.* in ordine ad cognitionem sive certam sive conjecturalem electorum singularium, C. in ordine ad cognitionem Ecclesiæ, N. Secta nulla est quæ non glorietur audiri a se vocem Christi : hujus autem vocis intima perceptio et custodia est occulta, nec nisi cuilibet forsan conjecturaliter tantum cognita ; unde nota Ecclesiam manifestans esse nequit.

Ad 2. — *D.* Munditia manifesta habetur ex verbo Dei, N. interna et occulta, *Subd.* per verbum Dei prædicatum, et sic doctrinam, N. per verbum Dei consecratorium, et sic ad doctrinam impertinens, C. ut autem munditia posset esse nota, deberet esse manifesta.

Ad 3. — *D.* Examen doctrinæ præmittendum est accessioni ad Ecclesiam, sicut instructio præcedit receptionem, utrobique tanquam dispositio in adultis necessaria ad fidei sacramenta percipienda, T. tanquam propria Ecclesiæ nota, N. Nec alius sensus est Patrum laudatorum, quam notas et characteres veræ Ecclesiæ ex Scripturis disci ab harum receptoribus posse ; qui præterea alibi docent, veram doctrinam, non ex privato cujuscumque. sed ex publico Ecclesiæ sensu ac judicio æstimandam retinendamque esse.

Inst. 1. SS. Chrys. et Aug. pluribus in locis docent, non aliter cognosci et probari Ecclesiam, quam per verbum Dei, adeoque per veritatem doctrinæ. Prior quidem hom. 49 in c. 24, Matth. *Antea multis modis ostendebatur, quæ sit vera Ecclesia Christi : nunc autem nullo modo cognoscitur volentibus cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi tantummodo per Scripturas :* ibidem hanc rationem subdit ; quia scilicet, *quæ olim veram religionem distinguebant ab hæretica, sunt jam utrique communia, ut Episcopi, ordines Clericorum, Baptismus, Eucharistia, Scriptura, miracula, numerus Christianorum, Christus ipse :* demum concludit : *Qui vult ergo cognoscere, quæ sit vera Christi Ecclesia, unde cognoscat, nisi tantummodo per Scripturas?* Posterior autem contra Donatistas agens, sic scribit ep. 166 : *In Scripturis discimus Christum, in Scripturis discimus Ecclesium;* et l. de unit. Eccl., c. 19. Utrum ipsi Ecclesiam *teneant, nonnisi de Scripturarum divinarum canonicis libris ostendant.* Contra Manichæos etiam in l. cont. ep. fund., c. 4, inquit : *Veritatem, si manifesta monstratur, præpo-*

nendam omnibus iis, quibus antea dixerat, se teneri in Ecclesia Catholica.

R. — *D. M.* Sancti hi PATRES docent non aliter cognosci et probari Ecclesiam absolute et simpliciter, N. facile et ordinarie, *Subd.* in certa hypothesi et respectu eorum, qui ad Scripturas provocant, C. in thesi et respectu quorumcumque. N. Ecclesiam ex motivis credibilitatis pluribus splendescere juxta hos et alios PATRES demonstratum est; notas has nullibi facilius inveniri, quam in Scripturis, itidem ex dictis constat : ad Scripturas autem evocari non posse nisi eos, qui illas tanquam divinas venerantur, rursus ex methodo probandi liquet. Jam vero Patres memoratos agere cum hominibus hujusmodi, manifestum est; de AUG. quidem, qui Donatistas et Manichæos alloquitur, et postremos etiam ex hypothesi duntaxat, ut contextus aperte docet : de CHRYS. autem aut potius alio scriptore (nam vulgata versio, libri apocryphi, et dogmata falsa hic inspersa non sinunt opus imperfectum in Matthæum sancto Patri adscribi) contextus idem edocet.

Inst. 2. Nulla res cognosci potest absque cognitione eorum, quæ ad ejus essentiam pertinent : sed doctrinæ veritas pertinet ad essentiam Ecclesiæ; quia ut HIER. in Ps. 133, ait : *Ecclesia non in parietibus consistit, sed in dogmatum veritate : Ecclesia ibi est, ubi fides vera est* : ergo 2° Vera Ecclesiæ nota est, quæ semper fuit usurpata, ut Ecclesia vera secerneretur a falsa, et ipsa forsan deficiens resumeret Ecclesiæ proprietates : sed ad utrumque fuit semper usurpata doctrinæ veritas; ad *primum* quidem inter Ecclesiam Judaicam et Samaritanam : ad *secundum* vero in Synagoga tempore Josiæ, Esdræ et Nehemiæ : ergo; 3° Per quod probatur alterum, id altero debet esse notius : Ecclesia probatur per verbum Dei; ergo hoc debet illa esse notius et hinc dici nota.

R. quoad 1. — *D. M.* Si quæstio sit de cognitione perfecta et quoad quid est, C. si sit de cognitione imperfecta et quoad an et ubi est. N. Vera autem doctrina pertinet quidem ad quidditatem et constitutionem Ecclesiæ; non tamen penetrari debet ab omnibus Ecclesiam adire cupientibus.

Quoad 2. — *N. m.* cujus veritatem nec quoad prius ostendit exemplum allatum, in quo Judaicæ Ecclesiæ veritas ex legitima sacerdotii successione, Samaritanæ falsitas ex illius defectu constabat : neque quoad posterius aliquid probat iterata restitutio doctrinæ; utpote quæ effectus quidem renovatæ Ecclesiæ, non vero nota distinctiva fuerat : cum eadem nunquam Hierosolymæ defecisse dicatur, e Garizim autem non penitus ac perpetuo exularit.

Quoad 3. — *D. M.* Per quod alterum probatur absolute et sine facto supposito, C. per quod tantum ex hypothesi probatur, *subd.* debet altero esse notius simpliciter, N. secundum quid, C. Admissa Scripturæ auctoritate et supposita ejus intelligentia, ad notas Ecclesiæ et ipsam Ecclesiam cognitio inde progreditur; adeoque Scriptura ex hypothesi et secundum quid notior dici potest; non tamen simpliciter et absolute : propterea quod Ecclesiæ datum sit Scripturam tradere et exponere; faciliusque Ecclesia dignosci, quam Scriptura ubivis intelligi queat.

100. *Dico III.* **Notæ et characteres veræ Christi Ecclesiæ sunt, quod illa sit una, sancta, catholica seu universalis, et Apostolica.**

Prob. Has dotes ad designandam veram Christi Ecclesiam synodus œcumenica II, Constantinopolitana I, inseruit symbolo : desideravit easdem tum Scriptura vel in sola epist. ad Ephesios, 1^am^ quidem, c. 4, v. 4 et seq., 2^am^ ibidem, v. 16 et c. 5, v. 24, 3^am^ c. 2, v. 14 et seq., 4^am^ ibid., v. 20;

tum Traditio inferius proferenda : probat denique necessitas; cum Ecclesia suo capiti sine Unitate subjecta, sine Sanctitate digna, sine Catholicitate proportionata, sine Apostolicitate propria esse nequeat.

Conf. Hæ dotes sunt *notiores* Ecclesia; cum facilius sit cognitu, num quæ Ecclesia has dotes habeat, ac an societas hominum quædam sit vera Christi Ecclesia. Sunt etiam cuilibet obviæ et quodammodo *sensibiles;* cum nemo sit, qui vel ipse examinando dispicere, vel capta passim informatione doceri easdem facile non possit : demum sunt *propriæ,* cum nulli præter veram Ecclesiam queant congrue saltem omnes; quandoquidem si falsæ Ecclesiæ convenirent, vera discerni ab aliis sectis, ullusque ad eam amplectendam adstringi nequiret. Ergo habent conditiones omnes ad veram notam requisitas adeoque sunt legitimæ.

101. *Dico IV.* **Notarum Ecclesiæ relatarum proprietas præsertim stat in his; quod sit Unitas corporis sub Christo capite, ejusque in terris vicario et D. Petri successore, Sanctitas membrorum vel manifeste excellens vel confirmata miraculis; Catholicitas seu universalitas quoad doctrinam, tempus et locum; Apostolicitas per fundationem ab Apostolis, et continuatam Episcoporum Apostolis surrogatorum successionem.**

Prob. 1ª *p.* Inter Patres hanc Unitatem maxime urgent, Iren., l. 3 cont. hæres., c. 3, scribens : *Ad hanc Ecclesiam* Romanam *propter potentiorem principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam, h. e. eos, qui sunt undique fideles;* Cypr., l. de unit. *Ut unitatem manifestaret, Unam cathedram constituit, et Unitatis ejusdem originem ab Uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædíti et honoris et potestatis : sed exordium ab Unitate proficiscitur et primatus Petro datur, ut Una Christi Ecclesia et cathedra Una monstretur* : Optat, Milev., l. 2 cont. Parmen : *Negare non potes Petro cathedram Episcopalem primo collatam, in qua Una cathedra Unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent.* Similia refert. Hier., l. 1 cont. Jovinian. et ep. 57 ad Damas. atque Aug. passim. *Conf.* Reliquæ unitates, scilicet *corporis* præcise, *Spiritus, Spei, Fidei, Domini, Patris* ac *Dei,* in ep. ad Ephes. sup. cit. relatæ, vel non sunt notiores Ecclesia, vel cognitu difficiles, vel communes pluribus; nostra autem unitas conditionibus omnibus oppositis gaudet : ergo hæc præ illis est nota Ecclesiæ statuenda.

Prob. 2ª *p.* Non desunt sectæ schismaticæ, quæ tribuant sibi sanctitatem vel a *consecratione,* vel a *professione,* vel a *Christo capite,* vel a *Spiritu S. inhabitante,* vel a *doctrina,* vel ab *actione* ex variis Scripturæ locis desumptam; quibuscum si de eorum singulis contendere volueris, nihil plerumque efficies, quam ut æquo cum illis Marte certasse videaris : ergo tanquam notam oportet designare Sanctitatem non tantum propriam, sed eam, quam manifestum est esse in Ecclesia vera, in societatibus autem alienis non esse. Atqui hæc est membrorum Sanctitas vel manifeste excellens, vel miraculis confirmata : quia prior nec ab extraneis ignoratur aut negatur; posterior autem falsa et deceptrix esse nequit : ergo.

Conf. Quamvis sanctitas doctrinæ soli Ecclesiæ vere conveniat; cum nulla sit secta, quæ non doceat aliquid aut falsum circa credenda, aut malum circa agenda : nisi tamen aut per manifestos fructus aut per Dei testimonia prodatur, occulta est, aut mendax esse potest : ergo ut vera nota sit, debet,

quod Chrysost. de Apostolis testatur non minus *candore morum*, quam *miraculorum splendore* elucescere ac prodi; præsertim quia Christus exigit primum, Matth. c. 5, v. 16 : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra, et glorificent Patrem, qui in cœlis est :* secundum autem statuit, Marc. 16, v. 17 : *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient*, etc.

Prob. 3ª *p.* Patres adeo stant pro Catholicitate, ut vel ex hoc vocabulo discerni Ecclesiam consentiant. Pacian. enim in ep. 1 ad Sempronian. scribit : *Christianus nomem meum, Catholicus cognomen, illud me nuncupat, istud ostendit : hoc prodor, inde significor.* Cyril. Hieros. Catech. 18 : *Quod si forte veneris in civitates, non quæras simpliciter, ubi sit Ecclesia, sed ubi Catholica Ecclesia? hoc enim nomen proprium est sanctæ hujus et matris omnium nostrum, quæ est sponsa Domini Nostri Jesu Christi.* Aug., l. de util. cred., c. 7 : *Quod autem quærentibus satis est, una est Catholica, cui aliæ hæreses diversa nomina imponunt, cum ipsæ singulæ propriis vocabulis, quod neyare non audent, appellantur;* quod idem uberius l. de ver. relig., c. 7, enuntiat.

Conf. Speciatim universalitatem doctrinæ, qua damnantur errores aliquando ab Ecclesia damnati, et veritates ab eadem aliquando definitæ tenentur Cyril. Hierosol., l. c. laudat, et exigit fidei veritas : universalitatem loci, quæ accepta pro diffusione simultanea et permanente est moralis tantum et respectiva, sumpta autem pro diffusione tantum successiva est rigorosa et absoluta, tum Matth. 28, v. 19 et Marc. 16, v. 15, tum ep. ad Rom. 1, v. 8, et ad Coloss. 1, v. 6, Patresque passim designant, et postulat fidei necessitas : universalitatem temporis, quæ initium a predicatione Apostolica, propagationem ad nostra tempora, et futuram durationem complectitur, tradunt, Matth. 28, v. 20, et Patres novitatem sectis exprobrantes, exigitque fidei constantia : ergo.

Prob. 4ª *p.* Characterem hunc exigunt Patres; et quidem conjunctim quoad utramque partem : Iren., l. 3. cont. hær., c. 3 : *Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre : et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis et successores eorum usque ad nos :* Tertul. l. de Præscript., c. 32 : *Edant origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseverarint, habuerit auctoritatem;* Aug., l. cont. ep. fund., c. 4 : *Tenet me in Ecclesia... ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum :* Singillatim autem et quoad unam subinde partem, tum iidem Patres, tum Cyprianus, Optatus Milevitanus, Hieronymus et alii a Bellarmino hic relati similia loquuntur.

Conf. Veram Ecclesiam intrinsece constituit et distinguit doctrina Apostolica, doctrinam hanc custodit traditio; traditionem istam inchoat et prodit fundatio Apostolica; fundationem hanc demonstrat producta ab Apostolis Episcoporum suorum successio; ergo Apostolica fundatio et successio Episcopalis ad Apostolos terminata distinguit veram Ecclesiam, ejusque est nota.

102. *Objic.* I° *Contra Unitatem.* 1° Nec in Ecclesia V. T. ista unitas re-

quirebatur : nec in Ecclesia N. T. erat Apostolorum tempore; quorum quilibet parem cum Petro dignitatem habebat. Ergo. 2° S. Cyprianus a Stephano fuit excommunicatus et tamen sanctus erat : injuste excommunicatus ex Aug. supra laudato potest fieri salvus : ergo cum non detur extra Ecclesiam vera sanctitas et salus, etiam rescissi a capite pertinent ad Ecclesiam, adeoque unitas a nobis explicata nequit esse nota. 3° Sedes Petri, quæ centrum unitatis dicitur, vacare potest vel per mortem, vel per absentiam Pontificis Roma alio migrantis, vel per schisma multorum de Pontificatu contendentium : in nullo horum casu servatur unitas corporis cum capite et Christi vicario : ergo.

R. ad Arg. I. cont. *Unitatem Ad 1.* quoad prius *N. Cons.* quoad posterius *N. ass.* Disparitas in illo liquet primum ex institutione, qua Deus constituit Synagogam pro unica gente, Christus Ecclesiam pro toto hominum genere : dein ex necessitate, quæ nulla fuit pro lege scripta, est autem pro lege gratiæ : denique ex perfectione, quæ minor fuit in antiqua, ac nunc est in nova Ecclesia. Falsitas posterioris patet ex supra dictis de unitatis principio.

Ad 2. R. 1. — *N.* primam partem *Ant.* quia excommunicationem minatus quidem est Stephanus in Cyprianum, sed intra minas hæsit, nec tulit sententiam; ut suo loco, ubi de sacramentis agitur, ex Augustino patet. *R. 2. D. suppos. Cons.* Non datur salus extra Ecclesiam adæquate sumptam tam quoad animam quam quoad corpus, C. extra Ecclesiam inadæquate quoad corpus, *subd.* si quis extra illam sit culpabiliter, C. si inculpabiliter, et voto vel affectu sit intra, N.

Ad 3. — *N. Min.* quia Pontifice mortuo sedes seu cathedra Petri remanet; eoque migrante eadem est, ubicumque legitimus Pontifex degit : adeoque cum ista servari unitas potest ac debet. Pontifice autem dubio et incerto, opus est et sufficit principali cathedræ inhærere ea animi comparatione, ut paratus sis futuro legitimo Pontifici obtemperare.

II° Contra Sanctitatem. 1° Vindicant etiam sibi sanctitatem manifestam gentiles in Stoicis, hæretici in Catharis; miraculis confirmatam illi in Vespasiano apud Suetonium, isti in Paulo Episcopo Novatiano, l. 7, hist. Eccl., c. 17, apud Socratem. 2° A paucis, si qui etiam sancti sunt, Ecclesia nequit dici sancta; cum a parte una vel altera non denominetur totum, præsertim ubi partes plures adsunt pro prædicato opposito, ut respectu Ecclesiæ sunt peccatores. 3° Chrys., hom. 49 in Matth. asserit, suo tempore sublatam miraculorum operationem : Aug., autem l. de unit. Eccl., c. 19, negat manifestari Ecclesiam ex miraculis, cum miracula probanda sint ab Ecclesia.

R. ad 1. — *D.* Vindicant sibi sanctitatem vere ac certo manifestam, N. falso aut ambigue apparentem, C. Stoicorum superbiam, ferociam et pertinaciam, Catharorum hypocrisin, vanitatem et sordes coævi scriptores diffamant : Vespasiani miraculum curantis cæcum Tacitus, l. 4, hist. ipse elevat; Episcopi Novatiani prodigium ad testandam sacramentalis Baptismi virtutem, non ad confirmandam hæresin factum auctor laudatus exhibet.

Ad 2. — *N. ass.* — ad ejus *prob. D.* Denominatio non sumitur ab una vel altera parte qualicumque et semper, C. a potiore et aliquando, N. Contrarium certe patet, dum scholam nobilem, exercitum fortem, civitatem divitem etiam a paucis appellari audimus.

Ad 3 R. Chrysostomi auctoritatem opponi falso; cum opus citatum sit pseudepigraphum, falsamque assertionem referri historia Ecclesiastica illius temporis edoceat. August. autem eo loci, cum Donatistæ opponerent sua

miracula, Concilia et Sanctos illis quæ Catholici pro se adferebant, a mutuo controversis ad utrinque certum, sacram scilicet Scripturam, provocavit; ex qua primum Ecclesiam probat, tum vero per eam judicium de Donatistarum miraculis, interim omissis, ferendum ostendit. Ubi vero contra Manichæos agit, qui Scripturæ partem repudiabant, in l. cont. ep. fund. ex miraculis veram Ecclesiam, tum ex Ecclesia Scripturas demonstrat: universim vero miraculis plurimum alibi, præsertim, l. 22 de Civ. Dei, utitur ad veram religionem ostendendam et declarandam.

III° Contra Catholicitatem. 1° Tempore Arianorum paucissimi erant orthodoxi, et Ecclesia arctissime circumscripta; tum teste Hilario, l. de Synod. in decem Asiæ Provinciis, præter Eleusium Episcopum et cum eo paucos, Deum cognosceret nemo: teste autem Hieron. in Dial. adv. Lucif. post Ariminense Concilium ingemuerit totus orbis, et se Arianum miratus sit. 2° Nostra ætate Ecclesia Romana, quam veram dicimus, non est in Britannia, Belgio fœderato, Dania, Suecia, magna Germaniæ parte, Russico et Ottomanico imperio, reliquisque Asiæ et Africæ, multis præterea Americæ partibus: ergo. 3° Nec in fine seculi Ecclesia toto orbe diffusa erit, Christo, Luc. 18, v. 8, dicente: *Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?* Ergo.

R. ad 1. — *N. ass.* Ad Hilarium a Donatistis laudatum olim Aug., Ep. 48 respondit, hunc Patrem arguisse decem provinciarum zizania, non triticum: plures obscuris Arianorum verbis delusos, voce, non sensu, dissensisse: paucos quidem comparative, sed tamen absolute multos perstitisse integros. De Hieron. in Tr. de Trin. (num. 37 et seq.) ostendetur dictum ejus habere hyperbolem, Patresque Ariminenses nullatenus reipsa fuisse hæreticos. Cæterum apertius evanescit objectio ex triplici Arianismi statu. 1^mus^ Sub Constantino fuit ab hæresis ortu usque ad an. 337, quo tempore triumphavit vera fides in Conc. Nicæno: et quamvis postea Athanasius, sed ob personalia tantum, relegaretur, factioque Ariana artibus politicis ac dissimulatione erroris caperet incrementum; Oriens tamen maximam partem fidelis stetit, Occidens totus felici pace fruebatur. 2us Sub Constantio ad an. 361 prolatus, nihil turbarum, dum Constans viveret, in Occidentem tulit; sed potius Ecclesiam in Conciliis Romano, Mediolanensi et Sardicensi egregie defensam conspexit. Post illius quidem mortem Occidens una et Oriens motu æquali est concussus, Liberii tum exilio, tum Conc. Ariminensis et Seleuciensis sive facto sive prætensione: nihil tamen effectum aliud, quam ut Ecclesia e violentiarum et fraudum nubibus illustrior emergeret. 3us Sub successoribus variis et diviso Imperio vidit in Occidente victricem semper Ecclesiam; in Oriente quidem afflictam, sed præcipuorum Episcoporum, Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni virtute, aliorumque plurium cum Occidentalibus communione identidem erectam et perdurantem.

Ad 2. — *D. Cons.* Ecclesia hodierna, non est diffusa per totum orbem diffusione successiva; cum in memoratis regionibus omnibus Ecclesia olim floruerit, N. diffusione simultanea. *Subd.* Ecclesia dominans, C. vel illa, vel tolerata aut patiens, N. Ecclesia *dominatur,* ubi rerum potiuntur Principes fideles, qui publicum Religionis exercitium præcipiunt aut tuentur: *toleratur* ubi dominantur Principes infideles aut Acatholici, qui privatum saltem exercitium impune tolerant aut dissimulant: *patitur,* ubi nemo sive palam sive privatus catholicus esse impune sinitur. Dictum autem est supra universalitatem successivam sufficere; simultaneam, si qua admittitur, non

esse metaphysice sed moraliter talem; atque hanc postremam etiamnum Ecclesiæ secundum aliquam de expositis exceptionem tribui posse, patet ex superioribus; præsertim cum Ecclesia sæpe sit magis conspicua, ubi patitur quam ubi dominatur, ut in primis Ecclesiæ seculis manifestum fuit.

Ad 3. Respondet l. de unit. Eccl., c. 15. Aug. Donatistis idem objicientibus, id intelligi dictum vel propter ipsam fidei perfectionem, vel propter iniquorum abundantiam et paucitatem bonorum : neque interrogatione in textu usurpata fidem omnem aut penitus negari.

IV° Contra Apostolicitatem. 1° Apostolicitas ex fundatione videtur rejecta a Paulo, 1 ad Cor. 1, v. 12, improbante quod unusquisque dicat : « Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ : « ex eadem et successione constans non cognoscitur; cum ea cognitio ex historiis derivanda, rudibus sit impervia, eruditis controversa : ergo. 2° Successio ab Apostolis ad nos perducta vel est ratione loci, vel ratione personarum, vel ratione doctrinæ : nulla ex his quadrat pro nota Ecclesiæ : ergo. 3° Memorata successio colligitur ex missione ministrorum vel ordinaria vel extraordinaria : saltem alterutra convenire potest etiam Ecclesiæ a Romana sejunctæ : ergo.

R. ad 1. — *N. utr. p.* In priori disparitas est, quod provocatio ad Apostolos a Corinthiis fieret, scindendo unitatem et negligendo Christum tanquam principium : a nobis autem ea fit, tendendo ad unitatem, et primam fundationem in Christo. In posteriori, rudibus sufficit ignorantia initii post Apostolorum tempora facti : eruditis deesse notitia nequit de antiquitate Ecclesiæ et novitate Sectarum.

Ad 2. — *N. m.* Neque enim successio localis deest in Ecclesia vera; siquidem illa non repetatur a residentia in loco, sed a jure in sedem, quo modo apellatio Romani Imperatoris etiamnum usurpatur : neque deficit successio personalis saltem Episcoporum universalium, ut ex Pontificum historia liquet : neque desideratur doctrinalis, quamvis rationem notæ non habeat; cum priorum duarum comes sit, et ex universalitate doctrinæ sequatur.

Ad 3. — *N. min.* Auctor enim vel sectator Ecclesiæ falsæ vel ordinariam missionem ex defectu ordinationis legitimæ non accepit; vel amissa per hæresin aut schisma jurisdictione eamdem non retinuit : pro extraordinaria autem nemo extra Ecclesiam probantia signa adducet unquam; aut si adferat, nec tamen ordinariæ missioni se submittat, ministerium contra divinum ordinem usurpat.

103. *Observa.* Plerasque notas ab aliis assignatas reduci ad quatuor a nobis propositas, ex ipsa earum expositione data constat. Sicut huc referri nequeunt postremæ duæ a Bellarmino deductæ, felicitas nempe temporalis defensorum, et infelix exitus hostium Ecclesiæ veræ, sic nec easdem in notarum numerum admittimus. Quamvis enim contingat aliquando, persecutores Ecclesiæ hac in vita a Deo flagellari, et e contrario ejus defensores præmiis cumulari et bonis, ut exemplis insignibus Cardinalis dictus amplissime illustrat : contrarios tamen eventus historiæ etiam tum veteris tum novæ Ecclesiæ produnt; ut adeo illa tanquam propria nequidem sanctitati conveniant, ideoque careant conditione ad notam Ecclesiæ omnino requisita.

ARTICULUS IV.

AN VERA CHRISTI ECCLESIA DEFICERE POSSIT?

104. *Nota.* Ecclesia visibilis, qualem hactenus probavimus veram Christi, deficere dupliciter concipi potest; vel per desitionem, si nempe nulla aliquando reipsa existat, aut visibilis sit congregatio fidelium sub Christi vicario eamdem fidem profitentium et sacramenta eadem participantium : vel per mutationem, si nempe congregatio ista aut non uniatur amplius cum capite, aut profiteatur fidem erroneam, aut falsa sacramenta participet. De utraque defectibilitate hic quæritur; et quidem 1° an Ecclesia possit deficere per desitionem, seu perire penitus aut disparere? 2° an possit deficere per mutationem? quæ postrema quæstio quamvis plures secundum expositionem proxime datam partes habeat, sistit tamen in puncto magis controverso, facitque hunc sensum : an Ecclesia falli aut errare possit in rebus fidei?

Quæsitum utrumque Luther., l. de servo arbit. et Calvin., l. 4. Inst., c. 1, facta distinctione in Ecclesiam invisibilem et visibilem, de illa quidem negant, de hac autem affirmant : quin adjuncta alia divisione rerum fidei in necessarias, seu necessario credendas, et non necessarias, alicubi tribuunt Ecclesiam non falli in necessariis, quod tamen fieri posse in non necessariis contendunt. Orthodoxi contra, utroque discrimine exploso, Ecclesiam etiam externam ac visibilem negant desinere aut falli posse, asseruntque perpetuam ac infallibilem in rebus fidei etiam non necessariis : quam quidem infallibilitatem etiam extendunt ad res morum, communem omnium fidelium salutem spectantium; cum ad fidem etiam pertineat approbare, quod bonum et honestum est, et reprobare omne vitiosum ac turpe; Sanctitas præterea Ecclesiæ et recta pascendi ratio exigat, prohibere saluti communi noxia, et e contrario necessaria præcipere.

105. *Dico I.* **Vera Christi Ecclesia deficere non potest per desitionem, sed perpetua est et perpetuo visibilis.**

Prob. Auctoritate 1° Prophetarum, nempe Isa. 61, v. 8 : *Fœdus perpetuum feriam eis;* Dan. 2, v. 44 : *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur;* Psal. 47, v. 9 : *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Dei nostri : Deus fundavit eam in æternum.*

2° Christi, qui Matth. 16, v. 18, inquit : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* c. 24, v. 14 : *Prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe in testimonium omnibus gentibus : et tunc veniet finis;* c. 28, v. 20 : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.*

3° Apostolorum, ex quibus Paulus in ep. ad Ephes. 4, v. 11, ait : *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei;* et 1 ad Tim. 6, v. 14 : *Præcipio tibi, ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque in adventum Domini Nostri Jesu Christi.*

4° Patrum, inter quos Ambr., l. 4. Hexam., c. 4, scribit : *Videtur Ecclesia deficere, sed non deficit : obumbrari potest, deficere non potest;* Chrys. in c. 7, Isaiæ : *Facilius est solem extingui, quam Ecclesiam deleri;* Aug. contra Paganos in Psal. 71, inquit : *Putant Religionem nominis Christiani usque ad certum tempus in hoc seculo victuram, et postea non futuram : permanebit ergo cum sole, quamdiu sol oritur et occidit; hoc est, quamdiu tempora ista volvuntur, non deerit Ecclesia Dei, id est, Corpus Christi in terris;* et in Psal. 77 : *Quis vero fidelium dubitet Ecclesiam, etiamsi aliis abeuntibus, aliis venientibus ex hac vita mortaliter transit, tamen in æternum esse fundatam* : contra Donatistas autem l. 2 cont. Petil., c. 78 : *Cum de frumentis et zizaniis dixisset, sinite utraque crescere usque ad messem, tu laboras verbis tuis, ut frumenta jam per totum agrum defecisse, et ad exiguam particulam vestram remansisse credantur; dum vis, ut habeatur Christus mendax, tu autem verax;* et l. de unit. Eccl., c. 12 : *Quomodo cæptum sit ab Jerusalem, et deinde processum in Judæam et Samariam, ac inde in totam terram, ubi adhuc crescit Ecclesia, donec usque in finem etiam reliquas gentes, ubi adhuc non est, obtineat, Scripturis sanctis ostenditur. Quisquis aliud evangelizaverit, anathema sit : aliud autem evangelizat, qui periise dicit de cætero mundo Ecclesiam, et in parte Donati in sola Africa remansisse.* Ergo.

Prob. Ratione 1. Argumentum Gamalielis Act. 5, Judæos a conjuratione contra Christi Ecclesiam avocantis hoc erat : *Quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur : si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere :* atqui Ecclesia Christi ex Deo est : ergo dissolvi non poterit. 2. Si aliquando desineret aut non maneret Ecclesia in mundo visibilis, sicut ingressus in Ecclesiam, sic salus iis, qui sunt extra eam, foret impossibilis : consequens conciliari nequit cum voluntate Dei cupientis salvari omnes et ad Ecclesiam adeundam urgentis : ergo. 3. Ecclesia Christi nec perire in se, nec disparere potest. Non *primum,* quia nec instituta est pro certo duntaxat tempore, nec substituenda illi est altera, nec interitus communicatio facta est, nec deest conservatoris potentia, neque ex dictis voluntas. Non *secundum,* quia interna Ecclesia permanente manere etiam debet externa, et esse visibilis; cum homines justi, internam Ecclesiam constituentes, si profiteantur veram fidem, hoc ipso reddunt Ecclesiam visibilem : si non profiteantur aut negent, nec fideles sunt, nec salvari possunt, dicente Apostolo : *Ore autem confessio fit ad salutem;* quo casu nulla jam esset Ecclesia, utpote in qua nemo fidelis esset, nemo posset salvari.

106. *Objic.* Prædicta est Ecclesiæ desitio : 2 Paralip. 15, v. 3 : *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, et absque Sacerdote, et absque Lege;* Dan. 9, v. 27 : *Deficiet hostia et sacrificium : et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio;* 2 ad Thessalon. 2, v. 3 : *Nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis,* monemur non terreri : ergo.

R. Ad Arg. — *N. A.* Nullibi est sermo de Ecclesia Christi; sed textus 1us agit de religione in solo Israelis regno : 2us de Synagoga, ipso Christo, Matth. 24, v. 15, prophetiam sic exponente, et Patribus plerisque hanc expositionem sequentibus : 3us de defectione a Romano Imperio, aut de Antichristo per metonymiam *discessio* dicto intelligi potest, alterutrum sensum usurpantibus Patribus. Si quis discessionem pro defectione a fide acci-

piat, particularem quidem et multorem dici permittimus, non item generalem et omnium.

Inst. 1. Tota Synagoga sæpius fuit invisibilis, et tandem desiit penitus : 1um accidit tempore Mosis, populo vitulum aureum adorante; tempore Judicum, c. 2, v. 10 et 11 Israele idololatriæ adhærente; tempore Eliæ 3 ; Reg. 19, v. 10, illo *solo derelicto;* tempore Prophetarum, Isa. 1, v. 3 et Jerem. 2, v. 29, defectionem a Deo testantibus; tempore Achab et Manasses, factis Israelitarum, 3 Reg. 22, v. 8 et 2 Paralip. 33, v. 9, idem probantibus : 2um eventu manifesto constat : ergo et Ecclesia Christi disparere et perire potest.

R. 1. — *T. A.* — *N. Cons.* Disp. est, quod Synagoga fuerit Ecclesia particularis, non necessaria ad salutem, constituta ad tempus certum, carens promissione indefectibilitatis : plane opposita conveniunt Ecclesiæ Christi.

R. 2. — *N.* 1. *p. Ant.* Tempore Mosis non omnes adorasse vitulum, ostendit notatus Exod. 32, v. 29, vel solus numerus Levitarum, cum Mose vindictam de hoc scelere sumentium : tempore Judicum Israelem, tantum per synecdochen, scilicet partem pro toto accipiendo, fuisse idololatram, patet tum ex phrasi simili Exod. 9, v. 6; Isa. 2, v. 2 ; ad Philip. 2, v. 21 et alibi usurpata ; tum ex historia postremis quinque capitibus libri Judicum relata, quam cap. 2 prævie et generaliter indicatam Interpretes plerique censent : tempore Eliæ et in Juda floruisse religionem ex gestis Josaphat certum est; et in Israele non omnino defecisse apparet ex eo, quod ibidem septem millia virorum ab idololatria immunium superfuisse 3 Reg. 19, v. 18, legantur; unde Elias non *solus* ex Dei cultoribus, sed ex Prophetis, relictus fuerat, ut ipse etiam textus enuntiat. Prophetarum citata locutio rursus habet figuram synecdoches jam memoratam.

Ætas Achab cum Eliæ tempore congruens probationem ex factis reddit inanem et falsam : Manasses autem impietas adeo cultum omnem veri Dei in Juda non extinxit, ut ne quidem consueta sacrificia e templo relegarit; cum altaria falsis numinibus erecta templi atria tantum occuparent.

Inst. 2. Etiam Ecclesiam Christi deficere posse, facta et ratio probant : 1um quidem; quia moriente Christo Apostolis dispersis, disparuit; de sua ætate Chrys., hom. 49 in Matth., Basil., ep. 69 et 70 et Bern., serm. 33 in Cant. id fatentur, vel scribentes abesse signum, quo dignoscatur Ecclesia, vel deplorantes Prælatorum corruptionem ; de extremis temporibus Ephrem serm. de Antichristo scribit, *communi voto* illum *ab omnibus constituendum regem ;* Aug. ep. 80 prædictis *signis apparentibus Ecclesiam non apparituram* enuntiat : 2um probat tum constitutio Ecclesiæ, quæ moriente Pontifice perit, sicut homo revulso capite : tum ejusdem comparatio cum luna; quæ sic deficit, ut non appareat : demum provecta jam ætas et senium Ecclesiæ interitum prænuntians : ergo.

R. — *N. utr. p. Ant.* — Ad *prob. priores R.* Exploratum est, Apostolis defuisse constantiam et fortitudinem, non fidem; cujus unius defectus perpetuitati Ecclesiæ nocet. Accedit, ortum Ecclesiæ non a die mortis Christi, sed a Pentecoste numerari; atque hinc inepte constantiam Ecclesiæ ante ejus formationem impugnari : quod utrumque vitium inest etiam argumento ex Protoparentum culpa a quibusdam formari solito. Quod Patres attinet, imprimus abusio fit nominis Chrysostomi ; cum laudatum opus ex s. d. sit pseudepigraphum : Basilius cit. epp. Arianam, non Catholicam Ecclesiam perstringit : Bernardus vitia morum reprehendit, doctrinæ non meminit;

quin serm. 66, aperte negat ex his vitiis Ecclesiæ ruinam imminere. Ephremi vaticinium non ad omnes absolute, sed ad sectatores Antichristi omnes pertinet : Augustini negatio tollit conspicuitatem Ecclesiæ accidentalem in externo apparatu religionis, ministrorum frequentia, prædicationis et exercitii libertate ac magnificentia sitam ; minime autem substantialem, in veræ fidei professione, sacramentorum usu et præceptorum observatione positam.

Ad *prob. posteriores. R.* Diversam esse rationem capitis moralis, ac quæ est physici, videre est in aliis compositis moralibus exercitus, civitatis et regni; quæ nec desinunt nec statum mutant, sublato licet capite, si modo facultas substituendi aliud simile adsit. Comparatio lunæ cum Ecclesia non est quoad omnia, sed aliqua; nempe sicut illa a sole, sic hæc a Christo lucem accipit, utraque successive et paulatim crescit, patiturque mutationes; ut Aug. in Psal. 10 et 103 enarrat. Senium Ecclesiæ ab annis quidem, non autem a virium defectu et declinatione ad interitum admittitur; cum potius ætas Ecclesiæ provecta virtutibus etiam et rerum gloria augeatur, testante id S. Aug., serm. 3, in Psal. 36.

107. *Dico II.* **Vera Christi Ecclesia deficere non potest per mutationem, sed infallibilis est in rebus fidei et morum.**

Prob. I. Ex Scriptura. Hæc infallibilitas Ecclesiæ prædicta fuit ab Isa., c. 59, v. 20 et seq. : *Cum venerit Sion redemptor... hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus : Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo et de ore seminis tui amodo et usque in sempiternum;* et ab Osee 2, v. 19 : *Sponsabo te mihi in sempiternum; et sponsabo te mihi in justitia et in judicio : sponsabo te mihi in fide :* fuit promissa a Christo, tum locis Matthæi extremis (num. 105) citatis; tum Joan. 14, v. 16 : *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere... vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit;* fuit prædicata ab Apostolis, maxime Paulo 1 ad Tim. 3, v. 15, scribente : *Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.*

II. Ex Traditione. Ex Patribus Chrys. Serm. de Pentecoste, Hier. ad c. 4. Isaiæ, et Ambr., l. de Salomone, c. 4, ex textu Matth., 16 recitato, Ecclesiæ infallibilitatem probant et aperte ostendunt. Aug. autem l. 1 cont. Crescon., c. 33, sic inquit : *Scripturarum a nobis tenetur veritas, cum id facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas; ut quoniam Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, Ecclesiam ille consulat, quam sine ulla ambiguitate Scriptura demonstrat.* Idem, l. 7 de baptis., c. 53 : *Nobis,* ait, *tutum est fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione D. N. J. C. universalis Ecclesiæ consensione roboratum est,* et ep. 118 : *Disputare contra id, quod universa Ecclesia sentit, insolentissimæ insaniæ est.*

III. Ex Ratione sufficiat argumentum, quod Aug., toto libro de utilitate credendi amplissime tractavit; Cap. autem 15 in hanc collectionem contraxit : Species et pulchritudo rerum creatarum exterior publice, interior autem conscientia privatim meliores quosque animos hortatur, Deum quærendum esse et Deo serviendum : providentia autem et bonitas Dei non sinit ut homini, quem hortatur, non providerit de viis, quibus ad veram religionem veramque sapientiam, qua Deus colitur quaque illi servitur, perveniat. Via hujusmodi est duplex; altera per *rationem,* per *auctoritatem* altera, sed

ratio humana cæca nimium et infirma est, quam ut per illam eo perveniatur : igitur a Deo auctoritas aliqua constituta est, ad quam sit recurrendum. Porro ratio docet, inter auctoritates eam præ cæteris audiendam esse, quæ cæteris præeminet; cæteris autem præeminere auctoritatem Ecclesiæ Catholicæ ex motivis credibilitatis manifestum est : ergo auctoritas Ecclesiæ a Deo constituta est, ut per illam ad veram religionem veramque sapientiam perveniatur. Proinde infallibilem oportet esse Ecclesiam, in vera Religione et Sapientia demonstranda : quia aloquin falleret nos Deus, qui illam constituit, ut ab ea veram Religionem veramque Sapientiam discamus.

Conf. I. Ecclesia gubernatur a Christo tanquam corpus a capite et tanquam sponsa a sponso, juxta illud ad Ephes. 1, v. 22 : *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius;* et 2 ad Cor. 11, v. 2 : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo :* eadem jubetur sub pœna anathematis audiri ab omnibus, dicente Christo Matth. 18, v. 17 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* Ergo, nisi Ecclesia sit infallibilis, tum falli potest Christus, tum gravissime obligamur ad firmissimum assensum incertis ac subinde falsis præstandum : quo utroque nihil absurdius.

II. Dogma, hoc ipso quod sit oppositum consensui Ecclesiæ, judicatur hæresis; ut patet tum ex historia trium priorum seculorum, in quibus exortæ hæreses, non aliter ut hæreses damnatæ fuerunt, quam consensu Ecclesiæ opposito : tum ex testimonio Irenæi et Tertulliani, quorum ille l. 3, adv. hær., c. 2 tradit hæreticos bifariam convinci, vel Scripturis, vel Traditione : *cum ad eam iterum Traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successionem Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos :* Unde et Florino hæretico nil aliud opponit præter hoc : *Hæc dogmata dissentiunt ab Ecclesia.* Iste autem, l. de Præscr., c. 21 : *Constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus, et originalibus fidei, conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit : omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum.* Atqui dogma istud damnari non posset ut hæresis, nisi consensus ille Ecclesiæ esset infallibilis : ergo.

III. Si Ecclesia errare posset in rebus fidei et morum, ergo errando non haberet Christi fidem, et sic desineret esse Christi Ecclesia : neque profiteretur fidem veram, et sic Ecclesia desineret esse visibilis : neque ullus haberet certitudinem de fide, fideique fundamento, objecto et adminiculis; et sic Ecclesia desineret esse congregatio fidelium. Sed hæc omnia vel sunt contra supposita vel contra demonstrata : ergo.

108. *Objic.* Ecclesia Christi obnoxia est ignorantiæ, deceptioni, et errori, ut patet. ex Isa. 56, v. 10 : *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi;* et v. 11 : *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt;* ex Matth. 24, v. 11 : *Multi Pseudoprophetæ surgent et seducent multos;* et 2 ad Thess. 2, v. 10 : *Mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio :* Ergo.

R. ad Arg. — *N. A.* Textus enim 1us intelligendus est vel de pastoribus Synagogæ, cui innerrantiam ita, ut Ecclesiæ Christi, promissam haud legimus : vel de omnibus, in sensu duntaxat accommodo; quem sensum phrasis Scripturæ sæpius tolerat, hic autem admittendum esse rationes theseos de-

monstrant, 2us et 3us aperte de singularibus tantum, nec iis omnibus, enuntiant, adeoque ad Ecclesiam non pertinent.

Inst. 1. Ecclesia est cœtus hominum : sed homines sunt fallibiles, et totus etiam cœtus in credendo ac definiendo est liber; nec promissa illi est assistentia Spiritus sancti nisi conditionate, si nempe fidelis permanserit : ergo.

R. — *N. min.* — Quoad *prob.* 1. *D.* Homines singuli sunt fallibiles, C. collecti in cœtum et sub capite, *Subd.* sunt fallibiles, si spectentur soli, ac sibi relicti, C. Si accipiantur cum assistentia Spiritus sancti, cujus promissionem habent, N. Hoc ipsum ostendit neutiquam fieri posse argumentum a sensu distributivo ad collectivum ; cum fidelibus collective sumptis, h. e. Ecclesiæ tantum, non item singulis seorsim facta sit promissio.

Ad 2. *D.* Totus cœtus in credendo et definiendo est liber libertate contradictionis, C. libertate contrarietatis, N. vel *Subd.* physice, C. moraliter, N. Tot enim gratiis Christus adest Ecclesiæ, ut quamvis singuli errare possint, nunquam tamen omnes simul errent. *Ad* 3. *N. ass.* Qui enim ad id probandum Joan. 8, versus 31 et 32 afferuntur, non sunt theseos nostræ fundamentum, ut ex rationibus nostris nulla conditione pendulis liquet.

Inst. 2. Ecclesia ipsa infallibilitatem in se nullam agnoscit; quia nec illam sibi ullo decreto aut canone asserit; nec hæreticos ad eam provocando, sed discutiendo et ratiocinando ex Scriptura et Traditione convincit, nec audet definire controversias theologicas de Gratia, Prædestinatione et aliis : ergo.

R. — *N. A.* Ad ejus *prob* 1. *R.* Exercite et implicite id satis asserere Ecclesiam, dum anathemate percellit, quotquot suis decretis obluctantur : neque ampliorem auctoritatis suæ declarationem requiri, patet ex paritate cujuslibet judicis, usu ipso et praxi, non autem speciali decreto litigantibus suam auctoritatem probantis.

Ad 2. *R.* Neque id fieri semper; neque, si fiat, fallibilitatis causa fieri : sed quoniam Ecclesia *parata est semper ad omnem satisfactionem omni poscenti rationem* de sua fide; intentaque ad fidem, non tantum imperio et auctoritate, sed suasione et doctrina, contumaces adducere. Cæterum cum nova fidei dogmata non faciat, sed declaret, quæ in verbo Dei continentur, præmisso examine et ratiocinio hanc continentiam explicante, decretorie demum ex sua auctoritate suprema pronuntiat.

Ad 3. *R.* Ne fidei objectum sine necessitate et fructu increscat, Ecclesia jam a prima ætate consuevit non damnare nisi quod aut apertum errorem præ se fert, aut scandalum parit, aut de quo fideles inquirunt sensum Ecclesiæ, tanquam de re cujus oppositum ab aliis obtruditur pro verbo Dei et articulo fidei : quod in suis controversiis non faciunt doctores Catholici.

Inst. 3. Rationes adductæ pro infallibilitate pugnant tantum pro rebus fidei : si vero trahantur ad res morum, veritates omnes morales ab Ecclesia propositæ forent de fide : sed 1um facit thesin nostram gratuitam et inermem; 2um ridiculam et absurdam : ergo.

R. ad Arg. quoad 1. *p.* — *T. M.* — *N. min.* Præter argumenta enim ex ratione deprompta, quæ pro infallibilitate in rebus morum pleraque pugnant, singularia quædam in fine num. 105, protulimus. — *Ad* 2. *N. seq. M.* Ut aliquid dicatur esse de fide, debet esse revelatum formaliter vel implicite, quemadmodum in Tr. pr. dicendum est; infallibilitas autem Ecclesiæ non facit, sed supponit, applicat, et ostendit revelationem ; adeoque ex infallibilitate hac non sequitur, quodlibet pertinens ad mores, ab Ecclesia propositum, esse fidei objectum. Plura tamen ex hoc genere reperire est, quæ utpote in

Scripturis aut Traditione revelata fidem faciendorum constituant : prætereaque ad fidem divinam pertinet assertio, quod Ecclesia in rebus morum descriptis errare nequeat.

Inst 4. Ecclesia aliquando mutat suas leges, variat disciplinam, et diverso ritu utitur : ergo in rebus morum non est infallibilis.

R. — *D. A.* Ecclesia mutat leges in his, quæ sunt intrincese mala vel bona, variat disciplinam in necessariis, diverso ritu ad substantiam fidei aut sacramentorum pertinente utitur, N. In aliis, quæ talia non sunt, et ubi alio tempore, alio loco, aliis circumstantiis expedire aut nocere saluti possunt, quæ alibi et alias oppositum præstabant, C. Quæcumque autem est mutatio posterioris generis, non tollit, sed potius probat Ecclesiæ infallibilitatem in rebus morum.

Inst. 5. Potest Ecclesia errare in canonizatione Sanctorum : de facto erravit in religiosorum quorumdam ordinum institutione aut approbatione, utpote quos postea extinxit : item in propositione Breviarii seu officii Ecclesiastici, in quo scilicet multa falsa continentur : sed cultus Sanctorum, Ordinum Religiosorum inductio, et recitatio Breviarii pertinent ad mores : ergo.

R. — *N. M.* Et quidem 1. *p.* quia Ecclesiam universalem esse infallibilem in canonizatione Sanctorum, si de fide non teneat, asserit tamen communior et probabilior Theologorum sententia cum D. Thoma. quodlib. 9, art. 16 ; fundatque in Ecclesiæ infallibilitate circa res morum, ejusque sanctitate et honore, cui Dei providentia et assistentia S. Spiritus non desit. Horum fundamentum 1um facit, ut firmissimum sit judicium speculativum, quod in cultu Sanctorum judicio practico prælucet : adeoque hoc prorsus distinguit ab aliis, adorationem hostiæ, honorationem parentum, et alias actiones morales præcurrentibus : 2um impedit fallibilitatem testimonii humani, ad negotium istud ordinarie concurrentis. Porro sicut cultus Sanctorum a reliquiarum cultu distinguitur ex objecto, quod in hoc respectivum, in illo autem absolutum et directum est; ita disparem rationem præbet, cur hic fallibilis esse possit, illic autem infallibilis debeat esse propositio.

Deinde 2. *p.* quia ex eo quod extinctus sit *Ordo Religiosus*, non sequitur illum erronee institutum fuisse aut approbatum ; cum extingui eum contingat, vel ob Religiosorum declinationem a sanctitate regulæ, vel ob mutatam necessitatem aut utilitatem ipsius Religionis. Cæterum quamvis institutio ordinum religiosorum passim et ab omnibus non numeretur inter ea, in quibus Ecclesia errare nequeat, id tamen iisdem omnino certum est, universam Ecclesiam probare non posse alicujus Instituti regulam, quæ aut errorem contra fidem, aut vitium contra mores complectatur.

Denique 3. *p.* quia si qua falsitas inest, pertinens aut ad fidem aut ad mores, Ecclesia certe universalis *Breviaria* hujusmodi non proposuit : si autem historias illa inficiat, eadem Ecclesiæ infallibilitatem haud lædit; utpote quæ historiis in Breviario propositis auctoritatem humana majorem tribuere non intendit. Cæterum probata pluribus experimentis tum artis criticæ fallibilitas, tum criticorum intemperantia, sufficere possunt ne qualicumque conjectura aut dubitatione opposita fidem Breviarii etiam historicam continuo aut facile convelli patiamur.

109. *Observa I.* Quæ de infallibilitate diximus, quamvis secundum præsentis capitis institutum ad Ecclesiam complete spectatam pertineant, non minus tamen, quin et principalius, intelligenda sunt de Ecclesia formaliter

et repræsentative accepta, seu pro Episcopis capiti suo supremo adhærentibus : tum quia Episcopis impositum est munus Act. 20, v. 28, *regendi Ecclesiam Dei;* 1 Pet. 5, v. 2, *pascendi gregem Dei;* Matth. 28, v. 20. *baptizatos docendi omnia mandata Christi;* 2 ad Tim. 1, v. 14, *custodiendi depositum fidei;* ad Ephes. 4, v. 11, *ministrandi in consummationem sanctorum et ædificationem corporis Christi :* tum quia illud Matth. 18, v. 17. *Dic Ecclesiæ,* communis interpretatio cum Chrysostomo, Theophyl. Euthym. et aliis, de Præsule Ecclesiæ accipit; præterea vero juxta Cypr., ep. 69. *Ecclesia est in Episcopo, et Episcopus in Ecclesia; ut, si qui cum Episcopo non sunt, in Ecclesia non sint;* juxta Hieron. in Dial. adv. Lucif. *Ecclesia non est, quæ Sacerdotes non habet;* juxta Cyril. Alex. in ep. Synod. ad Nestorium *universorum Episcoporum consensus est Catholicæ Ecclesiæ fides.* Accedit tum quod Episcopis speciatim promissa sit infallibilitas, Matth 28, v. 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi;* et Joan. 16, v. 13 : *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem :* tum quod iisdem obedientia sit præstanda, ex Luc. 10, v. 16 : *Qui vos audit, me audit,* et Matth. 23, v. 2 : *Omnia quæcumque dixerint vobis, servate et facite.*

Demum nec pertinet ad populum, tanquam gregem et oves, regere, pascere et docere : nec decet mulierum (quas Apostolus in Ecclesia tacere jubet), aliorumque, maximam partem controversiarum ignarorum, inquirere mentem : nec factu possibile est, seu fidelium singulorum colligere sententias, seu universos in concilium cogere.

110. *II.* Neque tamen ad universalem Ecclesiam repræsentandam, et Ecclesiæ repræsentative acceptæ infallibilitatem tuendam, requiruntur omnes omnino Episcopi, ita ut major Episcoporum numerus summo Pontifici adunatus promissam Ecclesiæ infallibilitatem non habeat, si pauci ex adverso Episcopi illorum doctrinæ circa fidem aut mores repugnent. Patet id, tum ex recepta in omni tribunali lege, quæ ex plurali suffragiorum numero sententiam totius senatus nomine enuntiari decernit : tum ex praxi Ecclesiæ perpetua in causis Arii, Donati, Pelagii et aliorum spectata : tum ex veræ Ecclesiæ notis, quæ descriptæ Episcoporum multitudini perapte congruunt, paucitati autem repugnantium adversantur; quod argumentum Euseb., l. 5, hist. contra Montanistas, Pacianus ep. 2 ad Sempron., contra Novatianos, Athanas., ep. Synod. ad Jovian., Liberius ep. ad Constantium et Basil., ep. 75 ad Cæsariens., contra Arianos, Hieron., in Dial. contra Luciferianos, cum Patribus Conc. Ephesini Act. 5 et Constantinop. II. Collat. 6, pluribus prosequuntur.

Unde patet, requisitam a nonnullis ad infallibile *definitionis dogmaticæ* robur unanimitatem Episcoporum etiam consequentem (qua saltem post judicium Ecclesiæ latum prorsus omnes consentire debeant) imprimis esse gratis confictam, cum ratio dari nulla possit, cur paucitas resistentium non impediat moralem unanimitatem antecedentem nec ferendum Ecclesiæ judicium, rescindat tamen unanimitatem consequentem et latum jam judicium, deinde absurdam et ridiculam, cum ex paucorum rebellium arbitrio penderet Ecclesiæ auctoritas, et hæc salvari nequiret, nisi sæviendo in rebelles; quos præterea sceleris quidem reos decernere, ipsius tamen sceleris notionem certam statuere nequeant judices : amicam denique hæresibus fere omnibus et inimicam judiciis Ecclesiasticis, cum nulla fere secta caruerit patronis

etiam Episcopis, adeoque nulla definitio Episcoporum opposita polluerit infallibilitate, sine cujus adminiculo nec certitudo fidei, nec erroris oppositio determinari potest.

111. *III.* Via et modus, quo Ecclesia suam in rebus fidei et morum auctoritatem infallibilem exercet, universim est triplex, decernendo nempe vel per summum Pontificem solum, vel per Episcopos in concilio œcumenico congregatos, vel per eosdem extra concilium tale suis sedibus affixos, seu dispersos, utrobique tamen summo Pontifici adunatos. De gemino priori modo agetur capitibus sequentibus : de posteriori hic addimus, consensum dispersorum Præsulum esse vel expressum vel tacitum. *Expressus* est, dum legatis, aut litteris, sive synodicis, sive singularibus, definitionem Pontificiam vel præveniunt et sollicitant, ut circa tria Capitula factum; vel sequuntur et adoptant, ut circa epistolam tractoriam contra Pelagianos, et circa Bullam *Unigenitus* contra Quesnellianos evenit. *Tacitus* est, dum dispersi per orbem Episcopi adversus constitutionem aliquam non reclamant, et hac sua non reclamatione, seu suo silentio illam approbare censentur.

Notæ autem et indicia hujus præsumptionis habentur, si materia constitutionis fidem, mores vel disciplinam generalem attingat; si forma constitutionis normam et regulam fidelibus omnibus observandam præ se ferat; si causa constitutionis legitima auctoritate polleat; si tempus constitutionis tantum sit, ut res ad Episcoporum notitiam pervenire potuerit. Fundamentum porro præsumptionis hujusmodi est, tum unitas et communio Episcoporum et inter se et cum suo capite, in qua Iren., l. 3 adv. hær. et Tertull., l. de præscrip. certissimam veræ doctrinæ regulam collocabant : tum summa grassantibus erroribus ac vitiis contradicendi obligatio, Episcopis imposita; quam declarat Aug., ep. 119, c. 19, scribendo : *Ecclesia Dei ea quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit;* et l. de dono persev., c. 16, monendo : *Dicatur ergo verum, maxime ubi aliqua quæstio ut dicatur impellit :* Item Cœlestin. I in ep. ad Epp. Galliæ statuendo : *Timeo ne connivere sit hoc tacere... In talibus autem causis non caret suspicione taciturnitas; quia occurreret veritas, si falsitas displiceret : merita namque causa non respicit, si silentio faveamus errori.*

Quæres : *An et quale judicium competat Ecclesiæ circa libros vel propositiones?*

112. *Nota I.* Ex variis doctrinæ rebus, de quarum judicio ad Ecclesiam pertinente generatim diximus, speciatim hic materiam judicandorum librorum et propositionum adducimus, tanquam argumentum multis posteriori ætate controversiis agitatum. Sicut tum libri, tum propositiones sive ex illis extractæ, sive alias prolatæ, spectari dupliciter possunt, nimirum vel nude, simpliciter, absolute et in se ipsis, seu independenter ab omni auctore aut libro, vel relative ad sensum quidem auctoris pro utroque, et ad sensum etiam libri pro propositione inde extracta : sic recentiora de iis judicii Ecclesiastici exempla, quantum ad prius, dederunt Alexander VII, VIII et Innocentius XI plures propositiones, nulla facta auctorum vel librorum mentione, configentes; quantum ad posterius, Leo X, Innocentius X et Clemens XI libros et propositiones inde excerptas ad Auctorum, Lutheri, Jansenii et Quesnelli mentem ac sensum damnantes.

Porro judicii hujus quæstio, seu causa, alia dicitur *juris* seu *dogmatis*, qua scilicet quæritur, qualis, hoc est, an vera aut falsa, an orthodoxa aut herodoxa sit in se doctrina hujus propositionis aut libri; alia dicitur *facti*, qua quæritur, quænam sit doctrina propositionis ut in libro, aut libri ut ab auctore prolata : subdividitur autem hæc quæstio in quæstionem *facti personalis*, ubi vel de auctore libri, vel de scripto propositionem continente solo quæritur, nulla facta dogmatis complexione; et in quæstionem *facti doctrinalis* seu *dogmatici*, ubi et de qualitate doctrinæ, et de talis doctrinæ attributione ad hunc auctorem vel scriptum quæritur. Exempla harum quæstionum suppeditat causa Janseniana alibi tractanda. Nempe, an quinque famosæ propositiones hæresin contineant et merito damnatæ sint? est quæstio juris : an hæ propositiones extent in libro Augustinus inscripto, aut libri hujus et istarum propositionum auctor sit Jansenius? est quæstio facti personalis : an propositiones memoratæ jure merito proscriptæ sint in sensu, quem præ se ferunt in libro Jansenii? est quæstio facti dogmatici.

Materia judicii non sunt nuda verba, sed sensus : sensus vero alius est *grammaticalis*, quem verba et constructio orationis præcise produnt; alius *philosophicus*, quem mens proferentis intendit : item alius *naturalis*, *proprius et obvius*; alius *extraneus*, *improprius et alienus*; prior in propositionibus absolute in se spectatis constituitur per sensum grammaticalem, in propositionibus autem relative ad sensum auctoris vel libri spectatis per sensum philosophicum; posterior ex quocumque alterutrius defectu oritur. Subdividitur porro sensus philosophicus in sensum *internum et personalem*, quem nempe auctor interius et in animo habet; et in *externum seu litteralem*, qui quidem præter verba ex consilio, instituto, textura et conformatione libri, ac tota doctrinæ ipsius serie colligitur, et posterioris classis propositionum sensus naturalis, proprius, et obvius habetur ac dicitur.

Forma denique et sententia judicii est vel *practica* vel *speculativa*. Practica est, dum approbat aut permittit, prohibet aut suspendit, sine aut sub certis conditionibus, lectionem libri vel assertionem propositionis : speculativa est, dum doctrinam declarat velut sanam seu immunem ab omni nævo, vel dum aliqua censura theologica notat, vel dum censurari prohibet.

113. *Nota II.* Facile convenit 1° non esse faciendum discrimen inter textum brevem et longum, adeoque inter librum et propositionem in ordine ad judicium. Quantumvis enim Janseniani inter illa distinxerint; tamen id damnatum est a Clemente XI in Bulla *Vineam Domini*, an. 1705 edita, nec solida discriminis ratio ulla afferri potest. 2° Ecclesiam directe non judicare de sensu interno ac personali; quia ad auctorem etiam declarandum tanquam hæreticum, h. e. cum animi pertinacia errantem, sufficit hanc internam comparationem aut præsumi ex qualicumque scientia et veracitate auctoris, aut supponi aliunde posse; cum hæc declaratio sit externa et judicialis infamatio, qualis etiam aliis in tribunalibus simili modo ex jure fieri consuevit. 3° Similiter Ecclesiam non judicare, saltem infallibiliter, infallibilitate divinitus promissa, de factis personalibus particularibus, et ad doctrinam fidei vel morum aut ad totam Ecclesiam non pertinentibus; *prius* quidem quia Ecclesiæ nihil interest, scripseritne reipsa v. g. hic aut alius auctor hunc librum; alterum, quia sicut aliarum rerum particularium certa et evidens cognitio haberi potest, sic et certæ propositionis in determinato libro contenentia cognosci potest certissimis argumentis : *posterius*, quia infallibilitas

illa provenit tantum ex argumentis physicis, non autem ex Spiritus sancti assistentia, quæ in necessariis duntaxat et pro bono Ecclesiæ communi fuit promissa. 4° Ecclesiam sine erroris periculo judicare circa librum aut propositionem simpliciter et absolute in se spectata; quia nemo unus, nisi Ecclesiæ refractarius, id negat : contra hujusmodi autem, artic. pr. abunde actum est.

Itaque de quæstione duntaxat *facti dogmatici*, ac de judicio circa librum vel propositionem, relative ad sensum auctoris externum, seu naturalem et obvium sumpta, agendum restat. In qua pertractatione ambarum quæsiti partium resolutioni inseretur responsio ac corollarium, quo aliqui docent satis esse, si judicium Ecclesiæ externo et, ut vocant, religioso silentio excipiatur, seu nihil illi contrarium dicatur, scribatur, aut doceatur; non autem requiri internum mentis et judicii proprii assensum.

114. *Resp. I.* **Ecclesiæ competit jus ferendi judicium circa libros et propositiones, relative etiam ad sensum auctoris.**

Prob. Ecclesiæ competit hoc jus : ratione Episcoporum : hi enim sunt pastores juxta illud Joan. 21, v. 17 : *Pasce oves meas;* et 1 Pet. 5, v. 8 : *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei :* sed pastorum munus est, non modo ovibus monstrare et præbere pascua salutaria, sed et a noxiis pabulis eas arcere; adeoque tum inter herbam et herbam, tum inter pratum et pratum discernere, et venenatum ac noxium a sano et salubri distinguere : præterea vero per herbas propositiones, per prata libros, per pascua doctrinas et auctorum sensum intelligere licet : ergo. 2° Ratione Fidelium : istos siquidem in ambiguis et variantibus, maxime circa religionem et salutem, oportet decisionem et instructionem capere a Sacerdotibus præsertim majoribus; ut tum in Vet. Testamento, Deuter 17, v. 1; 2 Paral. 19, v. 10; Malach. 2, v. 7; tum in Novo, Matth. 18, v. 17 et cap. 23, v. 2, præscribitur : sed libri et propositiones circa religionem et salutem in sensu auctorum sunt sæpe ambigua, faciuntque judicia variare : ergo. 3° Ratione Auctorum : qui, si fideles sunt, licet hæretici, vi jurisdictionis, quam Ecclesia fundatam habet, prohibitione librorum vel damnatione sententiarum possunt puniri; si infideles sunt, vi conservationis et tuitionis propriæ, possunt eodem modo vel directe arceri, vel indirecte, fidelibus nempe lectionem aut usum interdicendo, impediri a nocumento inferendo. 4° Ratione Doctrinæ : cujus depositum sicut Ecclesia habet, sic et curam, non tantum dum ipsa loquitur, sed et dum alii id audent, ex officio gerit, juxta illud 2 ad Tim. 1, v. 13 : *Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide, et in dilectione in Christo Jesu : bonum depositum custodi;* et ib., 2, v. 16 : *Profana autem et vaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit; ex quibus est Hymenæus et Philetus.* Ergo.

Conf. Rectores, Patres, et Custodes Ecclesiæ, a primis seculis ad nostra usque, hanc potestatem exercuerunt; utique, quid juris competat Ecclesiæ, intelligentes et servantes. Et quidem Apostoli juxta Auctorem Constit. Apostol., l. 1. c. 7, fidelibus prohibuerunt libros gentilium et pseudoprophetarum, conformiter ad Act. 19, v. 19 : *Multi ex iis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus :* ex Pontificibus autem, teste Prospero in Chronico, Leo M. libros Manichæorum, teste Anastasio, Symmachus, Hormisdas et Gelasius libros hæreticorum suæ ætatis proscripserunt; quorum Pontificum postremus etiam indicem proposuit, quo libros probos a

pravis discrevit, horum lectionem insuper fidelibus prohibens. Antecessorum formam secuti sunt successores, universim quidem, in Bulla Cœnæ a Martino V, an. 1420, et in Indice librorum prohibitorum a Pio IV, an. 1564, primum solemniter editis, et posthac sæpius continuatis : speciatim vero Leo X articulos Lutheri, Pius V propositiones Baii, Innocentius X librum et propositiones Jansenii, Innocentius XII scripta Molinosi, Clemens XI observationes et propositiones Quesnelli damnando et prohibendo. Patres itidem in conciliis congregati eadem potestate, severitate etiam majore, usi sunt contra hæreticorum lucubrationes.

Nam jussu Concilii Nicæni flammis absumpti sunt libri Arii : Synodus Constantinop. I, proscripsit epistolas Aetii : a Conc. Ephesino I, Act. 5, interdicta sunt scripta Nestorii : in Chalcedonensi, Eutychetis opera fuerunt damnata : idem statutum fuit in Constantinopolitano II contra epistolam Ibæ, et libros Anthymi ac Theodori : Constantinopolitanum III rogo addixit libros Monothelitarum : Nicænum II præter libros alios damnavit inscriptum Itinerarium Apostolorum : similia legere licet in actis conciliorum generalium sequentium et aliorum.

Tutores tandem Ecclesiæ Imperatores aliique magistratus, ad defensionem Religionis evocati, legibus ac pœnis haud mitiora in libros notatos statuerunt. Inter quos Constantinus M., rogum Arii scriptis, capitis pœnam eorum occultatoribus indixit. Eodem supplicii genere persecutus est Eunomii opera Theodosius senior, libros Nestorii et Porphyrii Theodosius junior, Eutychetis scripta Valentinianus et Marcianus, Severi commentationes Justinianus, et posterioribus seculis Joannis Huss et Lutheri opera Sigismundus et Carolus V; ne quid dicam de Regum Franciæ Ludovici XIV et XV pluribus edictis contra novissimas factionis Jansenianæ lucubrationes. Quam quidem Ecclesiæ praxin pertinuisse ad auctorum sensum, tum frequens ipsorum auctorum una cum scriptis damnatio, tum alia indicia manifesta docent.

115. *Resp. II.* **Lato Ecclesiæ judicio ejusmodi, debetur non solum silentium religiosum, sed internus mentis assensus fidelium.**

Prob. 1. Ratione præcepti, quo Ecclesia subscriptionem etiam cum juramento faciendam sæpe exigit. Subscriptio exterior, destituta interiore mentis adhæsione et consensu, verum est mendacium et perjurium : ergo. 2. Ratione doctrinæ, quæ per judicium hoc declaratur. Sicut enim veritas revelata corde creditur ad justitiam, ore autem ejus confessio fit ad salutem : sic et veritas per Ecclesiam proposita saltem corde suscipitur ad unitatem, ore autem aut manu fit ejus professio aut subscriptio ad obedientiam. 3° Ratione finis, qui stat in proscriptione erroris et confirmatione sani dogmatis : sed neuter obtineretur, si liceret animo dissentire ab Ecclesiæ judicio : ergo.

Conf. Ex Ecclesiæ praxi constat : 1° subscriptiones concilii fieri consuevisse, mentione facta consensus : *consentiens subscripsi; obtemperans sententiæ subscripsi: statuens* vel *definiens* vel *approbans subscripsi;* 2° anathematismos fuisse faciendos *ex toto animo et tota cogitatione,* ut ait Justinianus in Tract. ad Mennam; *corde et ore,* ut loquitur Beda, l. 4, hist., c. 17; *anima et ore,* ut Lateran. IV Secret. 5; Can. 18, loquitur; *fide* et persuasione interiore, ut sub finem Constantiense jubet; 3° in subscriptionibus aut anathematismis admissa non fuisse præteritionem aut silentium, ut ex

Hier., ep. ad Pammach., Leon. I ep. 6 ad ep. Aquileiens., patet; nec suspensam e conditione assertionem, ut ex Cyril., ep. ad Donat., de Joannis Antiocheni anathematismo apparet; nec indeterminatam aut vagam, ut ex Act. 8, Conc. Chalcedonensis circa Theodoretum liquet. His accedit Apostolica Constitutio *Vineam Domini Sabaoth*, qua religiosi silentii sufficientia damnatur, velut injuriosa et contumeliosa Ecclesiæ, superbiæ et temeritatis plena, inobedientiæ ac rebellionis adjumentum, etc.

116. *Respondeo III.* **Judicium Ecclesiæ de libris et propositionibus in sensu auctorum est infallibile.**

Prob. Ecclesia ex resp. 1ª habet jus ferendi hoc judicium; et ex resp. 2ª hujusmodi judicio debetur non tantum silentium obsequiosum, sed internus mentis assensus : ergo idem judicium debet esse infallibile. *Cons. prob.* 1º Quia mentis assensus non debetur nisi auctoritati omnino certæ ac infallibili, præsertim obligatorius sub pœna anathematis; cum iniquum foret, ita obligare fideles ad assentiendum rebus fallibilibus et incertis. 2º Quia Ecclesia et in judicio ferendo declarat id se facere cum assistentia Spiritus sancti, usurpando sæpius illa verba, *Visum est Spiritui sancto et nobis*; et in assensu exigendo postulat nonnunquam fidem, ut in Conc. Constantiensi proposuit illam quæstionem : *utrum credant*, etc.; ex utroque autem fluit infallibilitatis attributum. 3º Quia, cum ex prioribus assertis geminis facile elidantur appellationes et negentur reformationes, ne judiciorum ejusmodi, si qui possibiles statuantur, errores circa fidem et salutem fiant irreparabiles, Ecclesiæ judicandi infallibilitas est tribuenda.

Conf. I. Ecclesiæ judicium est infallibile in quæstionibus juris et libris ac propositionibus absolute secundum se spectatis, ut num. 107 et 110, probatum dedimus : ergo et in quæstionibus facti dogmatici, et libris ac propositionibus relative ad sensum auctorum spectatis. *Cons. prob.* 1. Quia, si Ecclesia erraret, judicando v. g. Institutionem Calvini continere doctrinam Catholicam et libros Augustini, de gratia complecti doctrinam erroneam, Ecclesia discens, cum dogma hic non cognosceret nisi in facto ac libris relative sumptis, erraret etiam circa dogma, Calvini propositiones hæreticas amplectendo, et Augustini orthodoxas negando; Ecclesia autem docens, cum factum a jure non distingueret, male pasceret, regeret, et doceret fideles : adeoque neutra prærogativas divinitus promissas haberet. 2. Quia partim inseparabile est dogma a facto, saltem dum proponitur fidelibus aut vitandum aut tenendum : partim ut conjunctum judicari debet, ad fidelium salutem et fidei custodiam, dum in hominum commercium et controversiam jam elatum est ab Auctoribus. 3. Quia alias nullum concilii decretum ad Patrum conditorum mentem adoptari, nullus error damnatorum ab Ecclesia auctorum anathematizari posset, quin de utriusque sensu dubitare aut aliter etiam sentire liceret.

Conf. II. Ecclesia est infallibilis in definiendo quis sit Scripturæ sensus; cum exinde Conc. Trid., Sess. 4 : Vulgatam declararit authenticam : est infallibilis in declarando sensu Traditionis a Patribus relatæ; cum ex hac in plerisque conciliis definiverit fidei dogmata : est infallibilis in usurpando sensu symbolorum et decretorum; cum secundum ea fidei professionem concinnarit : ergo etiam infallibilis est in judicando sensu librorum et propositionum relative spectatarum. *Cons. prob.* 1. Quia in Scriptura, Traditione, et Symbolis, sensus obvius æque est sensus philosophicus, et non

mere grammaticalis, æque est factum dogmaticum ac sensus externus auctorum libros et propositiones edentium. 2. Quia cum relativorum eadem sit cognitio, et sensibus Scripturæ, Traditionis, et Symbolorum, sensus alii vel conformes vel difformes esse debeant; sicut infallibilis est Ecclesiæ cognitio circa sensum Scripturæ, Traditionis et Symboli, sic et ejusdem rationis debet esse cognitio circa sensum cujuscumque propositionis aut libri cum illo comparati. 3. Quia sensus librorum et propositionum formaliter vel includitur vel excluditur a sensu Scripturæ, Traditionis aut Symboli; applicatur autem cognitioni Ecclesiæ per evidentiam signorum et regularum de sensu obvio auctorum : ergo judicium de sensu auctorum in libris æqualem certitudinem nanciscitur cum judicio de sensu Scripturæ, Traditionis et Symbolorum.

117. *Objic.* Ecclesia non est infallibilis, nisi in iis quæ ad fidei aut mo rum doctrinam pertinent : sed ad fidei aut morum doctrinam non pertinet quæstio, quis sit sensus libri aut propositionum, vel an liber aut propositiones in sensu auctoris contineant heresin? ergo. — *Prob.* 1. Quia Christus Ecclesiæ tantum promisit infallibilitatem, quæ sit necessaria, ne portæ inferi adversus eam prævaleant : salva autem fidei et morum doctrina, portæ inferri non prævalent contra Ecclesiam. 2. Juxta Patres, quidquid in conciliis etiam generalibus, excepta sola fide, definitur, *nullius est firmitatis;* ita Leo I ep. ad Maximum Antioch. scribit; *retractari potest*, imo *licenter reprehendi,* ut Pelag. II, ep. 3 ad Epp. Istriæ declarat. 3. In quæstionibus facti errare posse Ecclesiam, D. Thom. Quodlib. 9, art. 16, Tostat, in Defensorio, Dionys. Carthus, l. 3 de Auctor. Papæ et Conc., Gerson L. de Eccles. unit., Melch. Canus de Loc. Theol., l. 5, c. 5, aliique enuntiant.

R. ad Arg. Ut objectio æqualiter decurrat, propositio materiam controversiæ exponens prior, sc. quis sit sensus libri, accipienda est de sensu theologico, seu in ordine ad qualitatem doctrinæ. Quantumvis enim quæstio *quis* discrepet ab illa *qualis* sit sensus, jam supra tamen notavimus Ecclesiam de quæstione priore solitarie accepta, et sensu mere grammaticali, haud ferre judicium : præterea hic addimus distinctionem hanc frustra fuisse olim prolatam ab auctore Belga in libro Via pacis inscripto. Nam quod Ecclesiæ praxin attinet, nisi propositio sit ambigua, et hinc (ut in art. 24 et 41. Wicleffi Conc. Constantiense et in 5ª Jansenii Innocentius fecerunt) sensus per damnationem sit determinandus, illa propositiones censurat semper in sensu naturali et obvio : quod ad jus autem spectat, utrumque sensum a censura attingi oportet; ne scilicet Ecclesia frustretur fine suo superius exposito, ne res fidei et religionis recidat ad logomachias, ne damnatarum propositionum auctoribus perpetua excipiendi et altercandi materia relinquatur. Non minus porro infallibilis in hoc sensu discernendo Ecclesia haberi potest, ac ipsa est in sensu suarum enuntiationum, quibus aut dijudicat, aut interpretatur aliquam doctrinam, cum utrumque ex iisdem principiis profluat. Quin et infallibilitatem hanc velut grammaticalem, quantum ad Theologicum propositionum judicium pertinet, divinam dicere licet; cum ea a Spiritus sancti assistentia proveniat, qui providens de aliquo fine, etiam de requisitis ad illum providet. Reducta sic ad unitatem objectione.

R. — *D. M.* Ecclesia non est infallibilis, nisi in iis, quæ sive formaliter

et immediate, sive virtualiter et mediate, ad fidei et morum doctrinam pertinent, C. nisi in iis, quæ formaliter tantum et immediate ad doctrinam illam pertinent, N. Similiter *D. m.* Quæstio illa, quis sit libri sensus, aut illa, an liber in sensu auctoris contineat hæresin, non pertinet ad doctrinam fidei formaliter et immediate, T. nequidem virtualiter et mediate, N. Conformiter ad dicta in Tr. pr. formaliter et immediate ad fidei doctrinam pertinere statuimus, quod vel est expressum fidei objectum materiale, aut in eo formaliter sive implicite sive explicite continetur : virtualiter autem et mediate ad illam spectare dicimus, quod ad objectum fidei materiale vel sequela, vel conformitate, vel oppositione, vel alio modo ita refertur, ut inde fidei aut veritas aut integritas notabiliter afficiatur. Posteriorem pertinentiæ speciem cum objectio, *in majore*, subtrahere infallibilitati Ecclesiæ, et *in minore*, negare materiæ nostræ controversæ conetur, ad utriusque propositionis probationes respondere oportet. Hinc.

Ad Maj. prob. 1. D. *m.* Salva fidei doctrina, secundum omnia quæ tum formaliter et immediate, tum virtualiter et mediate ad eam pertinent, portæ inferi non prævalent adversus Ecclesiam, C. Salva fidei doctrina, secundum ea tantum quæ pertinent huc formaliter et immediate, læsa autem secundum ea quæ virtualiter et mediate illuc referuntur, N.

Ad 2. *R.* neutram auctoritatem huc facere; quia Leo *firmitatem*, h. e. ratihabitionem seu approbationem tantum negat actis legatorum suorum, ultra vel contra mandatum negotia tractantium; Pelagius autem concedit tantum *retractari* aut *reprehendi* judicium circa personas, diserte scribens : « Licentia tribuitur, ut quidquid illic extra fidei causas de personis gestum est, retractetur. » Præterea vero neuter fidei causas ad sola formaliter et immediate afficientia fidem restringit.

Ad 3. *R.* plerosque omnes similiter loqui vel de personis, vel de factis particularibus. Verba angelici Doctoris sunt : *In aliis vero sententiis, quæ ad facta particularia pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est Ecclesiam errare;* Cani autem : *In moribus non toti Ecclesiæ communibus, sed qui ad privatos homines, vel Ecclesias referuntur, errare per ignorantiam Ecclesia potest.* Tostatus et Gerson asserunt quidem Ecclesiæ infallibilitatem in necessariis, nihil autem præterea negant : Dion. Carthus. tandem Ecclesiam tenet fallibilem, sed *in facto et his quæ facti sunt*, scilicet particularibus et cum fide nullatenus connexis.

Inst. 1. Quod ad fidei et morum doctrinam pertinet, in verbo Dei vel scripto vel tradito revelatum continetur, ut Trid., Sess. 4, in dec. de Canon. script. asserit : hunc autem esse sensum libri, vel librum in sensu auctoris continere hæresin, in neutro Dei verbo continetur : ergo. 2. Doctrina fidei et morum ipsa potest teneri illibata, etsi per errorem facti existimetur quod ea hoc vel illo libro S. Patris non contineatur; et error doctrinæ oppositus damnari potest, etsi similiter putetur illum in hæretici libro non reperiri : quia ut Facundus Hermian., l. 5, c. 3, ait : *Aliud est, ideo hæreticum excusare, quod catholicus putetur; et aliud ipsam hæresin approbare atque defendere :* ergo. 3. Hæc v. g. enuntiatio : quinque propositiones hæresin continentes damnatæ sunt in sensu Jansenii, æquivalet his duabus : quinque propositiones hæresin continent; et quinque hæ propositiones sunt in libro Jansenii : sed licet prior propositio pertineat ad dogma, posterior tamen complectitur purum factum : ergo.

R. Ad 1. Redit prior distinctio de formaliter et immediate pertinentibus ad fidem, quæ utique revelata esse oportet et Tridentinum dicit, quin idem requiratur ad aliter pertinentia, aut ab horum numero excludatur quæstio nostra controversa. *Ad 2. R.* hujus falsitatem in conf. 1, postremæ assertionis ostendimus. Quod dictum Facundi attinet, in thesi quidem id subsistere potest, in hypothesi autem docentis et discentis Ecclesiæ non tenet. *Ad 3. R.* nec propositionem 2am exponentem accipi debere seorsim ac divisim, ostendit conf. *prima* citata; nec, si solitarie accipiatur, penitus sejunctam esse a fidei doctrina, declarat conf. *secunda* ibidem : adeoque *N. Cons.*

Inst. 2. Ecclesia in pluribus casibus retractavit suum judicium circa facta dogmatica : ergo non agnovit se infallibilem. *Ant. prob.* quidem *circa propositiones :* 1° Hæc : Filius est consubstantialis Patri, damnata est in Conc. Antiocheno, probata in Nicæno : 2° Ista : Maria est Christipara, ante Conc. Ephesinum habebatur catholica, post illud hæretica : 3° Hanc : una in Christo natura est incarnata, Ecclesia probavit in Cyrillo, damnavit in Eutychete : 4° Istam : unus de Trinitate est crucifixus, Hormisdas reprobavit ut Eutychianam in monachis Scythis, Joannes II, ratam habuit in aliis.

Circa libros autem : 1° Marcelli Ancyrani opera Julius cum Conc. Sardicensi censuit catholica, Basilius et Chrys. cum universa Ecclesia rejecit ut hæretica. 2° Libellum Professionis Celestii Zozimus orthodoxum primo habuit, postea heterodoxum cum Africana Ecclesia declaravit. 3° Tria Capitula probavit Synodus IV. Generalis ac Vigilius, damnavit Synodus V, idemque Vigilius.

R. — *N. A.* Quæ ad ejus probationem afferuntur, si intelligantur de propositionibus et libris secundum se sumptis, contra ipsos adversarios pugnant : si autem de relative sumptis ad sensum auctoris, nullatenus retractationem, sed diversitatem judicii de diversis sensibus ostendunt. Hinc.

Ad prioris classis prob. 1. D. Hæc propositio, *Filius est consubstantialis Patri,* a Conc. Antiocheno damnata est in sensu Sabellii et Pauli Samosateni, per TO consubstantialis intelligentium identitatem personæ; et a Nicæno probata est in sensu Patrum, per eam vocem intelligentium identitatem naturæ contra Arium, C. Utrinque in eodem sensu accepta, et sic damnata ac probata fuit, N.

Ad 2. D. Ista propositio. *Maria est Christipara,* in sensu catholico, non dividente personam Christi a persona Verbi, ante Conc. Ephesinum habebatur catholica; et in sensu Nestorii, dividentis personas et negantis unionem hypostaticam, post illud habebatur hæretica. C. In sensu eodem, sive Nestorii sive Ecclesiæ, N.

Ad 3. D. Ecclesia probavit propositionem hanc, *una est in Christo natura incarnata,* significando unitatem assumptionis seu naturæ assumentis; et damnavit eamdem, significando unitatem confusionis naturarum tum assumentis tum assumptæ, C. Secus N.

Ad 4. D. Propositionem istam *unus de Trinitate est crucifixus* secundum naturam divinam vel saltem confusam, damnavit Hormisdas; et unum de Trinitate esse crucifixum secundum naturam humanam probavit Joannes, T. aliter, N. Dixi : *Transeat;* quia sicut a Nat. Alexandro et Norisio satis vindicata fuit fides Scytharum monachorum; sic ostensum est, Hormisdam nullo decreto damnasse propositionis doctrinam, sed cohibuisse duntaxat intempestivam et periculosam ejus prolationem, ac reprehendisse destitutum

prudentia et auctoritate magisterium monachorum, qui, quotquot propositioni a se dictatæ subscribere nollent, Nestorianismi incusabant.

Ad posterioris classis prob. 1. *R.* Falsum imprimis esse, quod universa Ecclesia *opera* Marcelli rejecerit tanquam hæretica; cum nullum hujus judicii monumentum, sed opposita potius Papæ et concilii sententia extet. Deinde pro diversitate opinionum diversa est responsio. Qui Marcello favent, fidem potius habendam dicunt professioni a Marcello editæ, judicibus de ejus causa legitimis, et Athanasio coævo, orthodoxiam ejus probantibus, quam historicis et Patribus, tum ob temporis et loci distantiam deceptioni expositis, tum ob Eusebii accusationem et fraudulentas Arianorum narrationes reipsa deceptis. Qui moderatius adversantur, librum Marcelli contra Asterium recte probatum dicunt a Julio et Conc. Sardicensi; tum quod articuli, quorum causa accusatio hæresis facta fuit, ibidem non asserendo, sed dubitando et quærendo tantum proponerentur; tum quod edita professione, ambiguitatem ac dubium Marcellus abstulisset : volunt tamen eumdem librum nec immerito damnatum postea a Patribus aliis; propterea quod Marcellus editis deinceps scriptis aliis, dogmata olim sub dubitatione proposita jam assereret, et sic vel mutatam mentem, vel fraudem antea factam declararet; quorum posterius ad damnationem, prius ob fundatam fraudis suspicionem ad infamiam libri omnino jus tribuebat.

Ad 2. *R.* Zozimus nec solemni nec privato judicio *professionis Celestii* dogmata probavit, sed fidem personalem, quam ille mendaci suorum dubiorum subjectione ad Ecclesiæ judicium præ se tulerat, laudavit : cognita vero postmodum contumaci errorum assertione, quam Celestius Africana disputatione, et declinato per fugam judicio Romano, prodiderat, Pontifex damnata jam prius dogmata et ipse damnavit, et errorem facti mere personalis condemnatione personæ correxit.

Ad 3. *R.* Falsum esse, quod Conc. Chalcedonense *tria capitula* (quo nomine scripta et personalis fides Theodori Mopsuesteni, Theodoreti Cyrensis et Ibæ Edesseni Episcoporum veniunt) approbarit. De Theodori enim jam mortui sive scriptis sive persona a Concilii Patribus nulla facta est mentio : de Theodoreti et Ibæ personis actum quidem, et posterioris epistola ad Marin quoque lecta est; sed nullo de ea Concilii judicio lato, post data pœnitentiæ signa et dictum Nestorio anathema, uterque sedi suæ fuit restitutus. Cum vero Conc. Constantinopolitanum II damnarit scripta et personam Theodori, Theodoreti autem et Ibæ scripta quidem, non item personas reprobarit, aperte constat nullam hic intervenisse judicii retractationem, nec Conciliorum contradictionem ullam.

Vigilii variatio has epochas et causas habuit : Primo quidem *Edicto* Justiniani, tria Capitula damnantis, Pontifex subscribere recusavit; tum quod in fidei controversias jus Imperatori nullum tribuere vellet, tum quod Occidentales, inter quos tum Romæ erat, persuasum haberent, hoc edicto, ab Acephalis fabricato, Conc. Chalcedonensis auctoritatem convelli aut tentari.

Deinde cum spes et promissa fierent, Acephalos, damnatis Capitulis, subscripturos Chalcedonensi, Vigilius, jam Constantinopolim profectus, edidit *Judicatum* Edicto conforme, addita hac clausula : *Salva in omnibus auctoritate Concilii Chalcedonensis;* ut scilicet scrupulum Occidentalibus adimeret : quod tamen cum consequi non posset, Occidentaliumque suspicio et indignatio cresceret, jussit suspendi examen omne de Capitulis, donec generale concilium congregaretur, cujus pars altera ex Orientis, altera ex Occidentis

Episcopis foret. Postea, ubi contra datam fidem concilium e solis Orientalibus coactum videret Pontifex, et interesse illi noluit, et *Constitutum* condidit, quo 1° damnantur tum excerptæ, tum forsan excerpendæ doctrinæ hæreticæ ex scriptis trium Episcoporum; ad præcidendam scilicet Acephalis excusationem : 2° negatur damnari posse aut debere personas; quia Theodorus quidem in pace Ecclesiæ obierit, Theodoretus autem et Ibas reconciliati forent : 3° Idem negatur ex eadem ratione de scriptis *sub nomine* Theodoreti aut Ibæ damnandis; utrumque scilicet ad metum Occidentalibus tollendum : 4° Prohibetur fieri ulteriorem questionem et Concilii progressum; ut nempe satisfaceret Occidentalibus præteritis, et a Concilio non exspectatis.

Demum posteaquam, absoluto jam Concilio, Imperator et Orientales damnationi tum scriptorum omnium tum personæ Theodori factæ pertinaciter inhærentes, schisma apertum, ni confirmaretur Concilium, minarentur; Pontifex tandem, priori œconomia usus, postulatum Concilio robur impertivit.

Inst. 3. Unanimis Patrum et Theologorum usque ad natam de sensu Jansenii quæstionem consensus fuit, errare Ecclesiam posse in factis dogmaticis : ergo opposita doctrina tanquam nova est rejicienda. *Ant.* patet ex variis factis :

Nam. 1° Origenem sæpius cum sua doctrina damnatum laudant Greg. Thaumat. et Nazian., Athan. et Basilius; defendunt inter antiquos Didymus Alex., Pamphilus, Euseb., Rufin et Joan. Hierosolymitanus; inter recentiores Picus Mirandulanus, Joan. Merlinus, Sixtus Senens., Genebrardus, Huetius, Stephanus Binetus et Petrus Halloix, ambo Jesuitæ.

2° In causa trium Capitulorum errasse Synodum V aut saltem errare potuisse, crediderunt Ecclesiæ Hispana et Gallica, quin et Pelagius I ac. II et Gregorius Magnus : item Pallavicinus, Baronius, Binius, Sirmondus, Petavius, Petrus de Marca, Godæus et Aguirrius.

3° Idem tuentur in causa Honorii a Synodo VI cum epistolis damnata Turrecremata, Baronius, Anastasius Bibliot., Binius, Bellarminus, Didac. Payva, Gretserus, Sirmondus, Labbæus, Stapletonus, Petavius, Gonetus et alii.

4° Gilbertus Porretanus et Petrus Abailardus, a Conciliis Gallicanis damnati, quotidie per plures ab errore vindicantur.

5° In sensu libri Abbatis Joachimi damnato errasse Conc. Lateranense IV censuit Gregorius. Laudensis, et ejus Apologiam post examen permittens Inquisitio Romana.

6° In sensu Scriptorum Augustini et Thomæ de gratia judicando errare posse Sedem Apostolicam, coram ipso summo Pontifice Paulo V professa est Societas Jesu, ut Hist. Congr. de Auxiliis, l. 4, c. 2 docetur : Ergo.

R. — *N. A.* Cui facta variaque Scriptorum studia tanto minus prosunt, quanto major et factorum numerus pro nobis stat, illaque hic contrarium haud evincunt.

Et quidem *non* 1° quia Patrum laus vel spectabat ingenium et eruditionem, non dogma et fidem ORIGENIS; vel ferebatur ante latam Ecclesiæ sententiam et declaratos errores. Defensio Scriptorum vel controvertit aut negat factam ab universa Ecclesia damnationem; qualis est Pici Mirand., Merlini et Halloixii : vel contendit Origenis scripta hæreticorum fraudibus corrupta et insertis erroribus vitiata; qualis est Joannis Hieros. Sixti Senensis, Genebrardi, et aliorum : vel occupatur in singulari capite, fide nimirum Ori-

genis circa SS. Trinitatem; qualis erat Dydimi, Pamphili, Rufini et plurium : vel excusat solam internam mentem auctoris; qualis est Bineti et quorumdam. Horum autem agendi modorum nullus infallibilitati controversæ repugnat.

Non 2° Imprimis enim Ecclesia Hispana (de Gallica si quidem præter quædam obscurius dicta Chrodoberti Ep. Turonensis et S. Columbani in ep. ad Bonifacium IV, nihil habetur) *Concilium V,* quod putabat Chalcedonensi contrarium, recusavit quidem; sed cum hoc ipso in judicio erraverit, et errorem facti mere personalis Ecclesiæ tantum tribuerit; sicut res illa ad tempus prudenter dissimulata est ab Ecclesia, sic nullum sententiæ nostræ præjudicium infert. Pontifices deinde laudati adeo Synodum V errasse non putarunt, ut eamdem singillatim omnes confirmarint. Quod tamen scripserit Pelagius I *licere cuilibet abundare in suo sensu;* Pelagius II acta in Synodo V vocarit *privata negotia, causas speciales et quæstiones superfluas;* Gregorius denique in ep. ad Theodelindam Longobardorum Reginam mentionem de Synodo V deleverit; hoc, inquam, priores scripserunt de damnatione personarum et quidem in pace Ecclesiæ defunctarum, quæ meri facti quæstio est; non autem de damnatione doctrinæ sensusque litteralis et naturalis, quæ est quæstio facti dogmatici : posterior vero id fecit ex prudenti œconomia, illo præsertim tempore, quo necdum constabat inter omnes de certa Synodi auctoritate. Recentiorum denique Auctorum assertio pertinet maxime ad quæstionem illam in Constituto Vigilii, num. 2 et 3 propositam; atque hinc Pallav., t. II, l. 11, c. 18, mentionem facit *hominum, non dogmatum;* Baron. ad an. 553 : *Personarum et facti, non fidei;* Binius in not. ad Conc. V *tantummodo personarum;* Sirmond. in vita Theodoreti et Petav., l. 6 de Incarn., c. 17, *sensus interni et personalis;* tandem Petr. de Marca in Diss. de Vigilio, Godæus in Hist. Eccles. et Aguir. ad Conc. Tolet. XI. *Solius facti* vel *personarum, non* autem *juris divini* vel *dogmatis* meminerunt.

Nec 3° Quia ex universo Auctorum numero soli Anastasius Bibliothecarius et Turrecremata, cum paucis forsan aliis, fatentur errasse Concilium sextum. Eorum tamen prior non agnoscit hoc Concilium œcumenicum ultra confectionem decreti et canonum : posterior damnationem Honorii non habet conciliarem, utpote ex falsa informatione ac rumoribus mendacibus, non autem ex epistolarum examine profectam. Reliqui vel acta Concilii dicunt corrupta, nomenque Honorii fraude Græcorum iisdem intrusum; ut Baron., Binius, Bellarmin., cum multis : vel damnatam quidem Honorii œconomiam, non item doctrinam et fidem; vel si quidem etiam fidem, Honorii certe non ut Pontificis sed ut Doctoris privati juste legitimeque damnatam; ut cæteri, alterutrum existimant.

Nec 4° Tum quia Apologistæ sensum tantum internum et personalem defendendum susceperunt; cujus tamen laboris suscepti Berengarium Pictaviensem et Othonem Frisingensem deinceps pœnituit : tum quia a particularibus tantum Conciliis, non vero ab universa Ecclesia, nec definiente Pontifice, damnationem decretam causabantur.

Nec 5° Quia Gregorii Laudensis defensio versatur in unico puroque facto : cum ab aliena et malevola manu insertam velit *Joachimi* libro propositionem, quam jure damnatam ipse ostendit.

Non denique 6° quia ex tribus erroribus aut mendaciis id conflatum Theodor. Eleutherius, l. 6, c. 1, Hist. de Aux. ostendit : inter quæ illud huc

pertinet, quod ea propositio, non ex supplici Libello Societatis, sed alio ex scripto anonymo ignoti auctoris sit excerpta.

118. *Observa.* An definitiones Ecclesiæ de factis dogmaticis pertineant *ad fidem* ita, ut fide divina credi debeant; an vero eatenus duntaxat, ut necessarius sit et certus mentis assensus? ad controversiam pluribus difficultatibus innodandam quæri ab Adversariis et urgeri solet. Affirmant alii *primum,* eo quod de fide sit omnem textum, ab Ecclesia damnatum, esse vere damnabilem : sub qua enuntiatione universali cum quemlibet librum aut propositionem censuratam contineri facile et certo ostendatur, colligunt hujusmodi particularia, tanquam in illo universali implicite revelata, esse damnabilia etiam credi posse ac debere. Alii acquiescunt *secundo,* fidemque, qua credantur hujusmodi definitiones, non quidem exigunt divinam, nec tamen eam permittunt mere humanam, sed dicunt Ecclesiasticam; eamque certam et firmam exinde statuunt, quod Ecclesiæ infallibilitati a Spiritus sancti assistentia profectæ innitatur.

In hac sententiarum diversitate, ut congrue ad dicta in Tr. pr. loquamur, opus distinctione videtur. Et siquidem quæstio, ut nonnunquam fit, eo redeat : utrum Ecclesia in his definiendis sit infallibilis? affirmari potest; cum ea ex hactenus dictis sufficienter probetur esse revelata, adeoque de fide : si vero in objecto definito sistat, ad formam judicii attendere oportet. Et quidem ubi propositio v. g. damnatur ut hæretica, aut declaratur ut de fide certa, assensus fidei est præstandus : ubi vero damnatur sub mitiore censura, aut asseritur cum prærogativa inferiore, minoris etiam qualitatis assensus locum habet : servata scilicet ubique relativa proportione assensus ad judicium. Aliæ objectiones, quæ ex *Janseniano facto* huc afferri solent, examinandæ sunt in hujus historia, quam in Tr. de Gratia dabimus et vindicabimus.

ARTICULUS V.

QUÆNAM SIT VERA CHRISTI ECCLESIA?

119. *Nota.* Ut designari vera Christi Ecclesia, certoque cœtui possit attribui, videtur necessario instituenda comparatio inter societates Religionis nomine conflatas, quæ reipsa existant ac durent, fidemque et nomen Christi profiteantur; atque ea facta sufficere : quandoquidem ex prioris defectu enuntiatio hic facienda foret de subjecto, ex defectu autem posterioris de prædicato non supponente. Unde non minus ab hac collatione excludimus Hæreticorum sectas, quæ olim exortæ jam interierunt, aut nondum exortæ forsan prævidentur futuræ; quam nuper jam in Capitis præmio Antichristianorum factiones rejecimus. Neque tamen opus apparet, *Romanæ Ecclesiæ,* quam pro vera Ecclesia habemus, opponere sectas omnes etiam hodie vigentes; tum quia unicitate Religionis, fidei, et Ecclesiæ, alibi jam stabilita, si ostendatur cœtum unum legitimum esse ac genuinum, hoc ipso alii discrepantes reprobentur tanquam illegitimi et falsi; tum quia Protestantium Ecclesia repudiata, pleræque sectæ, nostris temporibus et regionibus propius cognitæ, tanquam illius aut sociæ aut proles, eodem judicio abjectæ et spuriæ declaratæ haud obscure intelliguntur.

Est autem duplex *Romanæ Ecclesiæ,* acceptio; una quidem secundum

diœcesin ac sedem; et sub hac intelligitur societas fidelium seu Ecclesia illa particularis, quæ olim fuit ac est Romæ, et in Italia Episcopo Romano ut Ordinario locali subjecta : altera secundum *communionem ac fidem;* quæ est multitudo fidelium seu Ecclesia per totum orbem diffusa, Romano Episcopo tanquam Capiti visibili et supremo Christi in terris Vicario, ac ejus Ecclesiæ particulari tanquam unitatis centro adhærens. Quamvis vero in præsens de Romana Ecclesia, posteriori modo usurpata loquamur; id tamen non impedit, quominus nonnullas enuntiationes, de Romana Ecclesia priori modo accepta dictas, ad illam transferamus; cum universalis hæc Ecclesia istam particularem, velut totum partem præcipuam, complectatur.

120. *Dico I.* **Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia.**

Prob. Cui conveniunt notæ, insunt proprietates, et adjacent prærogativæ veræ Christi Ecclesiæ, est ac recte dicitur vera Christi Ecclesia : sed Romanæ Ecclesiæ conveniunt imprimis illæ notæ, scilicet Unitas, Sanctitas, Catholicitas et Apostolicitas; præterea insunt dictæ proprietates, nimirum Visibilitas, Perpetuitas et Infallibilitas; denique adjacent prærogativæ, quæ sub nomine motivorum credibilitatis veniunt, nempe Dogmatum, Testium ac Sigillorum : ergo. *Prob. min.* secundum omnes partes.

I. *De Notis.* Ecclesia Romana 1° est *Una;* quia Ecclesiæ Romanæ particulari tribuitur a Patribus num. 101 laudatis, et infra addendis, principalitas cathedræ, principium unitatis ac centrum; et ejus Episcopo, ex dicendis cap. 3, convenit ob Petri successionem primatus, ratio capitis et vicaria Christi in terris auctoritas : omnes denique, qui et quamdiu fuerunt aut sunt in Ecclesia Romana universali, uniuntur huic Cathedræ, subjiciuntur huic Capiti, agnoscuntque et illam Cathedram tanquam principium et centrum, et illum Episcopum tanquam primatem et vicarium Christi : quod qui renuunt, Schismatici habentur; et vel ipsi se separant, vel rescinduntur.

2° Est *Sancta;* quia vel nulli post Christum et Apostolos fuerunt sancti; quod Christianæ Religionis honori ac sensui communi repugnat : vel quicumque sanctitate aut manifeste excellenti aut miraculis confirmata celebres fuerunt, membra Ecclesiæ Romanæ erant. Hunc characterem etiamnum vigere ostendunt canonizationes Sanctorum per intervalla celebratæ, quæ ἀκρίβειαν tanta talique judicii rigore aguntur, ut nec evidentia sanctitatis nec miraculorum insolentia qualiscumque sufficiat, sed quantum humanitus haberi potest, probatissima requiratur.

3° Est *Catholica;* quia non tantum hujus nominis cŏmpellatio Ecclesiæ Romanæ, tanquam propria et singularis, aut sponte datur, aut ex conventione dari debet; sed et ipsa res secundum omnes partes congruit. Habet enim illa universalitatem doctrinæ, ut vel ex sola fidei professione secundum Tridentini formulam patet : habet universalitatem loci, successivam quidem; quia Ecclesiæ per Asiam et Africam olim florentes sed nunc extinctæ, per Americam recens exortæ, per Europam usque huc perstantes, cum Romana sede communionem tenuerunt aut tenent; permanentem autem, quia Romanæ communionis Ecclesia etiam in plerisque orbis regionibus vel dominatur, vel toleratur, vel patitur : habet universalitatem temporis; quia a Petro fundata, ad nos usque propagata etiamnum durat, quantumvis coævæ omnes, ætate autem posteriores plures, jam perierint.

4° Est *Apostolica;* quia Apostolum Petrum fuisse Romæ, ibidemque constituisse Ecclesiam, et ad mortem usque rexisse, ostendetur inferius : ab

eo autem usque ad hodiernum diem continua successione eidem Ecclesiæ præsedisse Episcopos, docet catalogus infra texendus : iisdem, tanquam supremis capitibus, reliquos omnes, qui pro Catholicis habebantur, Episcopos semper communione junctos fuisse, contestatur historia universa.

II. *De Proprietatibus.* Ecclesia Romana 1° est *Visibilis;* quia et Romana particularis obvia sensibus est, et adiri potest; Et Ecclesiæ cæteræ cum hac Romana unitæ designari conspicique possunt; adeoque Romana universalis visibilis emicat.

2° Est *Perpetua;* quia a quo tempore fundata est, vel habuit Episcopum certum ac indubium, vel interveniente nonnunquam Antipaparum schismate, sedes tamen Romana in Clero populoque fideli durans et spectabilis, communionem cum reliquis retinuit.

3° Est *Infallibilis;* quia nec dispersa erravit universa unquam in fide; ut patet ex dictis : nec congregata in conciliis, aut per Pontificem ex cathedra loquentem audita, unquam defecit; ut ex sequentibus constabit.

III. *De Prærogativis.* Ecclesia Romana possidet 1° prærogativas *Dogmatum,* quæ sunt veritas, sanctitas et unitas; quia fidei et morum doctrinam Ecclesiæ Romanæ veram esse, ex auctoritate et ratione per universam Theologiam certe ostenditur; nec ullus unquam error eidem vere adscribi potuit : quia omnis illius doctrina tendit ad vitiorum excidium, virtutum exercitium, conciliorum æstimationem et usum, salutem propriam et alienam, cultum Deo dignum divinamque gloriam; ad quam normam qui mores composuerit, veram vitæ sanctimoniam plane consequitur : quia demum nec moderna Ecclesia fide aut doctrina differt ab antiqua; nec ex dogmatibus ullum, post Ecclesiæ damnationem, amplectitur Ecclesia particularis aut qualiscumque fidelis, qui se pro Ecclesiæ Romanæ membro haberi cupiunt.

2° Possidet prærogativas *Testium,* quæ sunt auctoritas, multitudo et integritas; quia inter Apostolos Paulus ad Rom. 1, v. 8; inter Patres Irenæus, Cyprianus, Athanasius, Augustinus laudati alias, aliique laudandi; inter Doctores tum Episcopi Ecclesiarum fundatores magnam partem monachi, tum prædicatores a Romana Ecclesia undique ad fidei promulgationem delegati; inter Martyres tum olim pro fide catholica ubique terrarum, tum recentius pro Romanæ fidei professione in Germania, Gallia, Anglia, Japonia, China et Tunquino, tormenta ac mortem perpessi; inter Confessores tot Religiosi et Seculares, præter mandata Dei, etiam consilia Evangelica professi, et legum Ecclesiasticarum observantes, verbis et factis de eximia Ecclesiæ Romanæ excellentia luculentissime testantur.

3° Possidet prærogativas *Sigillorum,* quæ sunt miracula, conversio gentilium, et constantia fidelium; quia et signa, Marc. 16, promissa, et dona, 1 ad Cor. 12; enumerata, hodiedum perseverant in Romana Ecclesia : quia hæc etiamnum inferenda in gentilitatis tenebras luce Evangelica continuatis operis occupatur : quia eadem contra tyrannorum vim, hæreticorum prælia, Schismaticorum rebellionem et Politicorum artes victrix hactenus stetit, stabitque inconcussa.

121. *Dico II.* **Nulla Protestantium secta est vera Christi Ecclesia.**

Prob. Nec notæ, nec proprietates, nec prærogativæ veræ Christi Ecclesiæ congruunt ulli Protestantium sectæ : ergo nulla horum secta est vera Christi Ecclesia.

Prob. min. per. p. Et quidem 1° *de notis :* constat apud Protestantes non

esse *unitatem* ordinatæ dispositionis sub uno capite, sed cum diversa regione etiam diversos planeque independentes religionis principes haberi : neque adesse principium unitatis aliud; cum judicem vivum controversiarum saltem infallibilem agnoscant nullum, Scripturam autem, ad quam hic confugiunt, sive in se, sive in privato legentium judicio, agnosci aut esse non posse, superius sit demonstratum.

Præterea *Sanctitatem* aut manifeste excellentem aut miraculis confirmatam neque auctores sectarum prodiderunt, ut ex eorum vita apertum est : neque in ullo membrorum repertam fuisse authentice doceri potest. Si quæ tamen in illis honeste vivendi ratio nonnunquam apparuit, ea certe non est tribuenda propriis sectarum principiis, sed aut indolis naturæque bonitati, aut politicis rationibus, aut forsan providentiæ divinæ ad virtutis commendationem ista exempla ordinanti, uti inter medias gentilium tenebras hujusmodi lucis radios aliquando diffusos etiam legimus.

Universalitatem porro neque loci, sive successivam sive permanentem, neque temporis aut doctrinæ, convenire ulli Protestantium sectæ, satis ex eo liquet quod trium seculorum ætatem necdum numerent, certis regionum limitibus circumscribantur, doctrinamque ex damnatis hæresum antiquarum fragmentis consutam profiteantur.

Apostolicitatem denique quod attinet, certum est ex Reformationis historia, sectas omnes carere antiquitate et successione ad illam dotem requisita : deesse autem missionem extraordinariam, omnimodus signorum, queis illam probari oportet, defectus demonstrat.

2° *De proprietatibus* sufficit universim notare, easdem ab ipsis sectariis negari Ecclesiæ, quod desperent illas synagogæ suæ accommodari posse. Contra Jurii Systema, de prioribus saltem proprietatibus servandis solliciti, num. 90 est actum : posteriorem autem si quis vindicare contendat, facile ex dicendis de doctrina refutatur.

3° *De prærogativis* similiter manifestum est, *doctrinæ* deesse tum veritatem, si ad auctoritatis et rationis examen theologicum vocetur ; tum sanctitatem, si singularia de mandatorum Dei impossibilitate, de libertatis amissione, de operum omnium corruptione, de justificationis per solam fidem acquisitione, aliaque dogmata notentur ; tum unitatem, si ad perpetuas sectarum vicissitudines, et controversias sectariorum nullo judicio terminandas, attendatur. Quod *testes* attinet ; cum quælibet Protestantium secta ab ætate Apostolorum et Patrum longissime distet, habere ab illis testimonium non potest, nisi forsan, quod pseudoprophetis prædixerunt. Coæva autem Ecclesia tum in Conciliis plurimis, tum in Pontificis constitutionibus et Judiciis dogmaticis, non aliud nisi anathematis et damnationis tulit. Hæc ipsa autem causa facit, cur Martyres proferri nequeant, aut si qui obstinatius erroribus adhæserunt, eorum testimonium valeat : *sigilla* demum nulla faciunt miracula ; cum etiamnum vigeat illud Erasmi, quod nullus sectariorum extiterit, qui vel equum claudum curaverit : nec gentilium conversio, quam suæ Ecclesiæ nec curam nec opus esse, propria sectariorum confessio et diuturna experentia docet : nec constantia fidelium, cum Princeps, illustrissima aut perillustris familia fere nulla sit, quæ olim Protestantium partibus adhæserit, et jam non tota aut secundum aliquam sui partem ad Romanæ Ecclesiæ gremium redierit.

Conf. Quæcumque in Ecclesia Christi natæ hactenus sunt *hæreses*, in his pleræque conveniunt ; 1° quod, antequam formarentur, secundum primos

suos sodales intra gremium Ecclesiæ Romanæ continerentur; ipsius autem earum formationis initium quoad tempus, locum et causas determinari possit : 2° Quod auctores habeant homines fere moribus improbos, opinandi audacia immoderatos, auctoritate legitima destitutos : 3° Quod doctrinam protulerint a Patribus et Doctoribus Catholicis continuo oppugnatam, a summis Pontificibus aut Conciliis damnatam, ab Ecclesia universa reprobatam : 4° Quod factione comparata, legitimos judices et superiores Ecclesiasticos spreverint; unitatem et communionem sciderint; in singulares cœtus coierint : 5° Quod fidei formulas artificiose et ad fraudes concinnarint; synagogas suas obstinatione, seditione ac armis tuiti sint; utrasque mendaciis, furore ac persecutione sustinuerint, dilatarint. Ergo circumstantiarum istarum complexio non abs re pro nota characteristica hæreseos haberi potest.

Atqui his characteribus omnino insignitas esse Protestantium sectas historia Reformationis sic dictæ manifeste ostendit. Ante earum siquidem ortum Protestantes omnes Ecclesiæ Romanæ suberant; neque extra eam vigebat ulla Ecclesia, professione fidei cum illis eadem aut cognata. Præterea enuntiari annus, designari urbs, et enumerari causæ possunt, quando, ubi, et e quibus prima earum stamina processerint. Ad hæc Lutheri et Calvini mores adnotati sunt pessimi, opinandi licentia impotens et inaudita, auctoritas reformandi nulla, neque ordinaria neque extraordinaria. Deinde dogmata illorum nova non tantum disputationibus habitis, scriptis libris, et latis Catholicorum Doctorum ac Universitatum censuris oppugnata atque erroris convicta, sèd et a Leone X aliisque Pontificibus successoribus non minus quam a variis Conciliis Provincialibus ac Generali Tridentino damnata sunt; ac insuper ab Ecclesia universa constanter reprobantur.

Tandem factionis Protestanticæ genesin legum impatiens libertas cœpit magistratus Ecclesiastici contemptus promovit, apertum et inexcusabile schisma complevit : nomen illi ac titulos seditiosa repugnantia contra Cæsarem ac Reges tribuit; vires, amplitudinem, et durationem, direptionibus Ecclesiarum, opressioni catholicorum, ac diuturnis bellis faventior, successus impertivit.

122. *Observa.* Quæ contra geminam positionem hactenus assertam proferuntur adversariorum argumenta, fere occupantur vel in substituendis aliis Ecclesiæ Notis, vel in infirmanda Proprietatum attributione ad Eccclesiam Romanam facta, vel in objiciendo circulo vitioso probationum nostrarum, vel in avertenda a suis sectis infamia schismatis; sunt tamen hujusmodi omnia, quibus operosius enodandis haud visum est immorari. Quominus enim adferri aliæ Notæ possint, facit Articuli tertii 2ª et 3ª propositio : neque (si quidem substitutio permittatur) notas proferri solitas congruere Protestantium sectis patitur confirmatio, priori numero exposita. Dein vero quod ad eripiendas Romanæ Ecclesiæ proprietates genuinas valere potest, tum tertio tum quarto articulo, ut objectum, ita dissolutum fuit. Præterea circuli vitiosi exprobratio tanto minus huc pertinet, quanto liberalius ipsi adversarii Scripturæ existentiam supponunt, quantoque studiosius inter probationes adduximus sigilla seu motiva credibilitatis, quæ sine regressu ad Scripturam vim suam exerunt.

Denique cum a SS. Cypriano Optato Milev. et Augustino pluribus ostendatur, nec ob morum corruptelam, nec ob fidei difficultatem ipsamque idololatriam, schisma faciendum; ipsi etiam *Lutherani* et *Calvinistæ*, quan-

tumvis dogmate discrepantes, mutuo passim communicent; in purganda schismatis macula Protestantium sectas præ Donatistis haud feliciores esse posse, aperto exemplo et proprio judicio demonstratur.

QUÆRES : *Quænam Ecclesiæ cum Romana olim fuerint, aut nunc sint unitæ?*

123. *Nota.* Sicut Ecclesiæ per Episcopos proprie constituuntur, sic et per diversos Episcoporum gradus distinguuntur. Deducitur autem gradualis Episcoporum differentia ex imperio quo illi gaudent. Si enim Episcopos competit imperium in universa Ecclesia, audit *Episcopus Œcumenicus,* seu *summus Pontifex* aut *Papa :* Si in parte Ecclesiæ, ita tamen ut plurium regnorum Episcopos sibi habeat subjectos *Patriarcha :* si totius regni Episcopos, *Primus* seu *Exarchus;* Si Episcopos in parte regni, *Archiepiscopus* seu *Metropolita :* si nullum Episcopum sibi habeat subordinatum, nec tamen sit Archiepiscopo subjectus, *Exemptus :* si Archiepiscopo pareat, *Episcopus simplex,* item *Suffraganeus* appellatur. Hanc differentiam non minus quam ordinem in referendis Ecclesiarum Præsidibus servabimus; sic tamen ut simplicium Episcoporum sedes (cum immensus sit eorum numerus) nominandas haud suscipiamus : in recensendis autem reliquis non omittamus Ecclesias jam a communione Romana vel schismate, vel hæresi, vel infidelitate abstractas; quandoquidem has ad successivam saltem universalitatem pertinere, ex superioribus constat.

124. *Respondeo I.* Sedes *Patriarchales,* quas prima jam Ecclesia suspexit et a S. Petro fundatas docet Traditio, tres præcipuæ sunt, *Romana* scilicet, *Alexandrina* et *Antiochena.*

His postmodum, et quidem ordine secunda, a Græcis in Concilio generali secundo inserta est *Constantinopolitana :* in Conc. gen. quarto autem postremo addita *Hierosolymitana. Majoribus* his ac veri nominis Patriarchis accesserunt deinceps alii *minores,* nec amplitudine imperii pares, vel inveterata consuetudine, aut summi Pontificis indulgentia, hunc titulum adepti, scilicet *Aquileiensis, Gradensis, Venetus, Indicus, Æthiopicus* et *Lusitanicus;* vel ex ruinis Patriarcharum Orientalium exorti; quales sunt *Armenorum, Coptorum, Ruthenorum,* etc., e quibus tamen Aquileiensis, nuper admodum in Archiepiscopatus Goritiensem et Utinensem dissectus, desiit. Porro.

ROMANO Patriarchatui suberant diœceses, antiqui nominis et divisionis, octo; Italiæ scilicet, Illyrici Occidentalis, Africæ, Galliarum, Hispaniarum, Britanniarum, et in Illyrico Orientali Macedoniæ et Daciæ. In *Italia* quidem numerabantur Provinciæ Suburbicariæ, Tuscia et Umbria, Picenum Suburbicarium, Campania, Valeria, Samnium, Apulia et Calabria, Lucania et Brutii, Sicilia, Sardinia, Corsica. Item Provinciæ aliæ, Flaminia, Æmilia, Liguria, Alpes Cottiæ, Venetia et Istria, Rhætia prima et secunda. In *Illyrico Occidentali,* Noricum Ripense et Mediterraneum, Pannonia prima et secunda, Savia et Dalmatia. In *Africa,* Proconsularis seu Africa proprie dicta, Numidia, Mauritania Sitifensis et Cæsareensis, Byzacena et Tripolitana. In *Galliis,* Lugdunensis prima, secunda, tertia et Senonia, Belgica prima et secunda, Germanica prima et secunda, Maxima Sequanorum, Alpes Graiæ et Penninæ, Viennensis, Narbonensis prima et secunda, Alpes maritimæ, Aquitania prima et secunda, Novempopulania. In *Hispaniis,* Tarraconensis, Carthaginensis, Gallæcia, Bætica, Lusitania, Mauritania Tingitana, Baleares

Insulæ. In *Britanniis,* Maxima Cæsareensis, Britannia prima et secunda, Flavia Cæsareensis, Valentia. In *Macedonia,* Achaia, Thessalia, Epirus vetus et nova, Creta insula. In *Daciæ* diœcesi, Dacia Mediterranea et Ripensis, Mœsia prima, Dardania, Prævalitana.

Constantinopolitano Diœceses tres, Thraciæ, Ponti et Asiæ. In diœcesi *Thraciæ* numerabantur Provinciæ, Europa, Rhodope, Thracia, Hæmus mons, Mœsia secunda, Scythia : in diœcesi *Ponti,* Bithynia, Honorias, Paphlagonia, Galatia prima et secunda, Cappadocia prima et secunda, Helenopontus, Pontus Palemoniacus, Armenia prima et secunda; nec non Armenia magna, regio Lazica, Bosphorus, et regio Zecchia : in diœcesi *Asiæ,* Asia, Hellespontus, Insulæ, Lydia, Caria, Phrygia Pacatina et Salutaris, Lycia, Pamphilia, Pisidia, Lycaonia.

Alexandrino subjacebant Provinciæ sex, Ægyptus, Augustamnica, Arcadia, Thebais, Lybia superior seu Pentapolis, et inferior seu Marmarica : Antiocheno novem; Syria prima et secunda, Augusta Euphratesia, Phœnice Maritima et Libani, Cilicia prima et secunda, Isauria, Osrhoena, Mesopotamia, Arabia : Hierosolymitano tres, Palæstina prima, secunda et tertia.

125. *Respondeo II.* Sedes *Primatum* adeo constantes haud enumerari possunt, cum Primatis titulus sæpe variarit, vel pro varia, quam Pontifex subin tribuebat, potestate; vel pro spontanea Præsulum arrogatione ; dum qui primati certo non erant obnoxii Archiepiscopi hunc sibi titulum arripuerunt, aut tribui permiserunt : ut in Germania factum legimus.

E celebrioribus et constantioribus, sedes Primatis in *Ægypto et Lybia* erat Alexandria; in *Africa* Carthago; in *Anglia* Cantuaria; in *Asia* Ephesus; in *Cypro,* Nicosia; in *Galliis* Arelatum, Bituricum, Lugdunum, Rhemi, Vienna; in *Germania* Magdburgum, nunc Salisburgum; in *Hibernia* Armachanum; in *Hispaniis* Hispalis et Toletum; in *Hungaria* Strigonium; in *Illyrico Occidentali* Sirmium et Achrida; in *Orientali* Thessalonica et Corinthus; in *Italia* Roma; in *Lusitania* Bracara; in *Palæstina* Hierosolyma; in *Polonia* Gnesna; in *Ponto* Cæsarea; in *Scotia* Andreæpolis; in *Syria* Antiochia; in *Thracia* Heraclea.

126. *Respondeo III.* Syllabum *Archiepiscoporum* quemdam daturi, selegimus præcipue eos, quorum suffraganei una indicari poterant : ordinem inter eos alphabeticum, tanquam usui commodiorem, statuimus : compellavimus omnes a sedibus, exceptis Afris; quorum, cum antiquior ordinatione Episcopus officium Metropolitæ gerere consuesset, provinciam duntaxat notavimus : addidimus tandem suffraganeorum numerum, cum nominare omnes instituti ratio nec exigat nec ferat.

Acherontanus, in Basilicata, Prov. Reg. Neap. numerat suffraganeos Episcopos 6.
Achridensis, in Macedonia, Epp. 9.
Africæ Proconsularis senior, Epp. 105.
Albiensis, in Gallia, Epp. 3.
Algerinsis, 2.
Amalphitanus, in Principatu Citeriore Reg. Neap. Epp. 5.
Amasianus, in Hellesponto, Epp. 6.

Amidenus, in Mesopotamia, Epp. 5.
Amoriensis, in Phrygia, Epp. 29.
Ancyranus, in Galatia, Epp. 7.
Andreæpolitanus, in Scotia, Epp. 9.
Antibarensis, in Albania, Epp. 13.
Antinoes, in Thebaide, Epp. 9.
Antiochenus, in Pisidia, Epp. 19.
Apamensis, in Syria mediterranea, Epp. 7.
Aphrodisianus, in Caria, Epp. 25.
Aquensis, in Gallia, Epp. 6.
Arborensis, in Sardinia, Epp. 1.
Armachanus, in Hibernia, Epp. 10.
Atheniensis, in Attica, Epp. 8.
Avenionensis, in Gallia, Epp. 4.
Auxitanus, in Vasconia, Epp. 3.
Barensis, in Basilicata, Epp. 10.
Bastiensis, in Corsica, Epp. 2.
Beneventanus, in Principatu ulteriore, Epp. 20.
Berenicenus, in Pentapoli, Epp. 14.
Bituricensis, in Gallia, Epp. 5.
Bononiensis, in ditione Ecclesiæ, Epp. 6.
Bostrensis, in Arabia, Epp. 18.
Bracarensis, in Lusitania, Epp. 4.
Bremensis, in Saxonia inferiore, Epp. 3.
Brundusinus, in Prov. Hydruntina, Regni Neapolit. Epp. 3.
Burdigalensis, in Aquitania, Epp. 6.
Burgensis, in Castella vetere, Epp. 4.
Byzacenæ Prov. Africæ senior, Epp. 128.
Cæsaraugustanus, in Hispania, Epp. 6.
Cæsareensis, in Cappadocia, Epp. 8.
Cæsareensis, in Palestina, Epp. 25.
Calaratinus, in Sardinia, Epp. 2.
Cameracensis, in Gallia, Epp. 1.
Cantuariensis, in Anglia, Epp. 23.
Capuanus, in Regno Neapolitano, Epp. 9.
Cassiliensis, in Momonia Prov. Hiberniæ, Epp. 8.
Charcensis, in America Merid. Epp. 5.
Claudiopolitanus, in Honoriade, Epp. 5.
Colocensis, in Hungaria, Epp. 9.
Coloniensis, in Germania, Epp. 4.
Compostellanus, in Gallæcia, Epp. 12.
Compsanus, in Princ. ulteriore, Epp. 6.
Consentinus, in Calabria citeriore, Epp. 4.
Corcyrensis, in Epiro, Epp. 2.
Corinthius, in Peloponneso, Epp. 26.
Cretensis, in Ins. Candia, Epp. 11.
Cyzicenus, in Hellesponto, Epp. 19.
Damascenus, in Phœnicia, Epp. 13.
Darnidis, in Lybia Cyrenaica, Epp. 7.
S. Dominici in Insula Americæ Borealis, Epp. 3.

Dublinensis, in Hibernia, Epp. 4.
Dyrrachinus, in Albania, Epp. 7.
Eboracensis, in anglia, Epp. 2.
Eborensis, in Lusitania., Epp. 3.
Ebredunensis, in Delphinatu, Epp. 6.
Edessenus, in Osrhoena, Epp. 9.
Ephesinus, in Asia Proconsulari, Epp. 12.
S. Fidei, in America Australi, Epp. 3.
Firminus, in Marchia Anconitana, Epp. 4.
Florentinus, in Hetruria, Epp. 6.
Gangrensis, in Paphlagonia, Epp. 5.
Genuensis, in Liguria, Epp. 6.
Glascoviensis, in Scotia, Epp. 3.
Gnesnensis, in Polonia, Epp. 13.
Gnossius, in Creta, Epp. 11.
Goanus, in India Orientali, Epp. 7.
Goritiensis, in comitatu cognomine, Epp. sub Patriarcha Aquileiensi Austriacos.
Granatensis, in Hispan., Epp. 2.
Guatemalensis in America Septentr., Epp. 3.
Hadrianopolitanus, in Thracia, Epp. 16.
Haffniensis, in Dania, Epp. 7.
Heracleensis, in Thracia, Epp. 4.
Hieropolitanus in Euphratesia, Epp. 13.
Hieropolitanus, in Phrygia salutari, Epp. 16.
Hispalensis, in Bætica, Epp. 4.
Hydruntinus, in Reg. Neapol., Epp. 5.
S. Jacobi, in Chile Amer. Austral., Epp. 2.
Jaderensis, in Dalmatia, Epp. 5.
Iconiensis, in Lycaonia, Epp. 19.
Lancianensis, in Aprutio, Epp. 10.
Laodicenus, in Phrygia, Epp. 4.
Larissenus, in Thessalia, Epp. 8.
Lauriacensis, in Hungaria, Epp. 4.
Leontopolitanus, in Augustamnica, Epp. 1.
Leopolitanus, in Russia rubra, Epp. 4.
Limensis, in Peruvio, Epp. 8.
Lugdunensis, in Gallia, Epp. 5.
Magdeburgensis, in Germania, Epp. 5.
Manilensis, in Insulis Philippinis, Epp. 3.
Marissensis, in Cappadocia, Epp. 5.
Mauritaniæ duplicis senior, in Africa, Epp. 136.
Mechliniensis, in Belgio, Epp. 6.
Mediolanensis, in Ducatu cognomine, Epp. 15.
Melitenus, in Armenia secunda, Epp. 10.
Messanensis, in Sicilia, Epp. 3.
Mexicanus, in America Boreali, Epp. 6.
Moguntinus, in Germania, nunc Epp. 13.
Montis regalis, in Sicilia, Epp. 2.
Myrensis, in Lycia, Epp. 28.

Naupactensis, in Liyadia, Epp. 4.
Naxiensis, in Mari Ægeo, Epp. 6.
Nazarethanus, in Palestina, Epp. 10.
Neapolitanus, in Regno cognomine, Epp. 5.
Neocæsareensis, in Ponto, Epp. 6.
Nicænus, in Bithynia secunda, Epp. 4.
Nicomediensis, in Bithynia prima, Epp. 14.
Nicopolitanus, in Epiro vetere, Epp. 10.
Nicosiensis, in Insula Cypro, Epp. 9.
Nidrosiensis, in Norwegia, Epp. 7.
Nisibenus, in Mesopotamia, Epp. 8.
Numidiæ Senior, in Africa, Epp. 142.
Panormitanus, in Sicilia, Epp. 3.
Parisiensis, in Gallia, Epp. 5.
Patrensis, in Achaia, Epp. 6.
Pelusius, in Augustamnica, Epp. 14.
Pergensis, in Pamphilia secunda, Epp. 26.
Pessinus, in Galatia, Epp. 4.
Petranus, in Palestina tertia, Epp. 6.
Phasidanus, in Lazica, Epp. 5.
Philadelphius, in Lydia, Epp. 8.
Philippensis, in Macedonia, Epp. 4.
Philippopolitanus, in Thracia, Epp. 10.
Pisanus, in Hetruria, Epp. 3.
Pragensis, in Bohemia, Epp. 3.
Ptolemaidis, in Thebaide secunda, Epp. 14.
Ragusinus, in Dalmatia, Epp. 7.
Ravennensis, in Romandiola, Epp. 12.
Rhedonensis, in Gallia, Epp. 3.
Rhegiensis, in Calabria ulter., Epp. 9.
Rhemensis, in Gallia, Epp. 4.
Rhodius, in Insula cognomine, Epp. 12.
Rigensis, in Livonia, Epp. 4.
Romanus, in Italia, Epp. Provinciarum 12.
Rossanensis, in Calabria citeriori, Epp. 1.
Rothomagensis, in Gallia, Epp. 4.
Ridonensit in Gallia, Epp. 3.
Salernitanus, in Princip. citer., Epp. 9.
S. Salvatoris, in Brasilia, Epp. 2.
Salisburgensis, in Germania, Epp. 6.
Sardicensis, in Dacia mediterranea, Epp. 4.
Sardiensis, in Lydia, Epp. 14.
Scupensis, in Bulgaria, Epp. 4.
Scythopolitanus, in Palestina 2ª, Epp. 5.
Sebastenus, in Palestina 1ma, Epp. 3.
Sebastiensis, in Armenia 1ma, Epp. 5.
Seleuciensis, in Syria 1ma, Epp. 23.
Senensis, in Hetruria, Epp. 6.
Senonensis, in Gallia, Epp. 3.
Severiensis, in Calabria ulter., Epp. 5.

Sidensis, in Pamphilia, Epp. 22.
Sipontinus, in Capitanata Regni Neapolitani, Epp. 2.
Smyrnensis, in Asia, Epp. 5.
Spalatensis, in Dalmatia, Epp. 10.
Stobonensis, in Macedonia 2ª, Epp. 7.
Strigoniensis, in Hungaria, Epp. 6.
Surrentinus, in terra Labor. Epp. 3.
Synnadensis, in Phrygia salutari, Epp. 20.
Tarantasiensis, in Sabaudia, Epp. 2.
Tarentinus, in Regno Neapolit., Epp. 3.
Tarraconensis, in Catalonia, Epp. 7.
Tarsensis in Cilicia 1ma, Epp. 7.
Taurinensis, in Pedemontio, Epp. 3.
Theatinus, in Aprutio, Epp. 10.
Thebanus, in Bœotia, Epp. 3.
Thessalonicensis, in Macedonia, Epp. 16.
Toletanus, in Castella nova, Epp. 9.
Tolosanus, in Gallia, Epp. 3.
Tomensis, in Scythia, Epp. 9.
Trajanopolitanus, in Rhodope, Epp. 7.
Trajectensis, in Belgio, Epp. 5.
Tranensis, in Bario Regni Neapol., Epp. 3.
Trapezuntinus, in Ponto Polemoniaco, Epp. 15.
Trevirensis, in Germania, Epp. 3.
Tripolitanæ senior et Regionarius Africæ, Epp. 156.
Tuamensis, in Hibernia, Epp. 4.
Turonensis, in Gallia, Epp. 4.
Turritanus, in Sardinia, Epp. 3.
Tyannensis, in Cappadocia 2ª, Epp. 6.
Tyrius, in Phœnicia maritima, Epp. 14.
Valentinus, in Hispania, Epp. 3.
Vesontinus, in Burgundia, Epp. 6.
Viennensis, in Austria, Epp. 2.
Ulyssiponensis, in Lusitania, Epp. 7.
Upsalensis, in Suecia, Epp. 6.
Urbinas, in Ducatu cognomine, Epp. 6.
Uscopiensis, in Dardania, Epp. 4.
Utinensis, in Foro Julii, Epp. sub Patriarcha Aquileiensi Venetos.

127. *Respondeo IV.* Episcopos *Exemptos,* quos Græci αὐτοκεφάλους dicunt, juxta præcedentem formam adjicimus, omissis plurimis Italiæ Episcopis, qui quamvis immediate subjecti sint summo Pontifici, ab ejus tamen Archiepiscopali potestate haud sunt immunes. Priores vero sunt :
Adriensis, in Aprutio.
Aniciensis, in Velaunis.
Aquilanus, in Regno Neapolitano.
Aquinas, in Terra Laboris.
Bambergensis, in Germania.
Bisignianensis, in Calabria citeriore.
Caminensis, in Pomerania.

Cortonensis, in Hetruria.
Eugubinus, in Ducatu Urbinate.
Fundanus, in Terra Laboris.
Labacensis, in Carniola.
Legionensis, in Hispania.
Lucensis, in Hetruria.
Mantuanus, in Ducatu cognomine.
Mauronius, in Rhodope.
Melphiensis, in Apulia.
Miletius, in Caria.
Militensis, in Calabria.
Misniensis, in Saxonia.
Misthiensis, in Lycaonia.
Monopolitanus, in Bario Regni Neapol.
Montis Politiani, in Hetruria.
Myxæus, in Rhodope.
Odessius, in Mœsia secunda.
Ovietensis, in Hispania.
Passaviensis, in Germania.
Pientinus, in Hetruria.
Pompeiopolitanus, in Paphlagonia.
Rapollanus, in Basilicata Reg. Neap.
Ratisbonensis, in Germania.
Ravallensis, in Principatu citeriore.
Salutianus, in Pedemontio.
Sarzanensis, in Hetruria.
Selganus, in Pamphylia.
Selymbrianus, in Thracia Europæa.
Soranus, in Terra Laboris.
Tempsanus, in Calabria citeriori.
Tergestinus, in Istria.
Ticinensis, in Ducatu Medionalensi.
Tornobius, in Bulgaria.
Tridentinus, in Tyroli.
Triventinus in Principatu ulteriore.
Trojanus, in Capitanata.
Varmiensis, in Prussia Polonica.
Volaterranus, in Hetruria.
Vratislaviensis, in Silesia (1).

Observa. Præter Episcopos pro diversis Episcopatus gradibus imperio actuali in determinatam Ecclesiam fruentes, de quibus hactenus loquebamur, commemorandi veniunt *Titulares*, qui subditos proprios non habent, quamvis nomen ac titulum ab Ecclesia olim florente gerant; unde et Præ-

(1) Hic alias quasdam metropolitanas sedes adjiciemus quas novissimus Pius VII, Gregorius XVI et Pius IX instituerunt, in Oceania Sydneyensem, in Russia Mohiloviensem, in America Baltimorensem, Cincinnatensem, Neo-Aurelianensem, Neo-Eboracensem, Oregoniensem, Sancti-Ludovici, Quebecensem, ac tandem in Anglia Westmonasteriensem.

sules in partibus infidelium audiunt. Sunt autem vel *Regionarii et Apostolici*, qui quaquaversum destinati, ubicumque se occasio præbuerit, exercendo Episcopali munere apud infideles occupantur; vel *Vicarii*, qui certæ fidelium Diœcesi addicti, si quidem præcise vices Episcopi impediti in Pontificalibus gerunt, jam *Suffraganei;* si præterea successores futuri sunt Episcopi viventis, *Coadjutores* appellantur. Quoniam vero vel nullam vel necdum suam Ecclesiam possident, de illis præter hanc notitiam addere alia institutum nostrum haud exigit.

CAPUT II.

DE CONCILIIS ECCLESIASTICIS.

128. Concilium latine, Synodus græce, idem est, ac plurium in unum locum, alicujus rei tractandæ gratia, conventus. A Personis tractantibus æque ac Rebus tractandis, aliud civile est ac politicum, aliud Ecclesiasticum. Posterior species præsentis capitis est argumentum; in quo præmissis, quæ ad Concilia universim spectant, de œcumenici concilii conditionibus agetur, adjecta simul brevi quadam celebratorum Conciliorum notitia.

ARTICULUS I.

QUÆNAM EA SINT, QUÆ AD NOTIONEM CONCILIORUM ECCLESIASTICORUM UNIVERSIM FACIUNT.

Nota. Sicut sub regni aut provinciæ comitiis, non quilibet, sed optimatum, conventus intelliguntur, sic et Conciliorum Ecclesiæ nomine accipi congregationem Prælatorum, jam Conc. Chalcedonense declaravit. Restricti ad hanc acceptionem Concilii quænam sit definitio, quæ divisio, quæ qualitas et alia adjuncta, quæritur in præsens, ut ex datis responsis notio Conciliorum Ecclesiasticorum cognoscatur.

129. *Dico 1.* **Concilium Ecclesiasticum definiri potest legitimus conventus Prælatorum Ecclesiæ, ad ordinandas rationes Ecclesiæ publicas institutus.** Dicitur

I. *Conventus legitimus;* quia illegitimus conciliabulum aut conventiculum appellatur. *Legitimi* autem ratio habetur a debitis conditionibus convocationis, celebrationis et confirmationis.

II. *Prælatorum Ecclesiæ;* quo nomine, si proprietas attendatur, designantur soli Episcopi, utpote qui a Spiritu sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei: si ratio conciliaribus speciebus univoca postuletur, Ecclesiastici Episcopis etiam minores intelliguntur.

III. *Ad rationes Ecclesiæ publicas;* quæ scilicet pertinent ad fidem, vel

ritus ac cæremonias Sacrorum, ad pacem et disciplinam Ecclesiæ, ad mores usumque fidelium.

IV. *Ad ordinandas, etc., institutus;* quibus verbis agendi ratio exprimitur. Constat autem illa imprimis Concilii ipsus constitutione; dein materiæ ordinandæ selectu et propositione; tum momentorum ponderatione ac deliberatione; demum ipsa ordinatione, quæ si dogmatica est, nomine *symboli, decreti, definitionis, sententiæ* expressa legitur; si moralis, communiter *canon* appellatur. Tridentinum tamen, nec sine exemplo, res fidei *canonibus,* res disciplinæ *decretis,* utramque doctrinam *capitibus* ordinavit.

130. *Dico II.* **Concilium Ecclesiasticum dividitur universim in generale et particulare.**

Generale repræsentat universam Ecclesiam; atque hinc ex etymo nominis dicitur etiam *plenarium et universale* absolute, item *œcumenicum* : quæ tamen postrema appellatio, in sensu Canonum, insuper legitimum, approbatum et receptum exprimit. *Particulare* partem duntaxat Ecclesiæ universalis repræsentat. Utrumque subdivitur; et quidem

I. *Generale* aliud est generale actione, aliud generale acceptatione. *Generale actione* pollere debet conditionibus tum conventui legitimo communibus, tum generali propriis. Hujusmodi sunt ex parte *convocationis,* ut illa sit facta a summo Pontifice, vel saltem ejusdem auctoritate aut consensu aut ratihabitione; ut directa sit ad omnes totius orbis Episcopos, qui in unione sunt cum Ecclesia; ut adepta sit effectum, et Episcopi vel per se vel per procuratores convenerint numero notabili nationum et provinciarum potius, quam personarum : ex parte *celebrationis,* ut congregatio non sit acephala, sed unita capiti suo summo Pontifici, saltem per legatos præsidenti; ut deliberatio sit libera ac sine vi metuve, prudens item ac sine levitate aut tumultu; ut decisio sit conciliaris, et communi eorum, qui jus definiendi habent, suffragio : ex parte *confirmationis,* ut subscribant congregati, Episcopi quidem definientes, Theologi autem, Jurisconsulti ac Principes consentientes; ut summus Pontifex acta Concilii rata habeat, vel accedendo, vel sententiam ferendo; ut idem Concilii constitutiones tenendas observandas promulget.

Generale acceptatione est, quod defectu quidem legitimæ convocationis, aut celebrationis, aut confirmationis, aliquo laborat, sed communi Ecclesiæ universalis consensu tanquam generale ac legitimum recipitur; sive demum consensus iste sit *expressus,* seu verbis disertis declaratus, sive *interpretativus,* seu facto aliquo aut indicio proditus : modo utrinque verus ac certus reipsa existat.

II. *Particulare* pro ratione partis Ecclesiæ repræsentatæ aliud est rationale, aliud provinciale, aliud diœcesanum. *Nationale* aut *Primatiale* a præsidibus nempe vel Patriarcha vel Primate : qualia sunt Africana, Hispanica, Gallicana, etc. *Provinciale,* quod conflant plures Episcopi unius provinciæ, complectentis diœceses plures; vocaturque nonnunquam *metropoliticum* vel *Archiepiscopale,* rursus a suo præside; qualia sunt Moguntina, Coloniensia, etc.

Diœcesanum, quod unius tantum diœcesis Episcopus cum suo Clero celebrat; dicitur inde *Episcopale,* et a Canonibus specialim, aut simpliciter *Synodus.* Sicut priora duo subinde plenarium et universale vocantur, sed respective tantum et determinatam nationem vel provinciam accipiendo : sic et posterius Concilii nomen retinet, sed ex dictis improprie; cum, dempto

Præside, ordinarie nullus in eo polleat jure dicendi sententiam. Occurrunt tamen tum Diœcesana, tum Provincialia Concilia, quæ Episcopos plures aut ex aliena provincia adlectos numerabant; qualia a Benedicto XIV, l. 1, c. 1, de Syn. Diœcesana proferuntur, et hinc *mixta* compellantur.

131. *Dico III.* **Qualitas Concilii Ecclesiastici auctoritatem, utilitatem et necessitatem complectitur.** Ex his

I. *Auctoritas* Concilii *substantialis* tanta est, quanta est Ecclesiæ, quam Concilium repræsentat; ideoque generalis, sive ex actione sive ex acceptatione talis Concilii auctoritas maxima est et irrefragabilis, ut infra pluribus ostendetur : *accidentalis* mensuratur a sanctitate et doctrina Patrum, prudentiaque et reliquis dotibus actionis; his vero paribus, a numero et dignitate Ecclesiarum crescit : unde Nationale præfertur Provinciali et hoc Diœcesano.

II. *Utilitas* ex usu dignoscitur : cum Concilia pleraque vel ad hæreses extirpandas, vel ad schismata tollenda, vel ad abusus eliminandos, vel ad disciplinam restituendam, vel ad ritus et cæremonias ordinandas sint adhibita; atque hos sæpius fines promptius, suavius et efficacius obtinuerint.

III. *Necessitas* Conciliorum, præsertim generalium, *absoluta* nulla est : cum Ecclesia etiam dispersa aut per summum Pontificem loquens sit infallibilis; præterea sine illis per tria priora secula rite gubernata fuerit, licet multæ hæreses, schismata, vitia et abusus contra eam insurgerent. Est tamen aliquorum et *secundum quid;* tum quia conciliaris actio videtur medium ordinarium pro finiendis causis majoribus constitutum, nec sine illa Summus Pontifex de his sententiam ferre; cum Romanæ Cardinalium et Episcoporum congregationes quamdam Conciliorum speciem referant : tum quia necessitatem aliquam ac moralem et utilitas memorata, et Apostolorum, quantumvis Deo plenorum, exemplum satis declarat.

132. *Dico IV.* **Inter adjuncta Concilii Ecclesiastici adnotari merentur institutio, usus, acta, locus, tempus.**

Et quidem

I. *Institutionem* humana majorem probat tum Apostolorum factum, quo plura Hierosolymæ alibique Concilia celebrarunt, et in illius Act. 15 coacti definitione edixerunt : « Visum est Spiritui sancto et nobis » : tum argumentum a minori ad majus ex verbis Christi, Matth. 18, v. 20, deductum a Cœlestino I, in ep., ad Synod. Ephesinam, et a Conc. Chalcedonensi Act. 10, in relat. ad Leonem : tum Ecclesiæ Christi paritas cum Synagoga, in qua ex Num. 11, v. 16 et Deuter. 17, v. 8, ordinatione divina institutum Synedrion novimus.

II. *Usus* Conciliorum non tantum plurimis præceptis, Dist. 18 in Dec. Gratiani relatis, et in Trid. Sess. 24, c. 2, renovatis, est imperatus, sed per secula omnia celebratione sive generalium sive particularium observatus; olim quidem frequentior, nunc autem ob impedimenta varia rarior.

III. *Acta* Conciliorum, si stricte sumantur et ipsius congregationis gesta respiciant, legimus divisa subinde in *actiones*, aliquando in *collationes*, frequentius in *sessiones :* si latius usurpentur, etiam instrumenta varii generis, ante vel post Concilii celebrationem facta, comprehendunt.

IV. *Locus* Conciliorum *mediatus*, a quo et compellationem pleraque nacta sunt, urbs plerumque fuerat Episcopalis : *immediatus* autem vel Ecclesia,

vel palatium, sive Episcopale sive Principale, aut adhærens alterutri porticus; quarum aliæ a destinatione negotii *secretarium*, aliæ a lacunaris concameratione *Trullus* compellatæ notantur.

V. *Tempus* aliud erat *fixum* et definitum; pro Diœcesanis et Provincialibus olim quidem semestre, vel mense Martio et Octobri, vel æstivo et hiemali tempore; postmodum pro primis annuum, pro secundis triennale; pro generali etiam quinquennale a Constantiensi determinatum : aliud ex *data occasione* captum, generalia omnia, ac bene multa provincialia Concilia protulit.

133. *Observa.* Resta Conciliorum divisio gemina; altera quæ sumitur ab auctoribus, unde alia Apostolorum, alia Patrum numerantur : altera a confirmatoribus, unde alia approbata et recepta, alia reprobata, alia partim approbata partim reprobata, alia neque approbata neque reprobata. Quoniam vero Apostolica recensentur nonnisi quinque, scilicet 1um pro electione Mathiæ, 2um pro electione Diaconorum, 3um pro missione Petri et Joannis Samariam, 4um pro editione Symboli, 5um pro determinanda cessatione legalium, reliqua autem omnia sunt Patrum, hæc adnotasse sufficiet : divisionis alterius, ubi necesse fuerit, rationem habebimus, præsertim in enarratione Conciliorum generalium et recensione canonum.

QUÆRES I. *Quot et quænam Concilia Ecclesiastica fuerint celebrata.*

134. *Nota.* Præter summarias Conciliorum omnium collectiones Bartholomæi Carranzæ, Gasparis Contarini Card. Sagittarii, Francisci Longi a Coriolano, Ludovici Bail et Synopsin Philippi Labbæi ac tabulas Ludovici du Pin, ampliores adornarunt Jacobus Merlinus, Petrus Grabbe, Franciscus Joverius, Laurentius Surius, Dominicus Nicolin, Severinus Binius, Anonymus tum Romanæ tum Luparensis editionis auctor, Philippus Labbæus et Petrus Cossartius; quorum postremam amplissimam locupletavit primum Joannes Harduinus, auxit dein Nicolaus Colletus, demum Joannes Dominicus Mansi sex tomis adjectis cumulavit, nunc vero in ordinanda collectione maxima prælo jam Florentiæ laborante occupatur. Ex his non quidem omnia, sed præcipua Concilia enumeraturi imprimis Chronologicum ordinem secundum HARDUINI tabulas in plerisque servabimus, causam indicabimus, decreta vel canones numerabimus, si reprobatum fuerit, distincto charactere notabimus; annum denique addemus, pro aliqua scilicet notitia Conciliorum particularium; cum de generalibus quæstione sequente argumenta etiam actorum breviter enarrare mentis simus.

135. *Respondeo.* Concilia, quæ decreta vel canones ediderunt, celebrata fuerunt :

SECULO I.

Apostolicum de edendo symbolo; *Loco et anno incerto.*
Hierosolymitanum decernit cessationem legalium, edit Canones de sanguine, suffocato, et fornicatione; *anno incerto.*

SECULO II.

Hierapolitanum damnat Montanum.	An. 170
Romanum de celebrando Paschate.	196

Ephesinum de eodem. An. 496
Palestinum, consentiens Romano. 496
Romanum, contra Quartodecimanos. 497
Cæsareense in Palestina, contra eosdem. 497
Lugdunense, pro pace retinenda. 497

Seculo III.

Carthaginense I, sub Agrippino pro hæreticis rebaptizandis. 215
Carthaginense II, sub Agrippino, Can. ne Clericus sit tutor. 217
Alexandrinum ob Origenis mutilationem. 231
Iconiense et Synnadense pro rebaptizandis hæreticis. 235
Romanum, in causa Origenis. 237
Lambesitanum damnat Privatum hæreticum. 240
Bostrenum contra Berylli errores. 243
Romanum ejicit Novatianum. 251
Carthaginense I. sub Cypriano contra Felicissimum Schismaticum. 251
Antiochenum contra Novatianum. 252
Carthagin. II, sub Cypriano contra Privatum, Novatianum, Felicissimum. 252
Carthag. III, sub Cypriano de lapsis et baptismo infantum. 253
Carthag. IV, sub Cypriano contra Episcopos Libellaticos. 254
Carthag. V, VI, VII, sub Cypriano pro rebaptismo. 254, 255
Romanum contra rebaptismum. 256
Antiochenum I, II, III, contra Paulum Samosatenum. 265, 268, 269

Seculo IV.

Sinuessanum de lapsu Marcellini *fictum.* 303
Cirtense recipit Traditores. 305
Alexandrinum deponit Meletium. 306
Carthaginense deponit Cæcilianum, dat initium Schismati Donatistarum. 311
Carthaginense decernit oppositum priori. 312
Romanum confirmat posterius. 313
Eliberitanum, Can. 81, pœnitentiales. 313
Arelatense judicat causam Cæcilliani; Can. 22, edit. 314
Ancyranum, Can. 24, partim pœnitentiales. 315
Neocæsareense, Can. 14. 315
Alexandrinum sub Alexandro damnat Arium. 321
Bithyniæ pro Ario. 323
Alexandrinum sub Alexandro damnat Arium. 324
Nicænum I, in Bithynia, Œcumenicum I. 325
Antiochenum Arianorum. 329
Gangrense, Can. 20, partim dogmaticos contra Eustathium, inter an. 325 et 341
Alexandrinum damnat Ischyram. 330
Carthaginense Donatistarum pro Traditoribus. 333
Cæsareense contra Athanasium. 334
Tyrium deponit Athanasium. 335
Constantinopolitanum Arianor. contra Marcellum Ancyr. 336
Alexandrinum pro Athanasio. 340
Antiochenum Symbola 3, Can. 25. 341
Romanum recipit Athanasium et Marcellum Ancyr. 342

Orientale Arianorum, Symbol. prolixius. An. 344
Coloniense damnat Euphratam hær. *dubium.* 346
Sardicense GENERALE. 347
Philippopolitanum Arian. e Sardicensi profugorum. *eod.*
Mediolanense, deponit Photinum. *eod.*
Carthaginense reconciliat Donatistas, Can. 14. 348
Hierosolymitanum restituit Athanasium. *eod.*
Sirmiense, Occidentalium damnat Photinum. 349
Alexandrina Athanasii restituti. 350
Sirmiense Orientalium contra Photinum. 351
Arelatense contra defensores Athanasii. 353
Mediolanense, causa exilii Liberii. 355
Biterrense pellit S. Hilarium. 356
Sirmiense Occidentalium Anomœorum edit formulam. 357
Ancyranum Semiarian. illam damnat Anathem. 12. 358
Sirmiense adoptat formulam Marci Arethusii. 359
Ariminense vi et fraude desinit in conciliabulum. 359
Nicænum in Thracia rescindit bene gesta Arimini. 359
Seleuciense Semiariam. damnat Acacianos. 359
Constantinopolitanum Acacian. vices reddit Semiarianis. *eod.*
Parisiense damnat formulam Ariminensis. 360
Alexandrinum contra Pneumatomachos, Appollinaristas, et Meletianos. 362
Alexandrinum offert Joviniano Symbol. Nicænum. 363
Antiochenum idem præstat. *eod.*
Romanum recipit resipiscentes. 366
Siculum et Tyanense pro formula Nicæna. 367
Romanum excommunicat Valentem et Ursacium. 369
Alexandrinum probat factum. 370
Laodicenum, Can. 60. *eod.*
Romanum excommunicat Auxentium. 372
Illyricianum profitetur Trinitatem consubstantialem. 374
Antiochenum concinit præcedenti. *eod.*
Valentinum, in Delphinatu, Can. 4. *eod.*
Iconiense tuetur divinitatem Spiritus S. 377
Romanum de Ursicino Antipapa. 378
Romanum damnat hæreses diversas. 379
Cæsaraugustanum, damnat Priscillianistas, Can. 8. 380
Constantinopolitanum I. ŒCUMENICUM II. 381
Aquileiense contra Palladium et Secundianum hær. *eod.*
Sidense damnat Messalianos. 384
Burdigalense, contra Priscillianistas. 385
Romanum damnat Jovinianum. 390
Carthaginense, Can. 13. *eod.*
Mediolanense contra Jovinian. *eod.*
Hipponense sub Aurelio I, Can. 41. 393
Taurinense, Can. 8. 395
Carthaginense sub Aurelio III, Can. 50. 397
Carthaginense sub Aurelio IV, Can. 104. 398
Alexandrinum et Cyprium contra Origenem. 399
Toletanum, decr. 18 contra Priscillianist., Can. 20. 400

Seculo V.

Carthaginense sub Aurelio VI, Can. 15.	An. 401
Milevitanum sub Aurelio VII, Can. 5.	402
Ad Quercum in causa S. Chrysostomi.	403
Carthaginensia sub Aurelio VIII, usque XIV, Can. plures.	403, 410
Carthaginensis collatio inter Catholicos et Donatistas.	411
Bracarense, professionem fidei.	411
Carthaginense contra Celestium.	412
Zertense contra calumnias Donatistarum.	*eod.*
Hierosolymitanum in causa Pelagii.	415
Diospolitanum in eadem causa.	*eod.*
Hierosolymitanum expellit Pelagium.	416
Carthaginense contra Pelagianos.	416
Milevitanum contra eosdem.	*eod.*
Carthaginense de Celestio respondet Zosimo.	417
Carthaginense, Decr. 9 contra Pelagian., 10, contra Donatistas.	418
Carthaginense in causa Appiarii.	419
Ciliciense damnat Julianum Pelagianum.	423
Carthaginense circa Appellationes transmarinas.	425
Constantinopolitanum damnat Messalianos, de ordin. Sisianii.	426
Alexandrinum in causa S. Cyrilli et Nestorii.	430
Romanum in causa eadem.	*eod.*
Ephesinum Œcumenicum III.	431
Antiochenum pro pace inter Cyrillum et Joan. Antiochen.	432
Arausicanum, Can. 30.	441
Vasense, Can. 10.	442
Arelatense, Can. 7.	*eod.*
Romanum in causa Chelidonii et contra Manichæos.	444
Hispanum, anathem. 18 contra Priscil., decidit *Filioque*, Can. 20.	447
Constantinopolitanum damnat et deponit Eutychem.	448
Antiochenum, Tyrium, Berytense, in causa Ibæ.	*eod.*
Ephesinum Latrocinium.	449
Romanum rescindit acta Ephesini.	*eod.*
Constantinopolitanum damnat eadem, profitetur fidem.	450
Hiberna 2, sub S. Patricio, Can. 65.	*eod.*
Chalcedonense Œcumenicum IV.	451
Arelatense, Can. 56.	452
Andegavense, Can. 12.	453
Arelatense in causa Fausti Lirinensis.	455
Constantipolitanum contra Simoniacos.	459
Turonense, Can. 13.	461
Veneticum, Can. 16.	465
Romanum, Can. 5.	*eod.*
Antiochenum deponit Petrum Fullonem.	472
Arelatense contra Prædestinatianos.	475
Constantinopolitanum damnat Pet. Fullonem et Acacium.	478
Carthaginense Generale dat Hunerico rationem fidei.	484
Romana contra Fullonem et Acacium.	484, 485
Romanum de lapsis recipiendis.	487

Lugdunense recipit Lucidi retractationem. An. 490
Romanum, decretum Gelasii de libris. 494
Romanum contra ambitum in electione Pontificis. 499
Romanum mitigat Laurentium Antipapam. 500

SECULO VI.

Romanum, *Palmare*, in causa Symmachi. 501
Romanum de rebus Eccclesiæ conservandis. 502
Romanum probat apolog. Symmachi et pr. acta. 503
Romanum contra invarsores rerum Ecclesiæ. 504
Agathense, Can. 71. 506
Aurelianense, Can. 31. 511
Tarraconense, Can. 15. 516
Gerundense, Can. 10. 517
Epaonense, Can. 40. *eod.*
Lugdunense, Can. 6. *eod.*
Constantinopolitanum, Tyr. Hierosol. recipit Chalcedonense. 518
Romanum conciliatur cum Constantinopolitano. *eod.*
Tornacense, contra Hæret. varios. 520
Ilerdense, Can. 16. 524
Valentinum in Hispania, Can. 6. *eod.*
Arelatense, Can. 4. *eod.*
Carthaginense renovat plures Canones. 525
Carpentoratense, Can. 2. 527
Arausicanum, Decr. 25 contra Semipelagian. 529
Vasense, Can. 5. *eod.*
Valentinum in Gallia contra Semipelagianos. 530
Romanum de appellatione Illyrici Romam. 531
Toletanum, Can. 5. *eod.*
Constantinopolitanum, collation. Catholicos inter et Severianos. 532
Romanum contra Acœmetas. *eod.*
Aurelianense, Can. 21. 533
Carthaginense, Can. de monasteriis. 534
Claromontanum, Can. 16. 535
Constantinopolitanum damnat Acephalos. 536
Hierosolymitanum, idem. *eod.*
Aurelianense, Can. 38. 538
Barcinonense, Can. 10. 540
Aurelianense, Can. 38. 541
Constantinopolitanum probat edictum Justiniani. 543
Constantinopolitanum rumpitur per damnationem 3 Capitulorum. 546
Constantinopolitanum, Vigilii Judicatum. 548
Aurelianense, Can. 24. 549
Arvernense, Can. 16. *eod.*
Tullense, pro Nicetio Trevirensi. 550
Mopsuestenum circa tria Capitula. *eod.*
Constantinopolitanum II. ŒCUMENICUM V. 553
Hierosolymitanum et Aquileiense recipit præcedens. *eod.*
Arelatense, Can. 7. 554
Parisiense, Can. 10. 557

Landavensia 3, excommunicant illustres homicidas. An. 560
Bracarense, Decr. 17, Can. 22. 564
Lugdunense, Can. 6. 567
Turonense, Can. 27. *eod.*
Lucense in Hispania dividit diœceses. 569
Bracarense, Can. 10. 572
Antisiodorense, diœcesanum, Can. 45. 578
Matisconense, Can. 19. 581
Lugdunense, Can. 6. 583
Matisconense, Can. 20. 583
Toletanum, Decr. 23 contra Arianos, Can. 23. 589
Narbonense, Can. 15. *eod.*
Hispanum de receptione Generalis V. 590
Hispalense, Can. 3. 590
Cœsaraugustanum, Can. 3. 592
Romanum, Can. 6. 595
Toletanum, Can. 2. 597
Barcinonense, Can. 6. 599

SECULO VII.

Wigorniense de Paschate, Baptismo et Prædicatione. 601
Romanum pro Monachorum Sacerdotio. 610
Egarense confirmat, Can. 2. Toletani. 614
Parisiense Gener., Can. 15. 615
Hispalense, Can. 19. 619
Matisconense probat regulam S. Columbani. 627
Toletanum IV, Can. 75, in 1. c. *Filioque.* 633
Hierosolymitanum, epist. Sophronii de 2 voluntatibus. 634
Toletanum IX, pro auctoritate Regia. 636
Toletanum, Can. 19, 638
Constantinopolitanum confirmat Ecthesin Heraclii. 639
Romanum dumnat eamdem. 640
Cabillonense, Can. 20, cum profess. fidei. 644
Africana aliquot contra Monothelitas. 646
Toletanum, Can. 6. *eod.*
Romanum damnat Paulum et Pyrrhum. 648
Lateranense sub Martino damnat Monothelitas. 649
Toletanum, Can. 12. 653
Toletanum, Can. 17. 655
Toletanum, Can. 7. 656
Augustodunense, Can. 15. 663
Pharensis collatio de Paschate et rebus Eccles. 664
Emeritense, Can. 23. 666
Herfordiense, Can. 10. 673
Toletanum, Can. 16. 675
Bracarense, Can. 2. *eod.*
Hudfeldicum recipit 5 Concilia generalia. 679
Romanum de rebus Ecclesiæ Britanniæ. *eod.*
Mediolanense et Romanum contra Monothelitas. 680
Constantinopolitanum III. ŒCUMENICUM VI. 680

Toletanum, Can. 13. An. 681
Toletanum, Can. totidem. 683
Toletanum recipit Gener. VI, et Can. 12. 684
Toletanum XV, explicat 3 substantias in Christo. 688
Cæsaraugustanum, Can. 5. 691
Trullanum seu Quinisextum, Can. 102. 692
Toletanum, Can. 10. 693
Becanceldense de immunitate Ecclesiæ. 694
Toletanum, Can. 8. 694
Bergamstedense, Can. 28. 697
Aquileiense contra damnationem 3. *Capitul.* 698

Seculo VIII.

Romanum absolvit Wilfridum, non confirm. Can. Trullanos. 709
Leodiense, Can. 10. 710
Constantinopolitana pro et *contra* Generale VI. 712
Romanum, Can. 17. 721
Romana 3 in causa Imaginum. 726-730-731
Germanicum, Can. 7. 742
Liptinense, Can. 4, cum Indic. superstitionum. 743
Romanum, Can. 15. *eod.*
Suessionense, Can. 10. 744
Germanicum damnat Aldebertum et Clementem, 745
Romanum damnat eosdem et prioris scripta. 745
Germanicum, statuta 35. S. Bonifacii. 747
Cloveshoviense, Can. 30. *eod.*
Vermeriense, Can. 21. 752
Metense, Can. 8. 753
Constantinopolitanum contra cultum Imaginum. 754
Verniense, Can. 25. 755
Compendiense, Can. 17. 756
Attiniacense, pactum precum pro defunctis. 765
Gentiliacense de Processione Spir. S. et cultu Imag. 767
Romanum contra Iconomachos et violatores Sedis Rom. 769
Dingelfingense, Can. 17. 772
Antiochenum pro cultu Imaginum. 781
Calchutense, Can. 20. 787
Nicænum II. Œcumenicum VII. 787
Constantinopolitanum ab Iconoclastis disruptum. 789
Forojuliense, Symbolum, Can. 14. 791
Narbonense pro filiatione Dei naturali. *eod.*
Ratisbonense, pro eadem. 792
Francofordiense pro eadem contra Felicem. 794
Finchallense recipit CC. gen. 5, decr. de Paschate. 798
Becanceldense, Can. de Ecclesiast. immunitate. *eod.*
Romanum damnat Felicis hæresin et epistolas. 799
Aquisgranense, Felicem resipiscentem recipit. *eod.*
Cloveshoviense Profess. fidei, contra usurpatores. 800
Plura pro capitularibus Franc. hoc et seq. seculo.

Seculo IX.

Ratisbonense de Chorepiscopis.	An. 803
Cloveshoviense renovat anath. cont. usurpatores.	*eod.*
Salisburgense de decimis.	807
Aquisgranense de Processione Spiritus S.	809
Romanum de additione Symboli *Filioque*.	809
Arelatense, Can. 24.	813
Remense, Can. 44.	*eod.*
Moguntinum, Can. 55.	*eod.*
Turonense, Can. 51.	*eod.*
Cabillonense, Can. 66.	*eod.*
Constantinopolitanum contra Antonium Iconomachum, Can. 17.	814
Constantinopolitanum Iconoclastarum.	815
Aquisgranense, Institut. Canonic. et Monialium.	816
Celichytense, Can. 11.	*eod.*
Aquisgranense, Institut. Regularium.	817
Theonisvillanum, Can. 4.	821
Cloveshoviense de Eccl. et vita regular.	822
Compendiense contra abusum rerum sacrarum.	823
Parisiense de Imaginibus.	824
Ingelheimense contra raptores.	826
Romanum, Can. 38.	*eod.*
Parisiense, Canonum LL. 3.	829
Compendiense exauctorat Ludovicum Pium.	833
S. Dionysianum restituit eumdem.	834
Aquisgranense, Canon., cap. 3.	836
Constantinopolitanum contra Nicolaum Pontificem.	842
Lauriacense, Can. 4.	843
Theonisvillanum, Can. 6.	844
Vernense, Can. 12.	*eod.*
Bellovacense, Can. 8.	845
Meldense, Can. 80.	*eod.*
Parisiense præcedens complet.	847
Moguntinum, Can. 31.	*eod.*
Britannicum et Romanum de ordin. Simoniaca.	848
Moguntinum damnat Gotteschalcum.	*eod.*
Carisiacum, Decr. 4 damnat eumdem.	849
Ticinense, Can 25.	850
Cordubense prohibet martyrium.	852
Suessionense, Can. 13.	853
Romanum, Can. 42.	*eod.*
Valentinum in Gallia de Prædestinatione, Can. 23.	855
Ticinense, Can. 19.	*eod.*
Carisiacum pro reformandis moribus.	857
Constantinopolitanum ejecto Ignatio inaugurat Photium.	*eod.*
Carisiacum, Can. 15.	858
Lingonense, Can. 16.	859
Tullense apud Saponarias, Can. 13.	*eod.*
Aquisgranense duplex in causa Theutbergæ.	860

Tullense apud Tusiacum, Can. 5. An. *eod.*
Constantinopolitanum confirmat gesta Photii. 861
Romanum, Decr. 2 contra Theopaschitas. 862
Aquisgranense probat conjugium Waldradæ. *eod.*
Sylvanectense, pro Hincmaro contra Rothadum. 863
Metense probat conjugium Waldradæ. *eod.*
Romanum rescindit acta prioris. 863
Romanum rescindit acta Sylvanectensis. 865
Suessionense in causa Ufaldi. 866
Tricassinum, in causa depositionis. 867
Romanum damnat Photium et ejus volumen. 868
Wormatiense, Profess. et Can. 80. *eod.*
Constantinopolitanum IV ŒCUMENICUM VIII. 869
Vermeriense in causa Hincmari Laudunensis. *eod.*
Attiniacense et Duziacense in eadem causa. 870, 871
Coloniense de Beneficiis Ecclesiasticis. 873
Duziacense contra incestuosos et raptores. *eod.*
Ravennense in causa Patriarchæ Aquileiensis. 874
Ticinense, Can. 15. 876
Pontigonense, Can. eosdem et alios. 877
Ravennense, Can. 19. *eod.*
Tricassinum, Can. 7. 878
Rothomagense, Can. 16. *eod.*
Romanum pro restituendo Photio. 879
Constantinopolitanum contra Conc. Œcum. VIII. *eod.*
Coloniense, Can. 6. 887
Moguntinum, Can. 28. 888
Metense, Can. 13. *eod.*
Viennense in Delphinatu, Can. 4. 892
Triburiense, Can. 58. 895
Nannetense, Can. 20. 896
Romanum contra Formosum. 897
Romanum rescindit acta contra Formosum. 898
Ravennense repetit prius et Can. 12. *eod.*

SECULO X.

Trosleianum, Can. 15. 909
Confluentinum, Can. 8. 922
Grateleanum, Can. 9. 928
Erfordiense, Can. 5. 932
Ingelheimense, Can. 7. 948
Augustanum, Can. 11. 952
Romana Antipaparum. 963, 964
Romanum pro Papa. 964
Anglicum promovet Monachatum. 969
Calnense contra Monachos. 978
Romanum contra Simoniacos. 983
Karrofense, Can. 3. 989
Romanum pro Canonizatione S. Udalrici. 993
Pictaviense, Can. 3. 1000

Seculo XI.

Gallicana de Ritibus Eccles.	An. 1002
Francofordiense erigit Episcopat. Bambergens.	1006
Anhamense, Can. 32.	1009
Legionense, Can. 7.	1012
Ticinense, Can. totidem.	*eod.*
Aurelianense damnat Lisoium et Heribertum.	1017
Seligenstadianum, Can. 20.	1022
Atrebatense contra Sacramentarios.	1025
Karrofense contra Manichæorum hæresin.	1028
Bituricense, Can. 25.	1031
Lemovicense, de Apost. S. Martialis et disciplin.	*eod.*
Cæsenatense Diœces. Instit. Clericorum in communi vivent.	1042
Romanum dat Ravennensi secundum locum.	1046
Romanum contra Simoniacos.	1047
Romanum contra eosdem.	1049
Remense, Can. 12.	*eod.*
Moguntinum contra Simoniam et vitia Cleri.	*eod.*
Rothomagense, Can. 19.	1050
Romanum, Brionense, et Parisiense damnant doctr. Berengarii.	*eod.*
Vercellence damnat idem et Joannis Scoti librum.	*eod.*
Coyacense, Can. 13.	*eod.*
Turonense recipit Berengarium resipiscentem.	1055
Tolosanum, Can. 13.	1056
Compostellanum, Can. 4.	*eod.*
Romanum, Can. 13.	1059
Turonense, Can. 10.	1060
Viennense in Delphinatu, Can. 4.	*eod.*
Jaccetanum ritus Gothicos in Romanos mutat.	*eod.*
Osborniense contra Cadolaum Antipapam.	1062
Romanum, Can. 12 contra Simoniacos.	1063
Mantuanum contra Cadolaum.	1064
Romana 2 contra hæresin incestuosorum.	1065
Hispanica plura pro mutatione ritus.	1068
Gerundense, Can. 14.	*eod.*
Moguntinum de divortio Henrici IV.	1069
Rothomagense, Can. 24.	*eod.*
Erfordiense dividit decimationes illicite.	1074
Rothomagense, Can. 22.	*eod.*
Romanum, Can. 24.	1074
Moguntinum contra Concubinarios impeditur.	1075
Londinense Canones plures renovat.	*eod.*
Wormatiense deponere Greg. VII, tentat.	1076
Romanum excom. Imperat. et Episc. Germaniæ.	*eod.*
Ticinense excommunicat Pontificem	*eod.*
Pictaviense, Can. 10.	1078
Romanum, Can. 12 extantes.	*eod.*
Gerundense, Can. 13.	*eod.*
Romanum recipit Berengarium quarto red.	1079

Romanum modificat Investituras. An. 1080
Moguntinum et Brixiense Guibertum Antipapam creant. 1080
Juliobonense, Can. 13. 1080
Burgense confirmat mutationem rituum in Hispania. *eod.*
Romanum excom. Antipapam et Imperatorem. 1084
Quedlinburgense contra Henricianos, et Can. 8. 1085
Trojanum contra matrimonia consanguineorum. 1089
Amalphitanum, Can. 16. *eod.*
Tolosanum contra diversos abusus. 1090
Beneventanum, Can. 4. 1091
Suessionense contra Roscelinum. 1092
Anglicanum jus Primatis et Metropol. dirimit. 1093
Constantiense, pro reform. disciplinæ. 1094
Eduense contra Philippi Regis Franciæ incestum. *eod.*
Placentinum, Can. 15. 1095
Claromontanum, Can. 32. *eod.*
Rothomagense, Can. 6. 1096
Turonense pro Expeditione Hierosolymit. *eod.*
Santonense, jejunium in vigilia Apostol. *eod.*
Nemausense, Can. 16. *eod.*
Barense pro conciliandis Græcis et Latinis. 1097
Romanum, Can. 18. Expedit. Hieros. excom. Schism. 1099
Audomarense, Can. 5. *eod.*
Pictaviense, Can. 16. 1100

Seculo XII.

Lateranense damnat Schisma Henricianum. 1101
Londinense, Can. 29. 1102
Florentinum contra opinionem de Adventu Antichristi. 1105
Northusanum damn. hær., ordinat jejunia. *eod.*
Guastallense conciliat Schism., limitat Investit. 1106
Londinense prohibet Investituras Laicorum. 1107
Trecense contra Simoniam et Investituras. 1107
Londinense, Can. 10. 1108
Beneventanum contra Investituras Laicorum. *eod.*
Lateranense revoc. privil., excom. Henric. V. 1111
Ansanum de fide et investituris. 1112
Bellovacense, Can. varios renovat. 1114
Remense, Suessan. Coloni. Catalaunum excom. Henric. 1115
Lateranense confirmat acta Lateranensis, dat. Indulg. 1116
Tolosanum de Exped. contra Saracen. in Hispan. 1118
Capuanum, Coloniense, Frislariense excom. Henricum. *eod.*
Tolosanum, Can. 10. 1119
Remense, Can. 5. *eod.*
Rothomagense prohibet Clericis consortium fœmin. *eod.*
Beneventanum contra prædones. *eod.*
Samaritanum pro reformatione morum. 1120
Suessionense damnat Petrum Abaylardum. 1121
Wormatiense de concord. Sacerd. et Imperii. 1122
Lateranense I, Œcumenicum IX. 1123

Londinense vel Westmonasteriense, Can. 17.	An. 1125
Nannetense de rebus discipl.	1127
Londinense, Can. 12.	*eod.*
Trecense, Institut. Templariorum.	1128
Londinense prohibet Sacerdotum focarias.	1129
Tolosanum, Can. 17, de inquirendis hæreticis.	*eod.*
Palentinum, Can. 18.	*eod.*
Aniciense, Claromontanum Stampense contra Antip.	1130
Remense contra eumdem et Can. 17.	1131
Placentinum et Pisanum contra eumdem.	1132, 1134
Hierosolymitanum de fide cum Armenis.	1136
Londinense, Can. 17.	1138
Lateranense II. Œcumenicum X.	1139
Wintoniense, pro immunit. Eccles.	*eod.*
Senonense, contra Petrum Abailardum.	1140
Hierosolymitanum contra errores Armenorum.	1143
Vizeliacum pro Expeditione contra Turcas.	1146
Carnotense pro Expedit. Hierosol.	1146
Parisiense contra Gilbertum Porretanum.	1147
Remense, Symbol. contra asserta Gilberti, Can. 18.	1148
Balgentiacense de divortio Ludovici et Eleonoræ.	1151
Augustanum, Can. 11.	1152
Agnaniense excom. Fredericum III.	1160
Ticinense pro victore Antipapa.	*eod.*
Bellovacense et Tolosanum pro Alexand. III, Papa.	1161
Turonense excom. Victorem, Can. 10.	1163
Clarendonense, Can. 16.	1164
Herbipolense pro Paschali Antipapa.	1166
Lateranense excom. et deponit Fridericum.	1168
Parisiense damn. errorem Petri Lombardi.	1170
Cassiliense, Can. 8.	1172
Abrincatense, Can. 13.	1173
Londinense, Can. 19.	1175
Lumbariense contra hæret. boni homines, dictos.	1176
Venetum reconcil. Pap. et Imp., depon. Antip.	1177
Lateranense III. Œcumenicum XI.	1179
Veronense reconc. ordinatos ab Antipapa.	1184
Aquileiense contra incendiarios et sacrilegos.	*eod.*
Parisiense pro Expeditione contra Turcas.	1185
Gisortense signat cruce Reges.	1188
Anglicum pro cruce capienda.	*eod.*
Parisiense et Lanciense, decimas pro Exped. Hierosol.	*eod.*
Eboracense, Can. 12.	1195
Monspeliense contra Albigenses et de disciplina.	*eod.*
Parisiense de divortio Philippi et Ingelburgæ.	1196
Lanciciense de continentia Sacerdotum.	1197
Senonense contra hæresin Populliciana.	1198
Dalmaticum, Can. 12.	1199
Divionense et Viennense contra matrim. Philippi.	1199
Londinense, Can. 14.	1200

Seculo XIII.

Parisiense damnat Evraudum Hæreticum.	An. 1201
Scoticum de observatione Dominicæ.	*eod.*
Lambethense, Can. 3.	1206
Narbonense pro conversione Albigensium.	1208
Avenionense, Can. 21.	1209
Parisiense contra errores Amalrici, et libros varios.	*eod.*
Montispesulanum, Can. 46.	1215
Lateranense IV. Œcumenicum XII.	*eod.*
Melodunense, Can. 7.	1216
Oxoniense, Can. 49	1222
Rothomagense, Can. 19.	1223
Parisiense contra Albigenses.	1223, 1226
Melodunense de jurisdictione Ecclesiastica.	1225
Bituricense negat postulata de præbendis.	*eod.*
Germanicum, Can. 14.	*eod.*
Narbonense, Can. 20.	1227
Romanum excommunicat Fridericum.	1227
Tolosanum, Can. 45.	1229
Tarraconense de divortio Jacobi et Eleonoræ.	*eod.*
Rothomagense, Can. 52.	1231
Apud Castrum Gontherii, Can. 37.	*eod.*
Biterrense, Can. 26.	1233
Nymphæanum de concord. Græcor. et Latinorum.	*eod.*
Arelatense, Can. 24.	1234
Moguntinum absolvit Stadingos Hæreticos.	1235
Narbonense, Can. 29.	*eod.*
Remense et Compendiense pro monendo Rege.	*eod.*
Turonense, Can. 14.	1236
Londinense, Can. 31.	1237
Campinacense, Can. 39.	1238
Turonense, Can. 13.	1239
Wirgorniense, Can. 59.	1240
Apud Vallem Guidonis, Can. 9.	1242
Tarraconense contra Waldenses.	*eod.*
Othoniense contra hostes Eccles. et cæremon.	1245
Lugdunense I. Œcumenicum XIII.	*eod.*
Bitterrense, Can. 46 et cap. 37, de inquirend. hæretic.	1246
Valentinum in Gallia, Can. 23.	1248
Uratislaviense, dat 5am partem redituum.	*eod.*
Insulanum, Can. 13.	1251
Salmuriense, Can. 32.	1253
Albiense, Can. 71.	1254
Burdigalense, Can. 30.	1255
Biterrense de subsidio belli contra hæreticos.	1255
Danicum, Can. 4 pro securitate Episcop.	1257
Roffiacense, Can. 10.	1258
Monspeliense, Can. 8.	*eod.*
Ravennense defend. Religiosos cont. calumnias.	1259

Arelatense, Can. 17.	An. 1260
Coloniense, Can. 14.	*eod.*
Lambethense plura pro disciplina Eccles.	1261
Anglica et Germanica contra incursus Tartaror.	*eod.*
Copriniacense, Can. 7.	1262
Parisiense dat centesimam pro Expedit. Hierosolym.	1263
Nannetense, Can. 9.	1264
Parisiense contra blasphemos.	*eod.*
Coloniense, Can. 45.	1266
Audomarense contra negotiatores Clericos.	1267
Viennense in Austria, Can. 19.	1267
Claromontanum, collection. Canonum.	1268
Londinense, Can. 54.	*eod.*
Apud Castrum Gontherii, Can. 8.	*eod.*
Andegavense, Can. 2.	1269
Senonense, Can. 6.	*eod.*
Compendiense contra usurpatores bonorum Eccl.	1270
Avenionense, Can. 8.	*eod.*
Apud S. Quintinum, Can. 5.	1271
Rhedonense, Can. 7.	1273
Lugdunense II. Œcumenicum XIV.	1274
Salisburgense, Can. 24.	*eod.*
Arelatense, Can. 22.	1275
Dunelmense, Can. 6.	1276
Salmuriense, Can. 14.	*eod.*
Bituricense, Can. 16.	*eod.*
Constantinopolitanum agnoscit Primatum Romani Pont.	1277
Lanciciense, Can. 16.	1278
Auscense et Biterrense pro libertate Eccles.	1279
Audomarense, Can. 24.	*eod.*
Avenionense, Can. 15.	*eod.*
Redingense, Can. 5.	*eod.*
Budense, Can. 69.	*eod.*
Andegavense, Can. 5.	*eod.*
Coloniense, Can. 11.	1280
Constantinopolitanum pro Process. Spiritus S. ex PP.	*eod.*
Santonense, Can. 15.	*eod.*
Pictaviense, Can. 11.	*eod.*
Salisburgense, Can. 18.	1281
Lambethense, Can. 27.	*eod.*
Avenionense, Can. 11	1282
Santonense, Can. 5.	*eod.*
Turonense, Can. 13.	*eod.*
Nemausense, Can. librum.	1284
Pictaviense, Can. 5.	*eod.*
Ravennense, Can. 9.	1286
Bituricense, Can. 35.	*eod.*
Exoniense, Can. 55.	1287
Herbipolense, Can. 42.	*eod.*
Mediolanense, Can. 10.	*eod.*

Insulanum, Can. 18.	An. 1288
Cicestrense, Can. 41.	1289
Nugaroliense, Can. 12.	1290
Salisburgente de conjuctione ordin. Equestr.	1291
Cicestrense, Can. 7.	1292
Salmuriense, Can. 5.	1294
Cantuariense, Can. 47.	1295
Santonense, Can. 7.	1298
Rothomagense, Can. 7.	1299
Melodunense pro discipl. Eccl. reformanda.	1300
Mertonense, Can. 7.	*eod.*
Coloniense, Can. 22.	*eod.*
Baiocense, Can. 113.	*eod.*
Auscitanum, Can. 13.	*eod.*

SECULO XIV.

Compendiense, Can. 7.	1301
Parisiense de lite inter Bonif. VIII, et Philip.	1302
Romanum de eadem.	*eod.*
Apud Pennam fidelem, Can. 15.	*eod.*
Nugaroliense, Can. 19.	1303
Compendiense, Can. 5.	1304
Auscitanum, Can. 6.	1308
Posoniense, Can. 9.	1309
Salisburgense de decimis et Stat. pœnalibus.	1310
Coloniense, Can. 29.	*eod.*
Ravennense in 2, in causa Templariorum.	*eod.*
Salmanticense et Moguntinum in eadem causa.	*eod.*
Ravennense, Can. 32.	1311
Viennense in Delphinatu. ŒCUMENICUM XV.	1311, 1312
Ravennense, Can. 20.	1314
Salmuriense, Can. 4.	1315
Nugaroliense, Can. 5.	*eod.*
Ravennense, Can. 24.	1317
Senonense, Can. 4.	1320
Londinense, Can. 8.	1321
Apud Vallem Oleti, Can. 27.	1322
Coloniense edit statuta an 1266, facta.	*eod.*
Parisiense, Can. 4.	1323
Toletanum, Can. 8.	1324
Avenionense, Can. 59.	1326
Marciacense, Can. 56.	1326
Sylvanectense, Can. 7.	1326
Complutense et Roffiacence, utrinque, Can. 2.	1327
Avenionense contra Antipapam et ejus errorem.	1327
Londinense, Can. 9.	1328
Lompendiense, Can. 7.	1329
Camethense, Can. 10.	1330
Machfeldense de festis et disciplina.	1332
Salmanticense, Can. 17.	1335

Rhotomagense, Can. 13.	An. *eod.*
Bituricense, Can. 14.	1336
Apud Castrum Gontherii, Can. 12.	*eod.*
Avenionense, Can. 70.	1337
Toletanum, Can. 5.	1339
Nicosiense, Profession. et Can. 8.	1340
Constantinopolitanum pro hæresi Palamitarum.	1341
Anglicum contra captantes beneficia non vacantia.	*eod.*
Londinensia duo, alterum Can. 12, alterum Can. 17.	1342
Noviomense, Can. 17.	1345
Parisiense, Can. 13.	1346
Toletanum, Can. 4.	1347
Palamitarum contra Barlaam et Acinduum.	1350
Biterrense, Can. 8.	1351
Toletanum, Can. 2.	1355
Machfeldense de Festis celebrandis.	1362
Andegavense, Can. 34.	1365
Eboracense, Can. 10.	1367
Vaurense, Can. 13.	1368
Narbonense, Can. 27.	1374
Londinense damnat hæresin Wicleffi.	1382
Salisburgense, Can. 17.	1386
Palentinum, Can. 7.	1388
Parisiense ad componendum Schisma.	1394
Londinense contra errores Wicleffi.	1396

SECULO XV.

Parisiense, Art. 8, pro exemptis temp. schismat.	1404
Pragense contra schismaticos.	1405
Parisiense de tollendo schismate.	1408
Oxoniense, Can. 13.	*eod.*
Aquileiense pro tollendo schismate.	1409
Perpinianense pro Antipapa Benedicto.	*eod.*
Pisanum GENERALE.	1409
Romanum contra Hussitas.	1412
Londinense contra Wicleffi sectatores.	1413
Constantiense GENERALE.	1414
Salisburgense, Dec. et Can. 34.	1420
Coloniense, Can. 11.	1421
Ticinense et Senense pro unitate Græcorum.	1423
Hafniense, pro reform. et disciplina.	1425
Parisiense, Can. 41.	1429
Dertusanum, Can. 20.	*eod.*
Basileense GENERALE.	1437
Ferrariense continuat prius.	1338
Bituricense sanctionem pragmaticam.	*eod.*
Francofordiense eligit neutras partes.	*eod.*
Florentinum ŒCUMENICUM XVI.	1439, 1442
Frisingense, Can. 26.	1440
Rothomagense, Can. 40.	1445

Andegavense, Can. 17. An. 1448
Lausanense agnoscit Nicol. V, tollit schisma. 1449
Constantinopolitanum rescindit unionem Florentiæ factam. 1450
Coloniense recipit statuta Legati Pontificii. 1452
Suessienense canones plures renovat. 1456
Avenionense, præter alia, confirmat opinionem piam de Immaculata Conceptione. 1457
Mantuanum pro bello contra Turcas. 1459
Eboracense pro reformatione disciplinæ. 1467
Toletanum, Can. 29. 1473
Senonense Canones collectos renovat. 1485

SECULO XVI.

Turonense pro Rege contra Pontificem. 1510
Pisanum et Mediolanense pro Imperatore contra eumdem. 1511
Lateranense V. ŒCUMENICUM XVII. 1512, 1517
Dublinense, Can. 10. 1518
Bituricense Decr. 23 contra Lutherum, Can. 7. 1528
Parisiense, alias *Senonense*, contra eumdem, Decr. 16, Can. 40. *eod.*
Coloniense, Canon. Partes 14. 1536
Augustanum, Decr. et Can. 33. 1548
Trevirense, Can. 10. *eod.*
Coloniense, Canon. Titul. 7. 1549
Moguntinum, Decr. 47, Can. 104. *eod.*
Trevirense, Decr. et Can. 20. *eod.*
Narbonense, Decr. et Can. 66. 1551
Piscianense, Professionem et Canones. 1561
Tridentinum. ŒCUMENICUM XVIII. 1545, 1563
Remense, Can. 19. 1564
Cameracense, Decr. et Can. Titul. 22. 1565
Mediolanense I sub S. Carolo Borromæo, Decr. et Can. Part. 3. *eod.*
Toletanum Symbolum et Canones. 1566
Mediolanense II Decr. et Can. Titul. 3. 1569
Mechlinense, Decr. et Can. Titul. 22. 1570
Mediolanense III, Can. 21. 1573
Mediolanense IV, Decr. et Can. Part. 3. 1576
Mediolanense V eorumdem Part. 3. 1579
Rothomagense, Profess. et Can. Tit. 12. 1581
Mediolanense VI Decr. et Can. 31. 1582
Memphiticum pro conversione Cophtorum. 1582
Remense, Professionem et Can. Tit. 29. 1583
Burdigalense. Professionem et Can. Tit. 75. *eod.*
Turonense, Professionem et Can. Tit. 18. *eod.*
Bituricense, Professionem et Can. Tit. 45. 1584
Aquense, Professionem et Can. Tit. 43. 1585
Mexicanum, Decr. et Can. Libr. 5. *eod.*
Cameracense, Decr. et Can. Tit. 24. 1586
Tolosanum, Decr. et Can. Part. 4. 1590
Avenionense, Decr. et Can. Tit. 64. 1595

Aquileiense, Decr. et Can. Tit. 19.	An. 1596
Diamperiense in Provincia Goana contra hæresin et abusus.	1599

Seculo XVII.

Mechlinense, Decr. et Can. Tit. 26.	1607
Narbonense, Decr. et Can. Tit. 50.	1609
Senonense damnat librum Richerii.	1612
Aquense damnat eumdem	*eod.*
Dordrechtanum Calvinistarum contra Arminianos.	1618
Burdigalense, Decr. et Can. Tit. 22.	1624
Constantinopolitanum contra Calvini dogmata.	1642
Hierosolymitanum contra eadem.	1672

Seculo XVIII.

Romanum exponit et auget jus sacrum.	1725
Avenionense Romani exemplar imitatur.	*eod.*
Ebredunense, suspendit Senecensem Episc. Decreta de Constitutionibus Apostolicis.	1727
Maronitarum pro reform. disciplinæ (1).	1738

Quæres II. *Quænam sint Concilia Generalia et in iis notatu digna?*

136. Nota. Universalium Conciliorum nomine in superiore catalogo inscripsimus, quæcumque sive actione sive acceptatione talia a Catholicis habentur: inter quæ Œcumenica a Generalibus distinximus, usi regula num. 110, § 2 data, secundum quam ad œcumenici nomen tribuendum satis sit auctoritas partis Ecclesiæ cum capite conspirantis. Enumeravimus autem octodecim (2); quorum octo priora in Oriente, decem posteriora in Occidente celebrata, jus quasi antiquum et novum Synodale constituunt. Ad generalia duntaxat rejecimus, quæ vel illa auctoritate carent, vel aliunde inter œcumenica numerari haud solent. De triplici hac Conciliorum classe tria in compendio referemus: 1° quidem adjuncta; quo nomine veniunt causæ et auctores convocationis, Patres et Præsides congregationis, locus denique et tempus celebrationis: 2° Gesta seu Acta Concilii cum numero Sessionum et enarratione: 3° documenta sive ad fidei dogmata, sive ad disciplinam et mores pertinentia.

I. CONCILIA ŒCUMENICA ORIENTALIA.

137. Concilia Œcumenica Orientalia numerantur hac serie: Nicænum I, Constantinopolitanum I, Ephesinum, Chalcedonense, Constantinopolitanum II, Constantinopolitanum III, Nicænum II, Constantinopolitanum IV. Circa hæc notari merentur.

OECUMENICUM I. NICÆNUM I.

I. Causa illius triplex; 1 Hæresis Arii negantis divinitatem Verbi 2ª controversia de die celebrandi Paschatis cum Quartodecimanis; 3ª Schisma Me-

(1) A priore hujusce operis editione, Pseudosynodis accenseri debent *concilium Pistoriense*, an. 1786, reprobatum Bulla « Auctorem Fidei; » et *Parisiensia duo* schismaticorum, ann. 1797 et 1801. Legitimorum autem dudum interruptam seriem, præter Baltimorensia plurima, concilia Wirceburgense, Gallicana, et novissime Hibernicum feliciter instaurarunt.

(2) His addendum est Concilium Vaticanum habitum Romæ 1869-1870.

LETII Lycopolitani in Ægypto Episcopi. Convocavit Patres CONSTANTINUS Magnus Imp. consensu et auctoritate SYLVESTRI Summi Pontificis, ut ex Ruf., l. 1 hist., c. 1 et Conc. gen. 6, Act. 18, colligitur. Convenerunt 318 Episcopi, omnes Orientales, exceptis uno Hispano, altero Gallo, tertio Afro. Præsederunt SYLVESTRI nomine OSIUS Cordubensis Episcopus, VITUS et VINCENTIUS Presbyteri Romani, ut subscriptiones probant. Celebratum est NICÆÆ in Bithynia, in Palatio Imperatoris, Anno 325. Initium die 19 Junii, finem 25 Augusti dante.

II. Antequam Constantinus advenisset, velitatum est cum sophistis gentilibus : quo in certamine S. Spiridion simplici interrogatione argutum Philosophum compressit. Ubi Imperator 3ª Julii appulit, disputatio inter ARIUM et ATHANASIUM Alexandrinum tum Diaconum cœpit ; hanc excepit altera inter EUSEBIUM Nicomediensem prioris, et MARCELLUM Ancyranum posterioris defensores. Subdola EUSEBII Cæsareensis formula a Patribus rejicitur, altera cum *homousios* voce auctore OSIO substituta, quæ symboli Nicæni nomen deinceps obtinuit. Huic subjuncta fuit condemnatio ARII, et libri ab eo *Thalia* inscripti. Fidei et damnationi subscripserunt omnes, primum tergiversantibus septemdecim, duobus exceptis qui cum ARIO mulctati sunt exilio. Interea, dum reluctantibus spatium resipiscendi datur, reliquæ causæ componuntur. Et quidem pro Paschatis festo statuitur dies dominica proxime sequens plenilunium, post æquinoctium vernum primo occurrens : METLETIO autem, relicto sua in urbe officii et dignitatis titulo, jurisdictio adimitur : adduntur tandem pro disciplina Ecclesiastica Canones, ex communiori sententia viginti : scripta denique epistola synodica et datis Litteris Imperialibus ad absentes, conventus solvitur.

III. Symboli Nicæni formulam dabimus intra una cum additamentis Constantinopolitanis : illi subjunctus erat hic anathematismus : *His autem, qui dicunt fuisse aliquando tempus, cum non esset, et ex iis, quæ non sunt, ortum, vel ex alia subsistentia aut substantia esse, vel creatum esse, vel converti aut mutari posse Filium Dei ; istis catholica et apostolica Ecclesia anathema denuntiat.*

CANONUM summa est sequens 1. Non admittatur ad Clerum, qui seipsum abscidit. 2. Neophytus non ordinetur. 3. Clericus non habeat domi mulierem præter matrem, sororem, materteram aut amitam. 4. Episcopus ordinetur ab omnibus comprovincialibus, aut de eorum consensu a tribus, reservata Metropolitano confirmatione. 5. Excommunicatus ab Episcopo uno non recipiatur ab altero. 6. Patriarcha potestatem habeat in omnibus Patriarchatus sui Ecclesiis. 7. Episcopo Æliæ, h. e. Hierosolymæ, sit honor Patriarchalis, salvo jure Cæsareensis Metropolitæ. 8. Reversi ex Novatianis, si apud suos sint ordinati Clerici, maneant in Clero ; si promittant servare leges Ecclesiæ catholicæ, et communicare bigamis et lapsis. 9. Criminosi aut sine examine promoti Presbyteri suspendantur. 10. Lapsi, per ignorantiam ordinati, deponantur. 11. 12. 14. Lapsi alii agant pœnitentiam. 13. Infirmis detur necessarium viaticum, h. e. absolutio sacramentalis, ut Conc. Araus. I, Can. 3 explicat. 15. Translationes Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum illicitæ sint ac irritæ. 16. Idem servetur circa omnes Clericos, nec alienos Episcopi ordinent. 17. Deponantur Clerici usurarii. 18. Diaconi Presbyteris se gerant inferiores, nec his Eucharistiam porrigant. 19. Paulianistæ, h. e. Pauli Samosateni sectatores, redeuntes ad Ecclesiam, baptizentur. 20. Die Dominica oratio fiat a stantibus.

OECUMENICUM II. CONSTANTINOPOLITANUM I.

I. Concilium postulaverant dudum, præter varios Arianorum contra Nicænam fidem conatus, natæ interea multiplices, maxime autem Macedonii Spiritui sancto divinitatem negantis, hæreses. Hujus habendi occasionem præbuit Maximus Cynicus in Constantinopolitanam sedem intrusus. Indixit illud Theodosius Senior Imp. Solis Orientalibus, quorum 150 convenerunt, Pontifice summo nec per se ; nec per legatos præsidente. Habitum est Constantinopoli in Ecclesia, anno 381 a Calendis Maii ad finem Junii. Œcumenici prærogativam altero primum anno obtinuit, quo a congregata rursus Orientalium synodo Episcopi tres cum actis prioris missi sunt Romam ad Damasum, Occidentalium Concilium celebrantem ; confirmationem dogmatum et conspirationem utriusque Ecclesiæ hinc referentes.

II. A principio quidem Maximum sedis Constantinopolitanæ invasorem, Gregorium vero Nazianzenum jure meritoque eidem substitutum declararunt Patres. Displicuit postea Timotheo Alexandrino hæc confirmatio, se suisque non exspectatis facta ; ab eoque dum variis ex titulis oppugnaretur, Gregorio sponte Episcopatum abdicante, postremo electus est Nectarius. Has inter turbas pacate tamen agitata est causa fidei. Ac 1. quidem volumen Occidentalium de fide Antiochenorum circa Trinitatis personas probatur : 2. libellus fidei a Gregorio Nysseno conscriptus, h. e. Symbolum Nicænum variis articulis contra natas tunc hæreses auctum, summa Patrum deliberatione examinatur probaturque : 3. Canones tres constituuntur, quorum prior et posterior Patres, medius Nectarium præcipue auctores habet. Addunt Græci quidam alios quatuor, sed contra opinionem probabiliorem.

III. Symbolum hic subjectum qua parte antiquis litteris exaratum est, Nicænos, qua parte Italicis constat, Constantinopolitanos Patres conditores habet. Est autem hujusmodi.

« Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem factorem *Cœli et terræ,* visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum *ante omnia secula,* Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero ; genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit *de cœlis,* et incarnatus est *de Spiritu sancto, ex Maria Virgine,* et homo factus est. *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato,* passus et sepultus est. Tertia die resurrexit *a mortuis secundum scripturas.* Ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Patris. Inde venturus est *cum gloria* judicare vivos et mortuos, *cujus regni non erit finis.* Credimus in Spiritum sanctum, *Dominum et vivificantem ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum. Qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptisma in remissionem peccatorum. Exspectamus resurrectionem mortuorum, et vitam futuri seculi. Amen.* »

Canones : 1. Confirmat per omnia Conc. Nicænum, anathema autem dicit Eunomianis, Eudoxianis, Macedonianis, Sabellianis, Marcellianis, Photinianis et Apollinaristis. 2. Tria statuit : primo confirmat potestatem Patriarcharum in provincias a Nicæno designatas ; secundo vetat, ne Episcopi nisi vocati ad ordinationes in alienis Ecclesiis accedant ; tertio Episcopo Constantinopolitano decernit primum locum et dignitatis gradum post Romanum Episcopum ; eo quod is sit Episcopus Romæ novæ. Hanc partem non accep-

tavit Ecclesia Romana usque ad tempora Innocenti tertii, qui bono pacis consulturus in Conc. Lateranensi quarto tandem cessit. 3. Declarat Maximum perperam ordinatum, non esse habendum pro Episcopo, ejusque ordinationes et gesta rescindit.

OECUMENICUM III. EPHESINUM.

I. Causam dedit NESTORIUS, duas in Christo hypostases statuens, idemque Mariæ Virgini nomen Deiparæ negans : qui cum nec CYRILLI Alexandrini Episcopi anathematismis, nec COELESTINI Pontificis Romani Litteris judicialibus corrigi se pateretur; THEODOSIUS junior Imp. a Cyrillo, juxta Evagr. l. 1, c. 3 rogatus convocavit Concilium, ad latam jam a Pontifice sententiam exequendam. Plures ultra ducentos convenisse Patres, plerosque Orientales, ex litteris Cyrilli et actis Concilii liquet. Exceptis Afris, Vandalorum irruptione turbatis, Occidentalium nomine aderant Legati Pontificis ARCUDIUS et PROJECTUS Episcopi, ac PHILIPPUS Presbyter; qui et Pontificis loco præsederunt, una cum Cyrillo Alexandrino, sententiæ Pontificiæ executore non tantum ante, sed et intra concilium constituto; prout præter Evagrium et Liberatum Actio 1ª et 3ª necnon Relatio ipsius Concilii testantur. Congregatum est Ephesi in Ecclesia S. Mariæ, anno 431, habuitque 22ª die Junii initium, 31 Julii finem, extremo Octobri complementum.

II. A 7 Junii usque ad 22ªm frustra expectato JOANNE Antiocheno cum Syris seu Orientalibus, Nestorioque post trinam evocationem necdum comparente :

Actione 1ª Legitur Symbolum Nicænum seu formula fidei : tum epistola secunda Cyrilli ad NESTORIUM et hujus responsoria; quarum prior laudatur, posterior reprobatur a Patribus : dein producuntur viginti capita ex NESTORII sermonibus excerpta, quæ blasphema agnoscuntur : demum recitantur Litteræ postremæ CYRILLI, et contenti in illis anathematismi, subin productis SS. Patrum testimoniis, quæ tanquam orthodoxa recipiuntur. Tandem auditis de doctrina ex ore ipsius NESTORII percepta testimoniis, pronuntiatur sententia, NESTORIUM velut novum Judam condemnans.

Rem ita confectam turbari aggressi sunt, NESTORIUS quidem provocatione, CANDIDIANUS Comes, tum missa ad Imperatorem mendaci expositione, tum litterarum Conciliarium interceptione, JOANNES vero Antiochenus interea advectus conflato ex suis et Nestorianis conciliabulo, quo Cyrillum Alex. et Memnonem Ep. Ephesinum seu Apollinaristas arguit, damnavit, deposuit. Atque hæc eo profuerunt, ut Theodosius, quantumvis per Cleri Constantinopolitani libellum melius instructus, quia tamen subsequa Irenæi Antiocheno addicti sinistra relatione in antiquum præjudicium retractus, depositionem ab utraque parte factam ratihaberet, et ad pacandum Synodi cursum Joannem Comitem ablegaret. Dum hæc fierent, appulsi et synodum ingressi

Act. 2ª et 3ª Legati Pontificis prælectis COELESTINI litteris, et gestis primæ actionis examinatis, omnia tanquam secundum Canones acta probant, damnantque NESTORIUM. 4ª et 5ª de JOANNE Antiocheno, qui a CYRILLO ob illatam injuriam accusatus, cum jam tertio evocatus non comparet, excommunicatur, addita comminatione damnationis, ni retractet. 6ª Damnato impio THEODORI Mopsuesteni symbolo, prohibetur novi symboli confectio et mutatio Nicæni. 7ª Tractatur de ordinationibus Insulæ Cypri, et statuuntur

octo canones, præcipuam partem contra dissidentes a synodo; quos tamen alii actioni quintæ tribuunt.

Post hanc actionem appulit Joannes Comes, superiora Theodosii mandata urgens, Patresque acriter vexans, donec octo ex utraque parte Legatis Chalcedonem evocatis ibidemque auditis, Imperator ad Synodi partes inclinavit, Cyrillo et Memnone cum reliquis ad suos redire permissis, Nestorio autem in monasterium Antiochiam amandato. Ejusdem etiam opera factum, ut pax Cyrillum inter et Joannem altero tandem anno redintegraretur, anathematismis illius salvis, subscripta ab isto Nestorii damnatione.

III. Anathematismorum h. e. sententiarum, quas Cyrillus diversis Nestorianæ hæreseos capitibus affixo anathemate opponebat, summa hæc est. Dicitur anathema illi : 1. qui negat beatissimam Virginem Θεοτόκον, h. e. Deiparam; cum Verbum caro factum sit : 2. qui negat unum Christum esse Deum simul et hominem : 3. qui inter Verbum et humanitatem asserit unionem duntaxat moralem, secundum dignitatem scilicet, auctoritatem et potestatem, non autem naturalem et secundum unitatem : 4. qui prædicata Christi, pro ratione humanitatis et divinitatis, distinctis in Christo personis tribuit : 5. qui Christum non veraciter Deum, sed Θεοφόρον tantum, seu qui Deum ferat habeatque, confitetur : 6. qui Verbum statuit esse Dominum Christi : 7. qui Jesum dicit a Verbo adjutum et distinctam ab unigenito personam : 8. qui asserit Christum cum Verbo, tanquam alterum cum altero coadorandum, non autem una adoratione colendum Emmanuel : 9. qui non concedit Christum propria virtute, sed aliena tantum, patrasse miracula : 10. qui dicit Christum hominem, non autem Verbum incarnatum, semetipsum obtulisse; aut pro se et non potius pro nobis oblationem fecisse : 11. qui dicit carnem assumptam non esse Verbi divini, sed alterius cum Verbo conjuncti per dignitatem : 12. qui negat Dei Verbum esse passum, crucifixum, mortuum secundum humanitatem, et vivificatorem secundum divinitatem.

Canonum compendium est : 1. Sentientes cum Celestio, h. e. Pelagiani (cujusmodi magna pars congregatorum cum Joanne Antiocheno erat) deponantur et communione priventur : 2. a Concilio deficientibus adhærentes deponantur a Sacerdotio : 3. a Nestorio depositi restituantur : 4. Nestorii et Celestii sectatores deponantur : 5. a synodo damnati non restituantur : 6. Synodi perturbatores deponantur : 7. Non proferatur Symbolum aliud, præter Nicænum : 8. Episcopus in aliena diœcesi non ordinet.

OECUMENICUM IV. CHALCEDONENSE.

I. Hæresis Eutychetis duas in Christo naturas post incarnationem negantis, et unam duntaxat sive per confusionem sive per absorptionem statuentis, plures jam turbas excitarat. Quamvis enim ut nata, mox damnata fuerit an. 448 in Conc. Constantinopolitano sub Flaviano, et Leonis Pontificis ac Theodosii Imperatoris tutela implorata caruerit : Dioscori tamen Alexandrini ope, sequente anno, obtinuit synodum Ephesinam faventem, quæ ob omnia per vim, injuriam et impotentiam ibidem acta, synodus prædatoria aut latrocinium audiit. Ad hanc rescindendam, ex consensu et adhortatione Pontificis, a Marciano in Imperatorem jam evecto, convocatum est Concilium, primo quidem Nicæam, dein Chalcedonem. Adfuere Patres ex aliquorum computo 636, plerique Orientales : Legati sanctæ Sedis et Præsides Paschasinus, Lucentius et Julianus Episcopi cum Boni-

facio et Basilio Presbyteris. Conventus celebratus est Chalcedone in Ecclesia S. Euphemiæ Anno 451 ab 8ª Octobris ad 1ªm Novembris.

II. In *Actione* 1ª statim ab initio a Legatis Pontificis denuntiatur Dioscorus, quod inconsulta Romana sede, et hinc contra jus et usum, generale Concilium convocare eique sit præsesse ausus : proin non inter Patres judex, sed in medio ut reus, sedere jubetur. Dein Eusebius Dorilœi Episcopus, qui in Conc. sub Flaviano accusator, et hinc in Latrocinio Ephesino depositus fuerat, jam rursus accusat Dioscorum, et ad Acta Ephesina provocat. Hæc dum leguntur, Ægyptii primum Theodoretum inter accusatores rejiciendum postulant : tum Syri factam olim sibi vim declarant : Patres Flaviani doctrinam et innocentiam ut probant, sic sententiam contra eum latam reprobant; e contrario autem Eutychetis doctrinam hujusque approbationem damnant, approbatores autem deponendos judicant.

Act. 2ª Suscipitur de fide tractatio, et post lectum Nicænum ac Constantinopolitanum symbolum, recitatis geminis Cyrilli epistolis, illa scilicet ad Orientales et secunda ad Nestorium, unaque Leonis ad Flavianum, queis duæ in Christo naturæ asseruntur et probantur, acclamatur ab omnibus. Illyricis et Palæstinis veniam iis dari postulantibus, qui prædatoriam synodum composuerant, Patres mentionem Dioscori fieri prohibent, quoad reliquos dissimulant.

Act. 3ª Lecto Eusebii contra Dioscorum libello, hic semel iterum ac tertio evocatur ad Concilium. Ubi comparere renuit, gravissimis insuper flagitiis accersitus ab Alexandrinis, ex Leonis sententia a Præsidibus pronuntiatur depositus, acclamante Patrum choro, quod Eutychen excommunicatum receperit, Leonis epistolam legi prohibuerit, ipsumque excommunicarit.

Act. 4ª Juvenalis, Thalassius aliique *Latrocinii* complices veniam precati, dicto Eutycheti anathemate et subscripta Leonis epistola, ad Concilium et suas sedes admittuntur. Idem beneficium postulantibus pro Dioscoro Clericis non defertur; quin anathema in illum repetitur. Ægyptiis, antequam subscriberent, postulata eligendi Patriarchæ facultas conceditur. Renovantur demum Concilii Antiocheni canones contra Clericos ab Episcopo secedentes, et causa ordinationis inter Photium Tyrium et Eustathium Beritensem Episcopos acta componitur.

Act. 5ª Cum fidei formula, a Deputatis concinnata, non satisfaceret; conventum est ejus loco sequi ex integro Epistolam Leonis : additumque est Decretum amplissimum, quod præter *Nicænum et Constantinopolitanum* symbolum ac litteras Cyrilli geminas et unam Leonis epistolam nominatas, compendium fidei de Incarnatione complectitur.

Act. 6ª Marcianus Imperat. habet orationem ad Patres, qua ad fidem roborandam, non ad aliquam potentiam ostendendam aut exercendam, se advenisse, inter alia declarat. Decretum superius dein legitur, et prius jam subscriptum acclamatione firmatur Proponuntur post ab Imperatore tria disciplinæ capita, et a synodo probantur. Decreta tandem Chalcedoni dignitate Metropolitana honoraria, Patres discedendi facultatem postulant. Petitio hæc postrema ostendit Concilium a Patribus habitum pro finito; simulque discrimen inter sex prævias et alias sequentes actiones manifestum declarat : unde et post hanc actionem, in antiquis Conciliorum exemplaribus, subjiciuntur 27 Canones hujus Concilii ab omnibus probati.

Act. 7ª Compositio Juvenalem Hierosolymitanum inter et Maximum Antiochenum inita probatur. 8ª Theodoretus Cyri, 9ª et 10ª Ibas Edessæ

Episcopi, uterque a Dioscoro depositus et ob impugnatos Cyrilli anathematismos Nestorianismi suspectus, sed a Leone in communionem jam receptus, dicto Nestorio et Eutycheti anathemate, sedi suæ restituitur.

Act. 11ª et 12ª Bassianus et Stephanus Ephesini Epp. ob vitium electionis exauctorantur, decreta in subsidium pensione annua. 13ª Eunomii Nicomediensis et Anastasii Nicæni controversia circa jus Metropolitæ deciditur. 14ª Causa Sabiniani et Anastasii de Perrhensi Episcopatu contendentium, decernitur, statuta rursus posterioris pensione annua. 15ª Absentibus Sedis Apostolicæ Legatis, editur canon de sedis Constantinopolitanæ præcellentia, qui est ordine 28 in recensione canonum. 16ª Legati Pontificii se strenue opponunt postremo canoni : stant pro eodem Magistratus Cæsarei : cedunt et subscribunt Episcopi Asiæ primores. Vide can. 2. Conc. Œcum. II.

III. Pars fidei de Incarnatione principaliter est ista : *Sequentes igitur sanctos Patres, unum eumdemque confiteri Filium, Dominum nostrum Jesum Christum, constanter omnes docemus, eumdem perfectum in Deitate, eumdem perfectum in humanitate, Deum verum et hominem, eumdem ex rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum divinitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato. Ante secula quidem ex Patre genitum secundum Deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice secundum humanitatem, unum eumdem Christum Filium, Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter, agnoscendum : nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ in unam Personam atque subsistentiam concurrentis : non in duas personas partitum atque divisum, sed unum eumdemque Filium unigenitum Deum Verbum Jesum Christum; sicut ante Prophetæ de eo, et ipse nos Jesus Christus erudivit, et Patrum nobis symbolum tradidit.*

Canones ab Imper. propositi : 1. Monachi præter Episcopi voluntatem monasterium non ædificent; nec recipiant servos sine Dominorum consensu. 2. Clerici ne possessiones conducant aut procurationem suscipiant. 3. Iidem e propria in alienam Ecclesiam non transeant.

Canones patrum. 1. Canones priorum Conciliorum serventur. 2. Simoniaci ordinatores, ordinati et mediatores puniantur. 3. Clerici et Monachi abstineant a secularibus negotiis, excepta pupillorum causa. 4. Monachi honorentur, obediant Episcopo, non excedant monasterio, nisi ob necessitatem accepta facultate. 5. Nec Episcopi, nec Clerici de una in aliam migrent civitatem. 6. Clerici non ordinentur sine Titulo; sic ordinatis non permittatur exercitium. 7. Clerici sub anathemate militiam aut secularia munia ne suscipiant. 8. Dispensatores pauperibus præfecti subsint Episcopo. 9. Clericus contra Clericum coram Episcopo, contra Episcopum coram Concil. Provinciali agat. 10. Plura beneficia habere simul non liceat. 11. Pauperibus litteræ tantum pacificæ, dignioribus commendatitiæ dentur in itinere. 12. Unus duntaxat in una Provincia sit Metropolita. 13. Peregrini Clerici non ministrent sine commendatitiis. 14. Lectoribus et Psalmistis ubi nubere licet, non liceat habere uxorem hæreticam aut infidelem. 15. Diaconissa non fiat ante annum 40ᵘᵐ, nec nuptias contrahat. 16. Virgini Deo dicatæ aut Monacho nubere non liceat. 17. Parochianæ Ecclesiæ maneant sub eo Episcopo, qui eas per 30 annos quiete possedit. 18. Factio

Clericorum contra Episcopum vel Clericos puniatur depositione. 19. Bis in anno habeatur Concil. Provinciale. 20. Episcopus alienum Clericum suscipiens, ipseque Clericus excommunicetur. 21. Non sine probatione admittatur accusator Clericorum. 22. Clerici defuncto Episcopo spolia facientes deponantur. 23. Clerici vel Monachi ad urbem regiam non facile accedant, vagi ad propria repellantur. 24. Monasteria Deo dicata non fiant secularium diversoria. 25. Episcoporum ordinatio fiat intra semestre. 26. In qualibet Ecclesia Episcopali statuatur Œconomus ex Clero. 27. Raptores mulierum et Cooperatores, si Clerici sint, deponantur; si laici, excommunicentur. 28. Ecclesia Constantinopolitana primum post Romanam locum obtineat.

ŒCUMENICUM V. CONSTANTINOPOLITANUM II.

I. Occasionem et causam huic Concilio dederant turbæ circa Origenis dogmata et tria Capitula vigentes. Origenis quidem scripta, eo etianmum vivente a Demetrio Alexandrino, et sub seculi 4. finem a Theophilo itidem Alexandrino ac Epiphanio Constantiæ in Cypro Episcopo errorum accersita et damnata fuerant; sed ab ipso Origene, errores in corruptionem librorum ab hæreticis factam transferente, excusata, a Joanne Chrysostomo ob multorum erga Origenem venerationem dissimulari jussa. Nonno et Leontio Monachis seculo 6 illius dogmata per Palæstinam et Orientem operose spargentibus aucta est discordia, quam finire conatum est præsens Concilium, 15 Canonibus, quos eruit primo Lambecius, latine edidit Harduinus, actis aliis nullam de hac causa mentionem facientibus. Trium Capitulorum nomine hic veniunt scripta et personæ trium Episcoporum Theodori sc. Mopsuesteni, Theodoreti Cyrensis et Ibæ Edesseni; quorum prior ante Ephesinam Synodum in pace Ecclesiæ mortuus, ita scripserat contra Apollinarem, ut duas in Christo Personas assereret, et Beatam Virginem Deiparam negaret : posterior uterque in Synodo Chalcedonensi receptus, Theodori laudator fuerat; et alter quidem scripsit opus, quo Anathematismos Cyrilli arguit hæreseos; alter epistolam ad Marim, qua etiam in Concil. Chalcedonensi lecta, eosdem perstringit. Horum itaque scripta cum hæretica essent, neque tamen damnata, quin et personis pax concessa; Nestoriani quidem contendebant hæc scripta a Concil. Chalcedonensi approbata; Eutychiani, maxime Acephali, hinc inferebant nullam huic Concilio esse auctoritatem : Catholicis utramque sequelam negantibus, sed in duas partes scissis; aliis nempe scripta hæc damnare verentibus, ne auctoritas Concil. Chalcedonensis læderetur, aliis personas a doctrina secernentibus et hanc reprobantibus, illas venerantibus ex eadem ratione. Consentiente Vigilio Pontifice indictum est Concilium ab Justiniano Imperatore, et frequentatum a Patribus 165, omnibus, exceptis quinque Afris, Orientalibus. Vigilius, quantumvis præsens, nec per se nec per legatos præsedit, sed Eutychius Constantinopolitanus Patriarcha : ut nempe Pontifex et a vi sibi caveret, et haberet integram decisionem in Concilio statutorum; cum non exspectaretur numerus Occidentalium æqualis ab Imperat. promissus. Inchoatum est Constantinopoli in Secretario h. e. sacristia Cathedralis Ecclesiæ An. 553 die 4 Maii, absolutum 2 Junii.

II. Cum Synodi hujus progressus dependerit a principiis altioribus, et eventus non nisi post protractas longius dissensiones se penitus prodiderit,

præter ordinariam Actionum enarrationem anteriora et sequentia adjungimus.

Qui damnati a Synodis, severa Canonum custodia, a Marciano continebantur Hæretici, maxime Eutychiani, ab illius funere erigere se et turbare cœperunt. Post primos Monachorum Alexandrinorum motus, gravissima tempestas orta est sub Basilisco Tyranno, qui mandatum de abolenda Chalcedonensi Synodo dedit, et Timotheum Ælurum Alexandrinum hujus Concilii auctorem, Petrum autem Cnaphæum seu Fullonem Antiochenum et Anastasium Hierosolymitanum Patriarchas, præter quingentos plurimam partem ex Asiatica Diœcesi Episcopos obsequentes habuit. Componere hanc tempestatem, sed infeliciter studuit Zeno Imperator suo Henotico, quod dictante Acacio Constantinopolitano et Petro Mongo Alexandrino Patriarcha subscribente editum, Sectæ Acephalorum occasionem dedit, et imperato silentio auctoritatem Conc. Chalcedonensis tacite diminuit. Fallacem hanc quietem novus turbo sub Anastasio Imp. excepit, utpote qui connitentibus Anthimo Constantinopolitano et Severo Antiocheno doctrinam et nomen Synodi Chalcedonensis rursus ita lacessivit, ut accedentibus maxime Nestorianorum et Origenistarum motibus, religio a ruina prope abesset. Cohibuit hanc quidem procellam Justinianus Imp. edicto in Eutychianos promulgato : sed dum ex Theodori Ep. Cæsareensis suggestione, qui ob tria solum Capitula abhorrere a Chalcedonensi Eutychianos persuaserat, decretum alterum hæc capita condemnans edit; Catholicos etiam quietos hactenus turbis involvit : ex quibus scilicet plures, præsertim Orientales, huic sententiæ acquieverunt; Occidentales autem plerique, metuentes nempe Concilio Chalcedonensi, sunt refragati. A postremorum partibus primo steterat Vigilius Rom. Pontifex, ideoque Constantinopolim appulsus, priores etiam a sua communione suspendit; donec a Justiniano permotus septuaginta Episcoporum suffragiis acceptis, decreto, quod *Judicatum* appellavit, ad Mennam Constantinopolitanum dato et ipse tria Capitula proscripsit, adjecta tamen hac restrictione, *salva in omnibus Concilii Chalcedonensis auctoritate*. Vulgata per Occidentem hujus sententiæ fama, accendentibus invidiam Diaconis Pontificiis mendacibus, Africani maxime et Illyrici exarserunt impotenter adeo; ut *Judicati* approbatores ipsumque Vigilium communione privarent. Rebus ita exasperatis mederi melius non posse censuerunt et Vigilius et Justinianus, quam convocato Concilio Generali; quod cum hic indiceret, ille recepto ex Mennæ manibus *Judicato* omnem deinceps usque ad Concilium de tribus Capitulis quæstionem sub anathemate interdixit. Verum morarum prævisarum impatiens, et iterata Theodori suasione incitatus Imperator, Capitulorum damnationem dum renovat; Vigilius, quantumvis graviter diuque vexatus, constanti sua repugnantia tandem obtinuit, ut edicto novo sublato, Capitulorum cognitio Synodo permitteretur; cujus contra conventa acceleratæ, nunc collationes seu actiones subjicimus.

Collatione. 1ª Recitata sacra Justiniani jussione, ad examen et sententiam de tribus Capitulis ferendum, lectisque Eutychii Patriarchæ Constantinopolitani ad Vigilium litteris hujusque responsoriis, decretum est solemni legatione invitare Pontificem, ut Concilio interesse velit. 2ª Relata per Legatos responsione Vigilii excusatoria, et de suo judicio speciatim dando promissoria, invitati Occidentales pauci, tum Constantinopoli præsentes; eorumque tergiversatione audita, statutum est discussionem quæstionis

haud differendam. 3ª Congregati fidem quatuor Conciliorum generalium et SS. Patrum (speciatim Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Naz. et Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Joannem Chrysostomum, Cyrillum et Leonem nominabant) profitentur : omnesque Hæreticos ab his Conciliis damnatos damnant. 4ª Trium Capitulorum examen cœptum. Excerpta et recitata 70 blasphema Theodori Mopsuesteni dogmata Patres diversis formulis execrantur. 5ª Continuata est primo refutatio doctrinæ Theodori : tum disceptatum, an liceat defunctos anathemate ferire; et pars affirmativa statuta : dein, post examinatum Theodoreti opus, anathema est pronuntiatum. 6ª Epistola Ibæ discussa et damnata est, observantibus Patribus, Ibam in Chalcedonensi adactum ad anathema Nestorio dicendum, ut ea convelleret, quæ in epistola scripserat. 7ª Missa ab Imperatore et lecta sunt diversa monumenta a Vigilio prodita, queis etiam post *judicatum* damnarat tria Capitula : quin tamen inter ea esset *Constitutum* a Vigilio 14ª Maii, altera scilicet post 5am collationem die scriptum, et a 16 Episcopis signatum; sive Imperator illud necdum acceperit, sive cum Concilio communicatum noluerit, ne damnationem Capitulorum sufflaminaret. Summa autem Constituti hæc erat : Queritur ab initio Pontifex, contra pactas conditiones habitam Synodum : mox ad tria Capitula transiens, dogmata Theodoro Mopsuesteno attributa damnat et rejicit; ipsum tamen Theodorum damnare non audet nec permittit : demum negat Theodoreti scripta et Ibæ epistolam speciatim et sub eorum nomine esse damnanda; quamvis, quæ in iis a fide forent aliena, omnino repudiet : pro hibet denique et reprobat omnia huic Constituto contraria. 8ª Definitiva sententia adversus tria Capitula fertur, et 14 Anathematismi subjiciuntur; quorum prioribus undecim damnantur Hæretici varii, frequentius autem Nestoriani et Eutychiani; posterioribus tandem Theodori opera et persona, Theodoreti vero et Ibæ, personis intactis, scripta duntaxat.

Ad Concilii jam absoluti robur et auctoritatem desiderabatur adhuc summi Pontificis confirmatio; quam post semestrem moram tandem Vigilius datis ad Eutychium et Synodum litteris addidit, ut totius Orientis schisma alias futurum impediret. Quo facto nec reus fuit violati Concilii Chalcedonensis; cum id de Theodoro nihil, de Theodoreti autem et Ibæ personis quidem, non item de scriptis, statuerit : nec fidei læsæ, cum scriptis, revera inessent errores, et auctores pro diversitate adhæsionis diversimode haberi possent : nec levitatis et inconstantiæ; cum œconomia prudens, pacis Ecclesiæ bono attenta, variationem hanc postularet. Quantumvis vero sequentes per integrum seculum ex ordine Pontifices approbationem non tantum renovarent, sed adjectis etiam expositionibus, apologiis editis, et pœnis intentatis munirent, emicuit tamen Occidentalium multorum in hoc Concilio suscipiendo repugnantia, orta tum ex metu præjudicii Chalcedonensi inferendi, tum ex ignorantia sive linguæ græcæ sive historiæ ad hanc causam hoc tempore necessariæ. Eorum autem, qui repugnabant, duplex classis erat : altera mitiorum, qui scilicet dissedebant, servata tamen Ecclesiæ pace et communione; inter quos Galli, Afri et Illyrici sub Pelagii I tempora, Hispani serius et alterum post seculum accesserunt : altera ferociorum et per schisma discedentium, nempe Istriæ et Venetiarum Episcoporum. In his reducendis Pelagius uterque et Gregorius M. omnem doctrinæ et auctoritatis operam adhibuerunt, successu difficili ac sæpius interpolato, tandem sub Sergii I ætatem felici.

III. In definitiva Concilii sententia præcipuum est sequens fragmentum : *Condemnamus autem et anathematizamus una cum omnibus aliis hæreticis, qui condemnati et anathematizati sunt a prædictis quatuor Conciliis et a sancta Catholica et Apostolica Ecclesia, et Theodorum, qui Mopsuestiæ Episcopus fuit, et impia ejus conscripta : et quæ impie Theodoretus conscripsit contra rectam fidem et contra 12 Capitula sancti Cyrilli et contra Ephesinam Synodum, et quæ ad defensionem Theodori et Nestorii ab eo scripta sunt. Super hoc anathematizamus et impiam epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse, quæ negat Deum Verbum de sancta Dei genitrice et semper Virgine Maria incarnatum hominem factum esse, et sanctæ memoriæ Cyrillum, qui recte docuit, tanquam hæreticum et similiter Apollinario scribentem, calumniatur : et inculpat quidem Ephesinam Synodum, tanquam sine examinatione et quæstione Nestorio ab ea deposito ; et 12 S. Cyrilli Capitula impia et contraria rectæ fidei vocat : defendit autem Theodorum et Nestorium et impia eorum dogmata et conscripta. Prædicta igitur tria Capitula anathematizamus, id est, Theodorum impium Mopsuestenum cum nefandis ejus conscriptis ; et quæ impie Theodoretus conscripsit, et impiam epistolam, quæ dicitur Ibæ, et defensores eorum.*

Summa anathematismorum indicata est Collat. 8ª; CANONUM contra ORIGENEM hæc est : Damnantur, qui asserunt : 1. præexistentiam animarum seu mentium; 2. omnium rerum ex mentibus compositionem et unitatem; 3. ex iisdem mentibus facta astra; 4. tum homines et dæmones; 5. Angelorum conversionem tum secum tum cum hominibus et dæmonibus reciprocantem; 6. duplex dæmonum genus; præexistentem Christum et ideam mundi; mundum non creatum sed genitum; 7. Christum per exinanitionem omnia factum; 8. Verbum abusive Deum; 9. mentem, non Verbum incarnatum; 10. corpus Christi post resurrectionem, et Beatorum corpora ætherea ac sphærica; 11. in extremo judicio abolendam omnem materiam seu corpus, solam nudamque mentem superfuturam; 12. uniendas omnium rerum mentes Deo, ut mens, qui Christus dicitur, est unita; 13. æqualitatem mentis hujus cum cæteris; 14. imo unitatem et identitatem; 15. vitam denique posteriorem præexistenti priori commensurandam.

ŒCUMENICUM VI. CONSTANTINOPOLITANUM III.

I. Quo anathemate in Conc. Chalcedonensi erant damnati MONOPHYSITÆ, seu unam in Christo naturam statuentes; eodem feriebantur MONOTHELITÆ, seu unam in eo voluntatem asserentes : cum æqualis sit argumentatio, et illatarum inter se connexio harum propositionum : In Christo est una Persona : ergo est una natura; ergo est una voluntas; ergo est una operatio. A jacto dudum fulmine posteriores tamen illæsos se credebant, propterea quod sequelam primam exterius saltem et verbis damnarent; secundam fingerent ideo asseri quod contrariam divinæ humanam aut illam, quæ carnis est, voluntatem in Christo negarent; tertiam sub nomine operationis theandricæ purgarent primum, demum dissimulare et a voce unius æque ac duarum operationum abstineri vellent. Errorem hunc efformarunt primo THEODORUS Ep. Pharanitanus A. 607; SERGIUS Constantinopolitanus A. 616; CYRUS Ep. Phasidis A. 626; idem Patriarcha Alexandr. factus publice prodidit in Synodo A. 633 et SERGIUM approbatorem habuit. SERGII in sede Constantinopolitana successores omnes (nisi forsitan cum Concilio Thomam, Joannem et Constantinum excusaveris) PYRRHUS nempe, PAULUS, PETRUS,

Theodorus et Georgius, cum plurimis Orientalibus, præsertim Macario Antiocheno, uti scriptis et doctrina, sic imperatores auctoritate et vi, Heraclius etiam *Ecthesi*, Constans *Typo* editis eumdem errorem propagarunt. E contrario autem hunc ipsum provinciali sua Synodo jam prædamnatum detulit ad Romanam sedem A. 634. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus : oppugnavit Maximus Abbas et postea Martyr in Disputatione cum Pyrrho A. 645 in Africa, et in Collatione cum Judicibus Constantinopolitanis A. 655 Bizyæ suscepta : omnes denique in Petri cathedra Honorio sufecti Pontifices profligare studuerunt : inter quos Martinus I congregata A. 649 Romæ in Laterano frequentissima Synodo prædecessorum suorum singularia opera complevit, proscribendo Monothelitarum hæresin ac personas una cum Heraclii *Ecthesi* et *Typo* Constantis; quorum prior hæreticæ fidei formulam, posterior pacis sub silentii conditione conciliationem exhibebat. Siquidem, quod Constantis impietas et credulitas his laboribus injecerat, sustulit tandem Constantini *Pogonati* religio, qui, quos Apostolicæ sedis auctoritas coercere non potuit, universalis Synodi pondere comprimendos decrevit. Scriptas hanc in rem A. 678 ad Donum Pontificem Imperatorias litteras ubi successor ejus Agatho accepit, ad damnandam hæresin et in diversis provinciis Synodos indixit, et ipse A. 679 Concilium 125 Episcoporum Romæ collegit : unde altero demum anno tres quidem nomine suo, Theodorum et Georgium Presbyteros, Joannem autem Diaconum, tres itidem alios, Joannem Portuensem, Abundantium Paternensem et Joannem Rhegianum Episcopos, Occidentalis Ecclesiæ nomine, Constantinopolin abiegavit, additis ad Imperatorem litteris geminis, quibus habendæ formulæ Synodi forma præscribebatur. Convenerunt Orientales Patres a principio ad actionem 9ᵃᵐ usque vix quadraginta : ad 15ᵃᵐ usque, ultra octoginta : sub actionem postremam 150 numerantur in actis; ac auctoribus diversis jam 170, jam 289 exhibentur. Præsides erant soli nomine Pontificis missi, legatis Occidentis post Patriarchas Orientis locum habentibus. Celebratum est Concilium Constantinopoli in Palatii Imperialis aula, quæ *Trullus* dicebatur : cœptum 7ᵃ Novembris A. 680, finitum 16 Septemb. A. 681.

II. *Actio* 1ᵃ. Legati Pontificii, oratione ad Imperatorem præsentem directa, exponunt Monotheliismi dogma a Patriarchis Constantinopolitanis per 40 fere annos adoptatum, a sede autem Apostolica damnatum esse, adeoque novi hujus dogmatis rationem ab ejus defensoribus reddendam. Ut hoc facerent jussi ab Imperatore Georgius Constantinopolitanus et Macarius Antiochenus Patriarchæ, una cum quibusdam Episcopis, fatentur accusati hujus dogmatis se sectatores; sed una, ex Conciliis, Patribus et Viris illis, quos supra hæresis auctores aut defensores nominavimus, id accepisse respondent : inter quos dum numeraretur a Macario Honorius Papa, Legati intercesserunt. Patres ad responsionis hujus fundamenta conversi, acta Conc. Ephesini legi jubent, eaque Monothelitis neutiquam suffragari deprehendunt.

Act. 2ᵃ. Dum hic leguntur acta Conc. Chalcedonens. et in ep. Leonis pervenitur ad ea verba : *Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est : Verbo operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est* : veneque Monothelitæ ea exponere per actionem theandricam : de operatione hac interpellati ulterius non habuerunt quod responderent.

Act. 3ᵃ. In lectione Conc. Constantinopolitani II pro Monothelitis rursus

repertum est nihil, detecta autem eorum fraus tum in præfatione tum in act. 7ª; quarum prior sermonem Mennæ Constantinopolitano, posterior duos libellos Vigilio suppositos continebat : unde transitus ad fundamenta ex Patribus est indictus.

Act. 4ª. Præter Synodi Romanæ epistolam ea legitur quam Agatho per suos legatos miserat, quæque duas in Christo esse voluntates, nullumque ex Romanis Pontificibus unquam a vera fide aberrasse ostendebat.

Act. 5ª et 6ª. Nuper imperata facturus Macarius exhibet codices duos inscriptos : *Testimonia SS. Patrum, unam D. N. J. C. voluntatem docentia,* et tertium, *sequentia testimoniorum de voluntate* signatum. Excipiunt contra legati Apostolici ob textus truncatos et corruptos.

Act. 7ª et 8ª. Codice testimoniorum vero dogmati faventium ab Agathonis legatis prolato et post collationem factam fideli et probante ab adversariis agnito, Georgius quidem cum 14 suæ Diœceseos Episcopis fidei catholicæ et Agathonis definitioni accedit; Macarius autem dum contumax repugnat, anathemati velut novus Dioscorus subjicitur, et pallio nudatur, inde etiam a Sessionibus ad 14ᵃᵐ usque exclusus.

Act. 9ª et 10ª. Detegitur ulterior Codicum a Macario prolatorum corruptio : quibus dum Stephanus ejus discipulus uti vellet, anathemate percussus expellitur. Contra productorum ab Agathone testimoniorum fides examinatur et probatur.

Act. 11ª et 12ª. Leguntur litteræ Sophronii ad Sergium cum quibusdam Macarii et Stephani scriptis : item Sergii epistola ad Honorium I Pontificem cum hujus responsione ex iis codicibus, qui una continebant scripta supposititia superioribus actionibus rejecta, et ante annum Imperatori fuerant traditi.

Act. 13ª. Pronuntiatur hic sententia de litteris superiore actione lectis hac formula : *Has invenientes alienas omnino existere ab Apostolicis dogmatibus et a definitionibus SS. Conciliorum et cunctorum probabilium Patrum; sequi vero falsas doctrinas hæreticorum, eas omnino abjicimus et tanquam animæ noxias execramur. Quorum autem impia execramur dogmata, horum et nomina a sancta Dei Ecclesia projici judicavimus, id est Sergii, Cyri, Pyrrhi, Petri, Pauli atque Theodori... Cum his vero simul projici a sancta Dei Ecclesia Catholica simulque anathematizari prævidimus et Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ; eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est et impia dogmata confirmavit.* Post quam, ubi Georgius Chartophylax, jussus scripta in hanc rem omnia afferre, simul attulisset alteram Honorii epistolam, ea cum aliis nominatorum scriptis hoc tulit judicium : *Comperimus in unam eamdemque impietatem concurrere : et prævidimus profana et animæ perniciosa continuo ob perfectum exterminium igne concremari : et combusta sunt.*

Act. 14ª. Post examen de corruptione Synodi 5ª nuper detecta susceptum statuitur : *Libros eos obelis obduci in quibus depravati sunt, et cassari eos : illos autem qui falsaverunt, anathemati submitti; et noninatim cum eis anathematizari libellum qui dicitur Mennæ ad Vigilium, et duos libellos quasi a Vigilio ad Justinianum et Theodorum.* Quinam vero corruptores fuerint, non inquisitum fuit; innotuit tamen ex spontanea Macrobii Ep. Seleuciensis confessione, et secuto deinceps Georgii, Macario familiaris Monachi, ac Constantini Grammatici examine, Vigilii libellos a Paulo Constantinopolitano fabricatos, ab eoque et Theodoro Constantinopolitano

et Macario Antiocheno diversis Synodi exemplaribus adjici jussos. Aliunde autem suspicio valet, Mennæ libellum a Sergio jam confictum.

Act. 15ª et 16ª. *Polychronius* Presbyter et Monachus tanquam Monothelita contumax et tentati frustrato miraculo Dei reus impostor deponitur et damnatur : *Constantinus* Presbyter Typi innovationem postulans mulctatur anathemate : Georgius Constantinopolitanus famæ prædecessorum suorum parci deprecans non auditur.

Act. 17ª et 18ª. In priore proponitur, in posteriore legitur et subscriptione firmatur definitio fidei, quæ compendium epistolæ ab Agathone scriptæ referebat, addito contra Monothelismi auctores et fautores, queis Honorius iterum annumerabatur, anathemate. Inter eosdem refertur ab Imperatore in Edicto et a Patribus in epistola synodica fidei expositionem dantibus et confirmationem a Pontifice postulantibus : quin et in epistola Leonis confirmatoria.

III. Canones, qui ad mores aut ad disciplinam pertinent, ut proxima, sic hæc Synodus nullos condidit. Ad defectum hunc supplendum in eadem urbe et domo congregatum est anno post duodecimo Concilium orientale, ideo *Quinisextum* aut *Trullanum* appellatum. Centum et duo Canones in eodem editi : nonnullis demptis, merentur laudem; auctoritatem tamen regulæ universalis non habent ex supremæ potestatis et approbationis Pontificiæ defectu.

Quod damnationem Honorii in actis Concilii hujus iteratam attinet, communior est sententia, eum damnatum fuisse, non ut hæreticum, sed ut hæreticorum duntaxat fautorem, et rerum negligentiæ in iis coercendis. Æquiorem adhuc se recens præbuit Joan. Bapt. Bartholi Ep. Feltrensis in sua pro Honorio apologia; qui ut hunc Pontificem etiam a negligentioro œconomia absolveret, epistolas illi adscriptas ostendit suppositias; postremam quidem ex integro, priorem ea ex parte, qua de malo consulto operationum silentio tractatur. Cætorum idem Episcoporum quidem orientalium conspiratione, non autem Synodi judicio, Honorium damnatum contendit : negata eam in rem confirmatione Leonis, cujus litteris sive ad Constantinum, sive ad Hispanos inscriptis, fidem novis suppositionis indiciis detrahit : de qua opinione alibi dicendum.

ŒCUMENICUM VII. NICÆNUM II.

I. Ut cultus et usus sacrarum imaginum in Patriarchatu Constantinopolitano restauraretur, desiderata est hæc Synodus. Exulabat is ab anno 726, quo illum Leo *Isaurieus*, in suo a Saracenis hausto errore a Constantino Nicosiæ in Phrygia Episcopo, confirmatus, Imperiali decreto proscripsit. Qui sacræ religionis tutelam susceperunt Germanus Patriarcha Constantinopolitanus et Joannes Damascenus editis litteris ac libris, Gregorius II et III judiciali etiam sententia, nihil profecerunt. Exasperavit malum Constantinus *Copronymus* dirissima persecutione, et Hieryæ A. 754 convocato Episcoporum Constantinopoli subditorum conciliabulo, quod Concilii generalis septimi nomen usurpans hæresin Iconoclastarum confirmare studuit, sed incassum : Stephano IV summo Pontifice scilicet acta ejus A. 769 in Synodo Romana rescindente. Post hujus filiique Leonis similem, sed breviorem tyrannidem morte infausta finitam, et seriem impiorum Constantinopolis Patriarcharum spontanea Pauli abdicatione terminatam, Irene Augusta cum Constantino decenni imperans et Tarasius Patriarcha pacem Ecclesiæ

reddiderunt : quam ut firmarent, Concilium a se cogendum petierunt ab Hadriano I auctoritate missorum Legatorum muniri. His A. 786 Constantinopolim appulsis et Patribus collectis, cœptam jam congregationem rupit militum iconomachorum seditio; redintegravit tamen altero loco et anno Imperatricis et Patriarchæ conjuncta religioni prudentia. Hac procurante, confluxerunt ex omnibus Orientis Patriarchiis Episcopi 350, præter Archimandritas et Monachos plurimos, præsidium adeuntibus Legatis Pontificiis, Petro Archipresbytero Romano et Petro S. Sabæ Abbate. Ipsi Synodo locum præbuit Nicææ in Bithynia Ecclesia S. Sophiæ; durationem, quod a 24ª Sept. ad 23ªm Octob. intercipitur tempus anni 787 definivit.

II. *Actio* 1ª. Post initialem Tarasii, tanquam controversiæ gnari, orationem et lectas litteras imperiales, Episcopi septem, Hieryensis conciliabuli complices, in Concilium ingressi, dicto Iconoclastis anathemate veniam rogant : Patres perlectis Apostolorum et Nicænis, de receptione resipiscentium, Canonibus, tres illorum restituunt suas in sedes, cæteris in aliam sessionem dilatis. *Act.* 2. Etiam his receptis, differtur adhuc Gregor. Neocæsareensis, memorati conciliabuli præses : leguntur Hadriani Papæ litteræ fidem exponentes, ad Augustos altera, altera ad Tarasium, ea parte tamen omissa, qua hujus e statu laicali ad Patriarchalem immediata translatio et appellatio Patriarchæ universalis usurpata reprehenditur; lectis a Concilio honorifice acclamatur et consensus præstatur. *Act.* 3ª. Gregorius Neocæsareensis, ubi professione et pœnitentia satisfecerat, recipitur : recitantur Tarasii litteræ, tum ad Orientales, tum Orientalium nomine scriptæ, cum epistola Theodori Hierosolymitani : omnes a Legatis Pontificiis probantur. *Act.* 4ª. Prolatis ex Scriptura et Traditione pro cultu imaginum testimoniis damnantur Iconoclastæ, et fidei professio editur. *Act.* 5ª. Tarasius ex Novatorum scriptis ostendit, eos secutos Gentilium, Judæorum et Hæreticorum idioma ac sensum; Patres, audita inter alia Joannis Thessalonicensis disputatione, decernunt sacras imagines pingi et in supplicatione pro more circumferri posse; quin ideo ejus rationem ab asserto Angelis corpore recitatam una probent, quos in professione fidei nupera diserte incorporales dixerant. *Act.* 6ª. Ope præsertim Traditionis perpetuæ et infallibilitatis Ecclesiæ, profligantur argumenta quæ conciliabulum pro sua definitione erronea adduxerat. Hac occasione explicatur quo sensu Eucharistia a quibusdam dicta sit antitypa corporis et sanguinis Christi; ante consecrationem nempe imago ordinaria et vacua suo prototypo, post vero singularis et illo plena. *Act.* 7ª. Editur definitio, qua præter fidei symbolum recitatum, sex Concilia œcumenica adoptata, hæreticos ab his proscriptos rursus damnatos, et confirmatum de Traditionibus dogma, decretum fuit pro imaginum cultu, et iconomachi anathematizantur. Eamdem professionem Patres Constantinopolim evocati coram Augustis repetunt, quæ a pluribus pro *Act.* 8ª et ultima habetur.

Qua actione Canones conditi sint, est incertum. Actione ultima, præter encyclicam ad omnes Ecclesias epistolam, Tarasius litteras etiam cum Conciliis actis misit ad Hadrianum summum Pontificem, qui Synodum quidem non confirmavit datis pro more ad Augustos vel Ecclesias litteris, nec quoad Canones omniaque in actionibus dicta approbavit; sed tamen quoad decretum fidei, uti antea jam docuerat, sic ratum confirmatumque habuit. Exinde porro, ex sinistra item adorationis acceptione, et perversa actorum, præsertim subscriptionis Constantini Cyprii, traductione factum est, quod libri

Carolini, Conc. Francofordiense et Parisiense et quidam scriptores seculi IX hanc Synodum damnare sint ausi.

III. Decretum fidei circa imagines ita habet : *Sequentes divinitus inspiratum sanctorum Patrum nostrorum magisterium, definimus, sicut figuram crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus et tesselis, quam quæ ex alia materia congruenter se habente, in sanctis Dei Ecclesiis, sacris vasis, et vestibus, et in parietibus, ac tabulis, domibus et viis, tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, quam intemeratæ Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, honorabiliumque Angelorum et omnium Sanctorum. Qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad prototyporum memoriam, et desiderium et ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impertiendam : ita ut istis, sicut figuræ pretiosæ ac vivificæ Crucis, et sanctis Evangeliis, et reliquis sacris monumentis, incensorum et luminum oblatio exhibeatur, quemadmodum et antiquis piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit.*

Præter anathema conjunctum singulatim in Theodosium Ephesinum, Pastillam, Basilium, Anastasium, Constantinum et Nicetam Constantinopolitanos, Joannem Nicomediensem et Constantinum Nacoliensem, idem universim dictum est his : 1. qui assumunt dicta sacræ Scripturæ, quæ sunt contra idola, in venerandas imagines; 2. qui venerandas imagines appellant idola; 3. qui dicunt, quod Christiani imagines ut Deos adorant; 4. qui non salutant sanctas ac venerabiles Iconas.

In subjecta CANONUM synopsi, qui his notis ( ) includuntur, Ecclesiæ Romanæ approbatione carent. 1. (Antiqui Canones Apostolorum et Conciliorum tum generalium tum particularium observentur). 2. Non ordinetur Episcopus, nisi Psalterium et psallendi ordinem norit, et totam Scripturam adscrutabiliter legere sciat. 3. Electio Episcopi et aliorum a Principibus, dominationis scilicet, non patrocinii titulo facta, nulla sit. 4. Episcopi a Clericis vel Monachis non exigant munera. 5. Nemo solo facultatum Ecclesiis datarum intuitu ordinetur. 6. Synodus Provincialis semel saltem in anno celebretur. 7. Ne templa consecrentur sine Sanctorum reliquiis, (et Judæi baptizati deceptores impune dimittantur ex Ecclesia; nec eorum pueri baptizentur aut servi emantur). 8. Hæreticorum scripta, præsertim contra sacras imagines, non retineantur. 9. Clericus non deserat Parochiam suam aut diœcesin, nec secularia negotia tractet. 10. Quælibet Ecclesia suum habeat œconomum. 11. Episcopi et Abbates, bona Ecclesiæ alienantes, deponantur. 12. Monasteria non fiant secularium habitacula : profanata ab Iconomachis restituantur. 13. Tonsurati, sed necdum ordinati Lectores, ne legant publice. 14. Clericus ne adscribatur duabus Ecclesiis, h. e. duo beneficia habeat, nisi Clericorum sit penuria. 15. Clerici abstineant indui pretiosis vestibus, aut imbui unguento odorato. 16. Non permittantur Clerici aut Monachi templorum vel monasteriorum moliri fabricam, nisi sumptus adsint pro consummatione. 17. Feminæ in Episcopio vel virorum monasterio non versentur. 18. Simonia a susceptione ordinum ac ingressu in Religionem absit. 19. Conjuncta Monachorum et Monialium monasteria non fiant, nec diversus Religiosorum sexus habitent in iisdem ædibus, aut familiaritatem habeant. 20. Monachi aut Moniales non transeant ad alia monasteria. 21. Christianorum convivia sint modesta : Clerici aut Monachi cum Monialibus secreto on manducent.

ŒCUMENICUM VIII. CONSTANTINOPOLITANUM IV.

I. Post resuscitatam quidem sub Leone *Armeno*, Michaele *Balbo*, et Theophilo, sed a Theodora Augusta denuo compressam *Iconoclastarum* hæresin, Constantinopolitanæ sedis vicissitudo dedit huic Synodo occasionem, et Schismati Græcorum, licet aliquoties interpolato, etiamnum tamen vigenti, initium. Res ita habet : Ignatius, *Michaelis Curopalatæ* filius, Patriarcha Constantinopolitanus sanctissimus, cum ob adulteram et incestam consuetudinem communione privasset Bardam *Michaelis* Imp. avunculum et Imperii moderatorem; hic malignis effecit artibus, ut deposito Ignatio sufficeretur Photius Patriarcha, Tarasii nepos quidem et summis dotibus instructus, sed ad quodlibet audendum impotenti ambitione paratus : quod is continuo ostendit, dum diuturna innocentum persecutione, vi ac fraudibus obtenta Episcoporum perversione, mendaci ad Pontificem relatione, et Pontificiorum Legatorum expugnatione, Constantinopoli evicit Synodum factæ mutationis confirmatricem. Idem documentis novis auxit ubi Nicolaum I verius edoctum sibi obsistentem in Romano Concilio intellexit; utpote qui Ecclesiæ Romanæ exprobrare sabbatinum quidem jejunium, mutilatam autem jejunii quadragesimalis observantiam; objicere iterationem Sacramenti Confirmationis; reprehendere usum matrimonii Sacerdotibus prohibitum, et factam symbolo additionem de Spiritus sancti ex Filio processione; ipsum denique Pontificem anathemati subjicere est ausus. Plura molientem tum certe cohibuit Basilius Michaeli sublato suffectus; qui Photio in monasterium abjecto, Ignatium restituisse haud contentus, flagitavit ab Hadriano II, Nicolai successore, Concilium, quod priores turbas et Ecclesiæ disciplinam componeret. Pontifice liberaliter annuente, et Donatum Ostiensem ac Stephanum Nepesinum Episcopos, Marinum vero Diaconum, Legatos mittente, congregantur 102 Episcopi orientales : et præsidentibus Legatis Pontificiis, Constantinopoli in templo S. *Sophiæ* habetur Concilium, 5ª Octobris. A. 869 collectum, ultima Februarii A. 870 solutum, eod. A. ab Hadriano confirmatum.

II. *Act.* 1ª. Admissis in Concilium et laudatis 12 Episcopis, qui Ignatii causa gravissime vexati fuerant, leguntur Hadriani ad Imperatorem et Patriarcham ac commendatitiæ Legatorum litteræ; tum definitio Romanæ Synodi omnes hæreses cum Iconomachis et Photio damnantis; tandem orientalium decisio ante Legatorum adventum, jam prolata : omniaque probantur.

Act. 2ª, 3ª et 4ª. Lapsi cum Photio Episcopi, oblato pœnitentiæ libello et subscripta Romana formula, recipiuntur sola impositione manuum : Clericis autem imperatur epitimium, h. e. certi jejunii et precum pœnæ : Nicæno contra et Ancyrano Episcopis refractariis negatur venia et sedes in Concilio. Recitantur tandem litteræ Basilii et Ignatii ad Nicolaum, Nicolai ad Michaelem et Photium, Hadriani ad Ignatium.

Act. 5ª et 6ª. Citatis primum Photio, dein sectariis Præsulibus, leguntur laudatæ Nicolai litteræ; utrisque nihil respondentibus aut rescipiscere nolentibus datur mutandi animi spatium.

Act. 7ª et 8, Photius ad Concilium reversus ob ferociam reprehenditur, ob contumaciam ex Nicolai et Hadriani lata jam sententia damnatur : ejus scripta cum actis habitorum ab eo conciliabulorum traduntur igni : receptis in gratiam Presbyteris quibusdam pœnitentibus, repetitur anathema in Photium et Iconomachos.

Act. 9ª et 10ª. Alexandrinæ Sedis Legatus, commendatitia ejus lecta, recipitur : ipse vero lectis et approbatis actis recipit Concilium : testes contra Ignatium pœnitentes cum cæteris recipiuntur in gratiam : eduntur et promulgantur 27 Canones : legitur fidei definitio et subscribitur : acta mittuntur Romam per Anastasium Bibliothecarium, a quo facta latina translatio sola integra extat.

A Synodo absoluta vix decennium abierat, cum PHOTIUS impostura primum in aulam, dein BASILII gratia ad sedem Patriarchalem, mortuo IGNATIO, adrepsit; quin et nova Legatorum Romanorum corruptione aliisque artibus malis, prioris Synodi acta conciliabulo Constantinopoli coacto rescidit; non diu tamen inultus; siquidem a JOANNE VIII anathemate percussus, a LEONE *Philosopho* BASILII successore iterum dejectus, exul vivere. A. 891 desierit. Illo maxime auctore jacta sunt Ecclesiam Latinam et Græcam discordiarum semina, ex contentione Romani et Constantinopolitani Patriarcharum, Bulgariam sibi vicissim vindicantium, aucta. Quamvis enim ad MICHAELEM *Cerularium* usque unio steterit utcumque; ex Græcorum tamen parte non jam sinceram satis fuisse, ostendit eorum reluctantia, in mittendis Romam Episcoporum chirographis sub finem hujus Concilii declarata.

III. Fidei definitio, præter repetitum in hæreses priores et PHOTIUM anathema, nihil admodum habet, atque in illo cum CANONIBUS convenit.

Unde eorum tantum epitomen damus. 1. Canones Conciliorum et Traditiones Patrum serventur ut secunda eloquia Dei. 2. Nicolai et Hadriani edita circa præsentem causam decreta custodiantur. 3. Sacræ imagines honorentur. 4. Photii Episcopatus et collati ab eo ordines habeantur irriti, h. e. illiciti et cum irregularitate conjuncti, non autem invalidi et nulli. 5. Neophyti non promoveantur ad Episcopatum : serventur in ordinationibus interstitia longiora, nisi dispensetur. 6. Anathema novum in Photium; 7. Item in Iconomachos; qui ad docendas scientias non admittantur. 8. Ordinatores non exigant subscriptiones ab ordinandis, queis hi illis se adhæsuros spondere cogantur. 9. Ejusmodi chirographa a Photio extorta neminem obligent; qui ob ea Photio adhærent, puniantur. 10. Ante Synodicam sententiam nemo a Patriarcha vel Episcopo se separet. 11. Error de duabus hominis animabus rationalibus, qui Photio tribuitur, damnatur. 12. Electio Episcoporum non fiat malis artibus aut tyrannide Principum. 13. Ad dignitates Ecclesiæ Constantinopolitanæ eligantur tantum, si digni adsint, e Clero ejusdem Ecclesiæ. 14. Condigne honorentur Episcopi, etiam a Principibus. 15. Bona Ecclesiæ ne alienentur. 16. Illusores rerum sacrarum subsint anathemati. 17. Præsules a Patriarcha ad synodum vocati non causentur sine Principis præsentia synodum celebrari non posse; cum hæc excusatio careat patrocinio Canonum. 18. Bona et privilegia ab Ecclesia per tricennium quiete possessa, firma maneant. 19. Metropolita subditos Episcopos prætextu visitationis ne gravet. 20. Bona Ecclesiæ in emphyteusin data prætextu Canonis annui non soluti, nisi per tres continuos annos id omissum fuerit, non repetantur; quod dum fit, fiat ordine judiciali. 21. Synodus etiam generalis non dicat sententiam audacter contra Romanos Pontifices : in Principes his aut Patriarchis reverentiam debitam negantes dicatur anathema. 22. Principes Episcoporum electionibus se non immisceant. 23. Episcopi alienæ Ecclesiæ possessiones ne invadant, nec conferant aut locent. 24. Metropolitæ ipsi fungantur suo officio, non per suffraganeos, præsertim subditorum impensis. 25. Adhærentes Photio depositi non resti-

tuantur. 26. Cuilibet Clerico læso appellare gradatim usque ad Patriarcham liceat. 27. Episcopi jure Pallii gaudentes, id non gestent extra loca et tempora a Canonibus statuta. Monachi ad Episcopatum assumpti retineant ordinis habitum.

II. CONCILIA ŒCUMENICA OCCIDENTALIA.

137. Concilia Œcumenica occidentalia numeramus; continuata cum orientalibus serie, hoc ordine et numero : Lateranense I, Lateranense II, Lateraneuse III, Lateranense IV, Lugdunense I, Lugdunense II, Viennense, Florentinum, Lateranense V, Tridentinum.

OECUMENICUM IX. LATERANENSE I.

I. Triplex universim causa fuisse videtur hujus Concilii celebrandi; ut confirmaretur scilicet : 1° abrogatio *investiturarum*, secundum pacta Callixtum inter et Henricum inita; 2° ut succureretur *Palestinæ* et *Hispaniæ* sub infidelium tyrannide gementibus; 3° ut *disciplinæ* Ecclesiasticæ, quæ per Clericorum simoniam et luxuriam corrupta erat, consuleretur.

Investituræ nomine intelligitur consensus a seculari Principe datus factæ alicujus ad Episcopatum vel Abbatiam electioni, et concessio possessionis bonorum Ecclesiasticorum, solemni aliquo ritu demonstrata. Originem ea actio traxit a Principum secularium munificentia : quæ cum non prædia solum et latifundia, sed et feuda Regalia Ecclesiis concederet, pro communi feudis omnibus ratione, exigebat ut Episcopi aut Abbates in eorum possessionem non venirent, nisi exhibito Principibus hominio et præstito fidelitatis juramento. Hæc res, quæ potuit ab initio esse inculpata, deinceps in graves degeneravit abusus. Extendebantur enim *investituræ* non ad feuda Regalia tantum, sed ad bona Ecclesiastica omnia; tollebatur electionum libertas; quin et Episcopatus et Abbatiæ venales fiebant, et hominibus indignissimis conferebantur : dumque bonorum temporalium possessio dabatur per traditionem baculi et annuli pastoralis, quæ potestatis Ecclesiasticæ signa sunt; præbebatur multis occasio credendi, a Principibus ipsam juridictionem spiritualem cum feudis conferri. Tot malis occurrere studuerunt, habitis Conciliis et decretis editis, Pontifices plures, Gregorius VII, Victor III, Urbanus II, Paschalis II, Gelasius II et Callixtus II. Confecta res facilius est cum Philippo I, Rege Francorum, qui concessa electionibus libertate, et dimisso baculi et annuli pastoralis ritu, soloque fidelitatis juramento exacto, Regalia dari consensit; difficultatem passa est cum Regibus Angliæ Wilhelmo II et Henrico I, posteriore tandem cedente, sed hominium adhuc retinente, secundum Regni scilicet morem : cum Henrico IV et V autem Imperatoribus ad schisma processit, illo *Guibertum* Ravennatensem Gregorio, hoc *Burdinum* Bracharensem Callixto antipapas objicientibus. Uterque imperator anathemate percussus, prior quidem dum parere renuit, ab Imperii Principibus exauctoratur; posterior ne exauctoretur, A. 1122, primum Wirceburgi arbitrio delectorum controversiam componendam relinquit, tum Wormatiæ in pacta convenit, eadem demum Bambergæ confirmat.

Ad hanc Sacerdotium inter ac Imperium initam pacem universi orbis consensu stabiliendam Callixtus II datis ejusdem anni mense Decembri litteris, evocavit Romam Concilium. Convenere, teste Sugerio Abbate, Episcopi 300 et amplius, ex Pamdulphi autem computo 997, Episcopi partim, partim

Abbates : præsidente ipso Callixto Pontifice, celebratum est Romæ in Basilica Lateranensi, unde et nomen gerit, mense Martio, A. 1123.

II. Actorum in hac Synodo nihil superest præter Canones, qui disciplinæ leges ex præcedentibus maxime Conciliis renovant, et de signatis Cruce edicunt. Pacta Imperatoris et Pontificis mutua, quæ a Patribus solemniter rata fuerunt habita, hæc erant;

Ex parte quidem Imperatoris : *Ego Henricus, Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei et S. R. E. et Domini Papæ Callixti, et pro remedio animæ meæ dimitto Deo, et sanctis ejus Apostolis Petro et Paulo, sanctæ Ecclesiæ Catholicæ omnem investituram per annulum et baculum, et concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem et liberam consecrationem. Possessiones et Regalia S. Petri, quæ a principio hujus discordiæ, usque ad hodiernum diem ablata sunt, quæ habeo, eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo; quæ autem non habeo, ut reddantur fideliter juvabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum, et Principum et aliorum tam Clericorum quam Laicorum, consilio Principum et justitia, quæ habeo, ut restituantur, fideliter juvabo : et do veram pacem Domino Papæ Callixto, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et omnibus qui in parte ipsius sunt vel fuerunt : et in quibus S. R. Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter juvabo.* Ex parte Pontificis autem : *Ego Callixtus, servus servorum Dei, tibi dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum et Abbatum Teutonici Regni, quæ ad Regnum pertinent, in præsentia tua fieri absque simonia et aliqua violentia : ut si qua inter partes discordia emerserit, Metropolitani et Provincialium concilio vel judicio, saniori parti assensum et auxilium præbeas. Electus autem Regalia per sceptrum a te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Ecclesiam Romanam pertinere noscuntur; et quæ ex his jure tibi debet, faciat : ex aliis vero partibus Imperii, consecratus infra sex menses Regalia per sceptrum a te recipiat. De quibus vero mihi querimonium feceris, secundum officii mei debitum, auxilium meum præstabo. Do tibi veram pacem, et omnibus qui in parte tua sunt vel fuerunt tempore hujus discordiæ.*

Pax tantis solemnitatibus constituta, adeo tamen firma non fuit, ut sequente ætate, præsertim sub Friderici I et II Imperatoribus, non recruduerit discordia, colliso rursus Imperio cum Sacerdotio : donec tandem sub Augustissimæ Domus Austriacæ Imperatoribus concordia rediit; jacta a Rudolpho I basi, a Friderico III autem, erectis Concordatis Germaniæ, feliciter consummata.

III. Canonum numerus, ordo, lectio, et inscriptio in diversis collationibus diversa est : epitome subjecta vulgatam editionem conciliorum, et Gratiani Canones insertos Callixto inscribentis decretum sequitur. 1. Simoniacæ promotiones et ordinationes ne fiant : simoniace ordinati vel promoti priventur dignitate acquisita. 2. Non fiat Præpositus aut Decanus, nisi Presbyter; nec Archidiaconus, nisi Diaconus. 3. Clericis contubernium cum concubinis et uxoribus sit interdictum; nec habitare cum feminis aliis liceat, quam quas Nicænum I permisit. 4. Sub pœna sacrilegii non disponant Laici de rebus Ecclesiasticis. 5. Matrimonia consanguineorum, divinis humanisque legibus contraria; sint infamia. 6. Burdini antipapæ ordinationes irritæ sunto. 7. Sine consensu Episcopi nemo conferat curam animarum. 8. Nemo sub anathematis pœna invadat Beneventum. 9. A suo Episcopo excommunicatus non recipiatur in communionem ab alio. 10. Nemo consecret Episco-

pum, nisi canonice electum; secus uterque deponatur. 11. Profecturi Hierosolymam ad bellum contra infideles fruantur indulgentiis; eorum bona autem Rom. Ecclesiæ tutela, lato in invasores anathemate. Cruce olim signati, sed voti non tenaces, resumant intra annum expeditionem Hierosolymitanam vel Hispanicam, alias anathemate feriendi. 12. Porticanorum, h. e. militum in Portuensi urbe, vel peregrinorum in porticibus Romæ degentium, sine hæredibus mortuorum, bona non invadantur. 13. Qui treugam seu inducias ab Ecclesia indictas violat, excommunicatus esto. 14. Laicus oblationes Ecclesiis factas capiens aut ipsas Ecclesias usurpans subsit anathemati. 15. Falsarii monetæ communione priventur. 16. Sub eadem pœna Romipetæ non molestentur. 17. Monachi chrisma, oleum infirmorum, consecrationem altarium, ordinationem Clericorum capiant ab Episcopo: externos inungere oleo ne ausint. 18. Parochi constituantur ab Episcopis; decimas et Ecclesias non recipiant a Laicis absque Præsulis consensu. 19. Servitia Episcopis a Monasteriis ab ætate Gregorii VII præstita continuentur: Monachis tricennales Ecclesiarum possessiones sint prohibitæ. 20. Anathema sit, qui Ecclesiis, Clericis, Monachis, eorumve bonis molestiam infert. 21. Clericorum et Monachorum matrimonia non contrahantur, contracta dirimantur, contrahentes puniantur secundum Canones. 22. Alienationes Exarchatus Ravennatensis, universim aliorum etiam bonorum Ecclesiasticorum, sint nullæ: ordinationes simoniacæ, aut non canonicæ, sunto irritæ, sensu scilicet præced. Conc. indicato.

OECUMENICUM X. LATERANENSE II.

I. Schisma, hæresis et disciplinæ corruptio fecerunt ut quatuor necdum lustris exactis novum Ecclesiæ universæ Concilium cogeretur. Schisma quidem ortum habuit an. 1130, ubi Innocentio II in Papam canonice electo Cardinales quidam opposuerunt *Petrum Leonis*, Civis Romani ditissimi filium, Anacletum II dictum. Prior urbe expulsus, ab Anglia tamen, Gallia, et Germania, et toto fere catholico orbe, S. Bernardi maximè opera, ut verus Pontifex est agnitus: posterior prævaluit Romæ, et an. 1138 mortuus, successorem etiam habuit Card. Gregorium, Victorem appellatum. Sed hic, depositis vestibus Pontificalibus Innocentio se submisit. Hæresin addiderunt Petrus de Bruis, ejusque discipulus Arnaldus de Brixia, quorum uterque parvulorum baptismati virtutem negavit; ille vero præterea veritatem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia oppugnavit, sacrificia et opera pro fidelibus defunctis derisit, templa et cruces sacras confringi præcepit; hic bona et possessiones Ecclesiasticis erepta, et Laicis tantum concessa voluit.

Ad pacem Ecclesiæ firmandam, tuendam fidem, et corrigendos mores, indixit hanc Synodum Innocentius II, et ipse collectis Patribus millenarium numerum ferme æquantibus, præsedit. Sessiones celebratæ sunt Romæ in Ecclesia Laterani, A. 1139, media quadragesima.

II. Actionum numerum ac materiam monumenta nulla produnt.

Canones duntaxat supersunt; ex quibus postremus primum, vigesimus tertius secundum, reliqui tertium caput causarum pro synodo hac congregata tangunt. Eorum hoc est compendium: 1. Simoniace ordinatus deponatur. 2. Pro beneficiis et rebus sacris detur aut exigatur nihil. 3. Excommunicatus ab Episcopo suo, non recipiatur ab altero. 4. Qui ob habitum indecentem moniti ab Episcopo non emendantur Clerici, deponantur.

5. Mortui Episcopi bona nemo diripiat, Ecclesiæ et successori servanda. 6. Majorum ordinum Clerici concubinarii vel uxorati priventur beneficiis. 7. Presbyterorum hujusmodi missas nemo audiat. 8. Moniales nubentes puniantur similiter. 9. Monachi et Canonici Regulares ne applicent se juri civili aut medicinæ discendis, temporalis lucri gratia. 10. Laici decimas Ecclesiarum non possideant. 11. Publica securitas præstetur omnibus. 12. Treuga inviolabiliter observetur sub pœna anathematis. 13. Usurarii sint infames : ni resipuerint, careant sepultura christiana. 14. Gladiatorum pro virium ostentatione certamina non liceant : mortuis in ejusmodi congressu negetur sepultura christiana; non tamen pœnitentia et viaticum, ea ante mortem poscentibus. 15. Percussores Clericorum subjaceant anathemati, nec nisi urgente mortis periculo absolvantur ab Episcopo : Ecclesia et cœmeterium loca asyli sunto. 16. Ecclesiastica beneficia ne sint hæreditaria. 17. Matrimonia consanguineorum sint prohibita. 18. Incendiarii ante et post mortem subjaceant pœnis. 19. Episcopus has pœnas non relaxet. 20. Relinquatur nihilominus Principibus jus facinorosos hos puniendi. 21. Presbyterorum filii arceantur ab altaris ministerio, nisi Monachi aut Regulares facti. 22. Falsa pœnitentia non admittenda : quænam illa sit. 23. Hæretici habeantur, qui Eucharistiæ sacramentum, parvulorum baptisma, sacerdotium aliosque ordines, et matrimonium damnant, aut damnantes defendunt. 24. Pro chrismate, sacro oleo et sepultura non exigatur pretium. 25. Beneficium Ecclesiasticum non recipiatur de manu Laici : recipiens privetur beneficio. 26. Femina sub Monialis habitu non habitet in privatis ædibus, nec viros hospitio excipiat. 27. Moniales non conveniant cum Monachis aut Canonicis in uno choro ad psallendum. 28. Defuncto Episcopo ne vacet Ecclesia ultra tres menses : non excludantur Religiosi ab electione, alioqui irrita futura. 29. Ballistariorum et Sagittariorum adversus Christianos ars non exerceatur sub pœna anathematis. 30. Ordinationes a Petro Leonis aliisque schismaticis factæ habeantur irritæ.

ŒCUMENICUM XI. LATERANENSE III.

I. Eædem, quæ proxime superioris, et præsentis Synodi causæ fuerunt. Schisma A. 1159 ortum cepit, quo Alexander III legitime electus atque ab Hispania, Gallia, Anglia et Oriente pro Papa acceptus, Octavianus autem sub Victoris V nomine a tribus Cardinalibus oppositus fuit; Friderico I Imperatore, quem Latini *Ænobarbum*, Itali *Barbarossam* dixerunt, antea pictura et litteris exasperato, postmodum ob investituras resumptas reprehenso, Antipapæ partes cum plerisque Germanis tuente, Italis ad alterutrum distractis. Duravit suffectis identidem Antipapis, Guidone Cremensi sub Paschalis III, Joanne Abb. Strumiensi sub Callixti III et Landino sub Innocentii III nomine, usque ad A. 1177, quo Imperator cum Pontifice Venetiis in gratiam et pacem rediit, Landino postmodum capto et in exilium deportato. Schismatis turbas auxit hæresis Waldensium et Albigensium. Waldenses a Waldo Lugdunensi mercatore dicti affectabant vitæ religiosæ genus; reprobati autem a sede Apostolica, in errores et vitia ruentes, docebant Pontifici non obediendum; abstinendum a judicio sanguinis; quemlibet justum, etiam feminam, esse Sacerdotem; impios autem, etsi ordinatos, potestate sacerdotali carere; commixtionem carnis omnem urente libidine esse licitam; illicitum juramentum omne; ac manuum laborem esse perfectorum : præterea Vetus Testamentum non agnoscebant divinum; contem-

nebant indulgentias; invocationem Sanctorum, festos dies, jejunia et purgatorium deridebant. Albigenses, in Albigesio Galliæ oppido orti, partim Waldenses, partim Manichæos sectabantur, cum quibus duo rerum principia, metempsychosin et mundum æternum statuebant; peccatum originale, resurrectionem corporum, purgatorium et infernum negabant; Sacramenta omnia abjiciebant; Ecclesiæ potestatem ferendi leges et quidpiam possidendi eripiebant.

Concilium hoc indictum est ab ALEXANDRO III et ab eodem tanquam Præside ordinatum, frequentatum a trecentis Patribus, inter quos Nectarius Abbas nomine Græcorum : celebratum Romæ in Laterano : cœptum die 5ª, et finitum 19ª Martii A. 1179.

II. Sessiones tres habitas esse scimus : qua sessione aut quo ordine quælibet ex tribus causis tractata sit, deficientibus documentis nescimus.

Qui uni superant, CANONUM summarium damus, in quibus prima vice legitur additio : « sacro approbante Concilio. » 1. Non censeatur legitime electus in Pontificem, nisi a duabus tertiis Cardinalium partibus suffragium tulerit. 2. Ordinationes Octaviani, Guidonis et Joannis Antipaparum, cum eorum actis omnibus, rescissæ sunt et irritæ. 3. Nemo promoveatur Episcopus ante 30ᵘᵐ, aut Parochus vel animarum curator ante 25ᵘᵐ ætatis annum. 4. Prælati subditos in visitatione haud gravent nimio hominum equorumve comitatu. 5. Non ordinetur quispiam sine titulo, aut alatur ab Episcopo, nisi ita ordinatus proprium habeat, quo se sustentet. 6. Nisi prævia commonitione canonica non ferantur censuræ; a Prælati sui correctione Religiosi non appellent. 7. Non exigatur quidpiam pro Præsulum aliorumve benedictione; item sepulturis et exequiis, vel benedictionibus nuptialibus : consuetudo contraria non obstet. 8. Beneficia, necdum vacantia, ne quidem promittantur : vacantia intra sex menses conferantur. 9. De manu Laici Ecclesias aut decimas nec Clerici nec Religiosi capiant sine Episcopi auctoritate : Interdicti tempore Hospitalarii et Templarii semel duntaxat in anno Ecclesias aperiant, non tamen mortuos sepelire ibidem præsumant. 10. Monachi non recipiantur in Monasterium pretio : non possideant proprium : extra Monasterium soli non versentur. 11. Clerici majorum ordinum servent continentiam : sodomia polluti, si Clerici sint, ejiciantur e Clero; si Laici, excommunicentur. 12. Clerici non sint Advocati, nisi forsan suarum Ecclesiarum aut personarum miserabilium; nec procuratores secularium. 13. Nemo plura beneficia Ecclesiastica possideat; alias acceptum recipiens amittat, tradens largiendi facultate privetur : Beneficiatus resideat. 14. Excommunicentur Clerici, qui a Laico Ecclesias recipiunt sine Episcopi consensu; Laici, qui Clericos coram suo tribunali stare compellunt; item qui decimas in alios Laicos transferunt. 15. Reditus beneficiales post mortem Clerici maneant Ecclesiis. 16. Quod a majore et saniore parte in electionibus vel ordinationibus Ecclesiasticis statuitur sit ratum. 17. Ubi Patroni vel electores discrepant suffragiis, præferatur is quem majora merita et plura suffragia commendant : si id fieri nequeat, Episcopus provideat. 18. In qualibet Cathedrali Ecclesia constituatur magister qui gratis doceat. 19. Non imponantur onera Ecclesiis aut Clericis a secularibus. 20. Torneamenta seu gladiatorum pro virium ostentatione certamina rursus sub priore pœna sint prohibita. 21. Servetur treuga. 22. Sine principum auctoritate non imponantur nova pedagia. 23. Leprosi, si separentur, proprium habeant oratorium et cœmeterium, sintque a deci-

mis immunes. 24. Arma aut quæcumque Saracenis subsidia ministrare sub anathemate non liceat. 25. Usurarii manifesti priventur communione et sepultura. 26. A Christianis non recipiantur domo Judæi et Saraceni, nisi conversi. 27. Waldenses et Albigenses, hæretici et eorum defensores anathemati subsint : bellantibus contra eos sint indulgentiæ. Plures ex hoc et superiore Concilio Canones inserti sunt Juri Canonico sub præsidum Paparum nomine.

ŒCUMENICUM XII. LATERANENSE IV.

I. Trinum hujus Concilii finem exposuit INNOCENTIUS III habita in ejus exordio oratione, liberandi nempe *TERRAM SANCTAM* a Mahometanorum tyrannide; extirpandi WALDENSIUM et ALBIGENSIUM hæresin, damnandique JOACHIMI et ALMARICI errores; et reformandi Ecclesiasticam *disciplinam*. De sacris expeditionibus dicetur infra; de Waldensibus et Albigensibus dictum supra : de erroribus reliquorum nunc dicendum. PETRUS Parisiensis Episcopus, ob nativitatem Novaræ in Longobardia *Lombardus*, ob libros sententiarum *magister sententiarum* dictus, emendata docendi forma, ex genuinis Theologiæ fontibus concinnarat opus scholasticum, indicato 4 librorum titulo inscriptum. Id quamvis plausu tum acciperetur summo, et plurimorum postea illustraretur commentariis, non caruit tamen nævis variis, inter quos gravissimi sunt, quæ numerantur a quibusdam, viginti sex opiniones erroneæ. Earum quamdam dum ALEXANDER III abrogandam litteris præciperet Archiepiscopo Senonensi, occasio videtur data *Joachimo* Abbati Floriacensi in Calabria, scribendi contra Petrum eumdem libellum; in quo assertam in divinis non trinitatem sed quaternitatem eidem imponens, ipse docebat nullam rem esse, quæ sit Pater et Filius et Spiritus sanctus; et unitatem naturæ seu essentiæ in tribus Personis non esse veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam, ad modum illius qua multi homines unus populus, et plures fideles una Ecclesia dicuntur. Errorem hunc, non animi perversitas, sed subtilioris Theologiæ ignorantia peperit; cum plura errorum monstra furor et insania *Almarici* ortu Carnotensis, professione clerici et Doctoris Parisiensis protulit. Eorum e numero sunt, Christi corpus non magis esse in pane, quam in re alia qualibet; nullam esse resurrectionem, nullum paradisum, nullum infernum; thurificationem in Ecclesia esse idololatricam; adulteria aliaque flagitia non esse peccata, si ex charitate fiant; Deum in Ovidio, sicut in Augustino locutum.

Indixit hoc Concilium INNOCENTIUS III et eidem præsedit. Adfuerunt Episcopi 412; Patriarchæ Orientales 2 præsentes, 2 per legatos; Primates et Metropolitani 77; Abbates et Priores 800, et amplius; absentium Prælatorum et Capitulorum procuratores innumeri; denique Imperatorum et Regum Oratores plures. Romæ in Basilica *Lateranensi* celebratum est mense Novembri An. 1215.

II. Inter acta Synodi hujus refertur translatio ditionum Comitis Tolosani ad Simonem comitem Montis fortis, confirmatio Frederici II in Imperio, Stephadi Cantuariensis Archiepiscopi, ob neglectum de censuris ferendis Pontificium mandatum, suspensio, et de Toletano Primatu disceptatio. Magis authentica et ad fines Concilii pertinentia sunt Decretum quo sacræ expeditiones ordinantur, et Canones quibus tum hæreses et errores, intactis JOACHIMI persona et Monasterio Floriacensi, damnantur, tum mores refor-

mantur. Canones plerique in Gregorii IX decretales relati, sub Concilii generalis sine addito positi nomine laudantur.

Decretum pro sacris expeditionibus : 1. Cruce signatis pro tempore calendas Junii, pro loco Brundusium ad conveniendum præstituit : 2. Monet Sacerdotes fungi recte officio suo, omnes abstinere a dissensione, non præsumere de se, sperare in Deo : 3. Clericis huic expeditioni adjunctis perceptionem beneficiorum integram per triennium concedit : 4. Qui votum expeditionis fecerunt, excommunicatione ad implendum illud compelli, alios ut faciant a Prælatis incitari jubet : 5. Præter magnam pecuniæ vim a Pontifice sponte in hoc opus collectam, decernit vigesimam proventuum Ecclesiasticorum partem in triennium conferri : 6. Signatos cruce ab oneribus omnibus liberat, eorum bona sub S. Petri tutela recipit, de iis usuras exigi vetat : 7. Piratas expeditionis turbatores eorumque qualibet ratione adjutores, aut subsidia qualiacumque Saracenis ferentes anathemate percellit : 8. Pro trajectione expeditionis facilitanda prohibet navigationem aliam in terras Saracenorum : item torneamenta per triennium : 9. Treugam Principibus christianis per quadriennium imperat : 10. Expeditionem vel armis vel subsidio juvantibus, corde contritis et ore confessis, indulgentias plenarias impertit.

Canones *dogmatici*. 1. Contra Hæreticos varios exponit fidem catholicam de Deo, de Trinitate, de creatione, de revelatione, de incarnatione, de Christi vita et morte, de judicio, de resurrectione, de vita altera, de Ecclesia, de Sacerdotio Christi, de Eucharistia, de transsubstantiatione, de potestate Eucharistiam conficiendi, de Baptismi forma et subjecto, de pœnitentia, de mediis salutis et salute etiam a conjugatis obtinenda. 2. Damnat libellum Joachimi contra Lombardum : libelli doctrinam et rationem refert primo, dein refutat, et Lombardi sententiam tanquam catholicam exponit ac probat : damnat ut hæreticos cum Joachimo sentientes, Joachimi tamen personam et Monasterium nulla afficiendum pœna excipit : demum Almarici doctrinam, quam non tam hæreticam quam insanam censet, reprobat et condemnat. 3. Excommunicat hæreticos alios omnes cujuscumque nominis, eos post damnationem seculari potestati subjicit, eorumque bona fisco addicit : hæreticorum exterminatores privilegiis ornat, toleratores pœnis afficit : sine Episcopi licentia prædicantes communione privat. 4. Excommunicat, et si perrexerint, deponit Sacerdotes Græcos, qui execrantur Latinos Sacerdotes, aut lotione pollui ab his altaria sacrificiis declarant, vel a Latinis baptizatos rebaptizant. 5. Antiquam controversiam definit, post Romanum Patriarcham, primum Constantinopolitano, secundum Alexandrino, tertium Antiocheno, quartum Hierosolymitano locum tribuendo : præcipit ut Patriarchæ a Papa, subjecti a Patriarchis pallium accipiant; appellationem ad eosdem statuit, salva appellatione ad Sedem Apostolicam.

Canones *morales*. 6. Concilia provincialia singulis annis celebrentur a Metropolitis. 7. Prælati corrigant excessus subditorum, maxime Clericorum. 8. Contra delinquentes procedatur vel per accusationem, quam legitima inscriptio, vel per denuntiationem, quam charitativa admonitio, vel per inquisitionem, quam clamosa insinuatio seu infamia publica præveniat. 9. In eadem civitate ne sint duo Episcopi : tolerentur tamen ritus diversi, cuilibet proprii. 10. Episcopi constituant prædicatores et Confessarios idoneos. 11. Constituant iidem in Cathedralibus Ecclesiis magistrum, qui sacras paginas et ad curam animarum pertinentia, in aliis, qui grammati-

cam doceat. 12. Singulis trienniis instituantur Capitula Religiosorum. 13. Non instituantur novi Religiosorum ordines; Abbas unus non præsit Monasteriis pluribus. 14. Clerici incontinentes puniantur secundum Canones : qui pro more regionis non abdicarunt copulam, iis matrimonio uti liceat. 15. Abstineant Clerici a crapulis, ebrietate, venatione. 16. Iidem abstineant a negotiis secularibus statum eorum dedecentibus, aleis et tabernis : tonsuram et coronam gerant : vestiantur modeste et congrue, tum in, tum extra Ecclesiam. 17. Abstineant a comessationibus et confabulationibus illicitis : intersint diligenter divinis officiis. 18. Non intersint judicio sanguinis, nec exerceant chirurgiam quæ fit per ustionem vel incisionem. 19. Vasa et supellectilia Ecclesiæ sint munda. 20. Eucharistia et chrisma custodiantur sollicite. 21. Omnis utriusque sexus fidelis, post discretionis annos, saltem semel in anno, peccata omnia confiteantur Sacerdoti proprio, pœnitentiam injunctam pro viribus impleat, ad minus in Pascha Eucharistiam reverenter suscipiat; alioqui vivens ingressu Ecclesiæ, mortuus sepultura christiana careat. Justa ex causa proprio confiteri nolens, ab illo licentiam habeat confitendi Sacerdoti alteri, ab isto alias non absolvendus. 22. Medicus corporis ad ægrum ante omnia curet vocari medicum animæ; nec suadeat aliquid quod animæ obsit. 23. Ecclesia cathedralis aut regularis non vacet ultra tres menses, devolvendo alias jure ad proxime superiorem, qui ipse ultra hoc tempus non differat provisionem. 24. Electio legitima fiat vel per inspirationem, vel per scrutinium, vel per compromissum : qui aliam viam tentaverit, ea vice eligendi jure privetur. 25. Electio per secularem potestatem nulla, eique consentiens inhabilis sit ad dignitatem. 26. Confirmator examinet electionem factam et electi habitudinem : electo extra Italiam fas sit administrare Ecclesiam, nihil tamen alienare. 27. Episcopi promovendos ad Sacerdotium instruant aut instrui curent. 28. Qui postularunt facultatem renuntiandi beneficio, ea obtenta compellantur eidem renuntiare. 29. Possidens jam beneficium curatum, et aliud recipiens, priori sit privatus ipso jure; utrumque retinere volens, privetur etiam altero : in eadem Ecclesia nemo plures dignitates vel personatus, etiam non curatos, simul habeat : fas tamen sit sedi Apostolicæ cum sublimibus et litteratis dispensare. 30. Ad Ecclesias assumantur idonei, rejectis indignis. 31. Canonicorum filii, præsertim spurii, ne fiant Canonici in eadem Ecclesia. 32. Parochus congruam portionem habeat ex proventibus Ecclesiæ : deserviat per se ipsum, nisi Parochia annectatur præbendæ vel dignitati. 33. Procurationes ratione visitationis debitæ extra actualem visitationem non exigantur; et sint moderatæ. 34. Neque exigatur plus quam solvatur in procurationem Legati vel alterius visitantis. 35. A judice legitimo ante sententiam latam ne appelletur, nisi justa causa judici exposita. 36. Sententiam interlocutoriam vel comminatoriam, lite pendente, revocare judici liceat. 37. Per litteras Apostolicas ad judicem, ultra duas diætas remotum, nemo trahatur, nisi litteræ de partium assensu sint impetratæ, aut hujus Canonis specialis fiat mentio : absque speciali autem mandato Domini sui pro illo litteras ne quis impetret. 38. Judex curet omnia judicii acta diligenter conscribi. 39. Si quis a fure rem alienam scienter acceperit, contra possessorem spoliato hujusmodi succuratur per restitutionis beneficium, licet non probetur dominium, et rigor juris civilis obstet. 40. Actori ob adversæ partis contumaciam detentione adjudicata rei, quam tamen consequi prohibetur a reo, actor post anni lapsum sit verus rei dominus, et omnia possessionis commoda consequatur. 41. Absque bona

fide nulla valeat præscriptio sive canonica sive civilis. 42. Ne Clerici jurisdictionem suam extendant in præjudicium justitiæ secularis. 43. Clerici qui nihil temporale habent a Laicis, ne cogantur ab his fidelitatis Sacramentum præstare. 44. Feudorum aliorumve bonorum Ecclesiasticorum alienatio, licet probata per Laicorum constitutiones, non valeat sine consensu Ecclesiasticarum personarum. 45. Patroni, advocati, vicedomini Ecclesiarum non plus usurpent quam quod jure concessum : iidem vel beneficiati si Clericum occiderint vel mutilarint, amittant munus vel beneficium, prorogata pœna irregularitatis in quartam eorum generationem. 46. Confirmatur Can. 19 Concilii superioris : si sit necessitas, ut subsidium ferat Ecclesia, id fia sine coactione, ubi Laicorum facultates non sufficiunt, consulto prius Papa. 47. Non feratur excommunicationis sententia, nisi monitione præmissa, præsentibus personis idoneis, et justa manifestaque de causa. 48. Qui judicem recusat ut suspectum, recusationis causam coram eo proponat, et simul cum parte vel judice arbitros eligat : causa ab his non probata, judex pergat; probata, rem ad Superiorem remittat, vel recusatore volente committat tertio : ubi manifestum est crimen, appellationis ratio non habeatur. 49. Nemo ex cupiditate vel avaritia ferat aut solvat excommunicationem. 50. Prohibitio matrimonii inter consanguineos ad 4um gradum sit restricta; in 2° et 3° genere affinitatis sit sublata. 51. Clandestina matrimonia sint prohibita : proles ex his susceptæ censeantur illegitimæ. 52. Testes de consanguinitatis gradibus sint de visu, nec sufficiant amplius de auditu; scilicet dum agitur de matrimonio ex hoc capite dissolvendo. 53. Prædia decimalia non tradantur excolenda hominibus, nisi qui decimas integre solvunt. 54. Solvantur prius decimæ ex fructibus, quam census et tributa; quæ si prius soluta fuerint, ex his decimas solvi oportet. 55. Etiam regulares propriis manibus terras colentes, si hæ decimis obnoxiæ sint, ex illis has solvant. 56. Non fiant elocationum aut infeudationum pacta, queis in præjudicium Parochiarum decimæ ad locatores divertantur : percepta ex his restituantur Parochiis. 57. Fit declaratio privilegiorum Religiosis concessorum, præsertim circa confraternitates, et Ecclesias tempore interdicti. 58. Indultum Religiosis conceditur etiam Episcopis celebrandi missam cum certis conditionibus, interdicti tempore. 59. Religiosi non fidejubeant sine Abbatis aut Capituli consensu; nec accipiant mutuo pecuniam, ultra summam communi providentia constitutam, Conventu alioquin libero : nisi manifeste constet, negotium redundasse in communitatis bonum. 60. Abbates, nisi specialiter concessum habeant, non se ingerant iis quæ sunt officii Episcopalis circa causas matrimoniales, pœnitentias publicas, indulgentias. 61. Regulares Parochias vel decimas sine Episcoporum consensu de manu Laicorum non recipiant : excommunicatos vel interdictos non admittant ad divina : in Ecclesiis, ad ipsos pleno jure haud spectantibus, instituendos Episcopis non præsentent presbyteros, qui ipsis de temporalibus rationem reddant : institutos non removeant inconsultis Episcopis : præsentent idoneos. 62. Sacræ Reliquiæ non sint venales, nec ostendantur extra capsam : de novo inventæ, nisi a Papa approbatæ, publicam venerationem non habeant : circa eas vitentur deceptiones, figmenta et falsa documenta. 63. Nihil exigatur pro Episcopi consecratione, Abbatis benedictione, Cleri ordinatione. 64. Non recipiantur Moniales pro pretio, statuta in recipientem et receptam pœna perpetuæ relegationis in locum arctioris regulæ : eadem usura Monachis et Regularibus sit prohibita. 65. Episcopi nihil exigant pro concessione Insti-

tutionis beneficialis, Professionis religiosæ aut sepulturæ. 66. Exequiæ mortuorum, benedictiones nuptiales, administrationes Sacramentorum fiant gratis, servata tamen pia et laudabili locorum consuetudine. 67. Judæis, qui immoderatas usuras a Christianis sumpserint, cum his non concedatur commercium donec illis satisfecerint : compellantur iidem ad decimas ex bonis huic oneri ante obnoxiis, solvendas. 68. Judæi a Christianis habitu distinguantur; diebus lamentationis et Passionis Dominicæ non prodeant in publicum : non sinantur blasphemare Christum crucifixum. 69. Officiis publicis non præficiantur Judæi aut Pagani. 70. Ne permittantur Judæi aliique ad fidem conversi hanc cum veteribus eorum ritibus permiscere.

OECUMENICUM XIII. LUGDUNENSE I.

I. Ex quinque Concilii hujus indicti causis, facile princeps et uberius agitata est actio contra Fridericum II Imperatorem; quæ ut perspiciatur accuratius, alteram de Expeditione sacra addimus, simulque susceptarum omnium brevem synopsin addimus.

EXPEDITIONES, ob finem *sacræ*, ob crucem prædicatam et militantium vestibus assutam *Cruciatæ*, suscipiebantur principaliter contra Mahometanos pro recuperanda aut defendenda Terra sancta seu Palestina; tum etiam contra eosdem, Hispaniam vel aliam orbis christiani provinciam invadentes; denique contra Hæreticos, præsertim Albigenses in Gallia, et postea Hussitas in Bohemia, aliosve Pacis Ecclesiasticæ perturbatores. Decem hujusmodi celebriores numerantur. 1ª Cohortante Urbano II suscepta est A. 1096 principe Godefrido Bullionio Duce Lotharingiæ : expugnatis Nicæa in Bithynia, Antiochia in Syria, ac tandem Hierosolyma; Dux victor regnum Hierosolymitanum acquisivit et condidit. 2ª A. 1101 sub Welfone Bavariæ Duce adornata, tripartito ex Germanis, Gallis et Italis exercitu, cassa est reddita ab Alexio Comneno Imp. Græcorum, Latinorum potentiam in Asia ægrius ferente, accedente etiam immaturo Bullionii obitu. Interea A. 1104. Hospitalarii, Equites primum Hierosolymitani S. Joannis, post Rhodii, dein Melitenses dicti; A. 1118 autem Templarii Equites sunt orti : quorum priores ad Christi sepulchrum peregrinos excipere hospitio; posteriores, fixis juxta templi porticum sedibus, peregrinos in Palæstinam deducere ex instituto; utrique eosdem contra grassatores et infideles defendere ex militari zelo susceperunt. 3ª Prodiit Eugenio III auctore, S. Bernado prædicatore, Conrado III Imperatore et Ludovico VII, Rege Galliæ Ducibus A. 1145 concitata : ingentem belli apparatum Manuelis præcipue Imp. Græci invidia et perfidia attenuavit primum; orta subin inter Duces æmulatio et discordia ne expugnato quidem Damasco, penitus perdidit. Tum vero, quæ ante jam inclinarat, ad ruinam properabat Palæstina; Saladino post victum captumque Guidonem, Hierosol. Regem, tota regione, unis Tripoli, Tyro et Antiochia exceptis, potito. 4ª Pro reparando tanto malo, agente Gregorio VIII sub Ducibus Friderico I Barbarossa, Philippo II Galliarum, Richardo I Angliæ Rege et Leopoldo Austriaco, A. 1190 coaluit; majore exspectatione quam fructu, ob Friderici in Cydno amne balneantis interitum, et discordiam reliquos inter Duces concitatam. Ptolemaide enim capta redierunt : eo in interitu erepta Græcis Cyprus, Guidoni nuper ejecto data, exulis familiæ jacturam aliquantulum sarcivit. Accessit sub hæc tempora, scilicet A. 1192 tertius militum ordo, nempe Teutonicus, pro Germaniæ nobilitate; cum Hospitalariorum et Templariorum potissima pars ex Francis et Belgis con-

flaretur. 5ª Urgente Cœlestino III, duce Henrico VI Barbarossæ filio An. 1195 movit, sed prosperos sub initium successus discordia rursus et perfidia evertente. 6ª Excitatore Innocentio III, An. 1204 suscepta est sub Balduino Flandriæ Comite, qui, dum Dandolo Venetorum duci junctus, facto per Thraciam itinere, Græcos compulisset, ut Alexium Angelum juniorem reciperent Imperatorem, ob cædem novi Imperatoris Constantinopolim reversus, hac urbe expugnata, ipse a Latinis constitutus est Imperator Orientis in Europa; Græcis interea Nicææ primum, tum Trapezuntii, novum Imperium Orientis in Asia erigentibus. Cum tamen expeditio hæc parum prodesset Terræ sanctæ; 7ª Ab Innocentio III in Conc. Lateranensi IV est indicta, et An. 1217 ductoribus Andrea Rege Hungariæ et Leopoldo Duce Austriæ suscepta; cujus fructus fuit Hierosolyma et Damiata expugnata. Utraque autem haud multo post in Saracænorum potestatem relapsa. 8ª Successit Gregorii IX hortatibus et Friderici II auspiciis, qui An. hujus seculi 15, cruce jam signatus, sed voti hactenus negligens, tandem vi anathematis compulsus, aut etiam desponsa sibi Joantha et illato in dotem Regni Hierosolymitani jure excitatus; An. 1228 in Orientem movit, expugnata cum quibusdam oppidis Hierosolyma, anno altero Rex ejusdem coronatus: sed inita cum Barbaris, quos perdere poterat, pace præpropera redux, omnem brevi post fructum, occupantibus pristina Saracenis, amisit. 9ª In præsenti Concilio decreta, S. Ludovicum Galliarum Regem habuit ductorem, et Damiatam expugnatam fructum, qui tamen capto postea Rege et urbe pro lytro reddita, non fuit diuturnus. 10ª An. 1270, resumpta est eodem S. Ludovico arma sacra transferente in Africam, Eduardo Angliæ Rege movente in Asiam: cum vero Galliarum Rex, expugnata Carthagine, in Tuneti obsidione sanctissime moreretur, Carolus Regis frater cum Tunetanis pacem, Eduardus cum Palæstinæ dominis inducias pactus, in Europam redierunt.

Non violati duntaxat voti et ingratitudinis erga sedem Apostolicam, sed et aliorum criminum, excitata maxime Gibellinorum Cæsari et Guelforum Pontifici addictorum factione, reum se fecerat Fridericus II ideo ab Innocentio III et Gregorio IX ter anathemate innodatus. Proposuerat ei Innocentius IV conditiones pacis: has vero quoniam Princeps cum Ecclesiæ contemptu rejecerat, ille non tutum sibi ratus remanere Romæ, clam cum Cardinalibus quibusdam recepit se in Galliam; ubi occursurus tot malis, indixit generale Concilium, evocatis etiam Regibus ac Principibus, speciatim Friderico comparere jusso. Adfuerunt, præter plurimos Abbatum procuratores et capitulorum deputatos, 104 Episcopi, inter quos Constantinopolitanus, Antiochenus et Aquileiensis Patriarchæ: ex secularibus Principibus Balduinus Imp. Constantinopolitanus: Fridericus autem non nisi per Legatos, quorum præcipuus erat Thaddæus de Suessa, Cameræ Imperialis Judex. Congregatum est Concilium Lugduni in Gallia, in ædibus monachorum S. Justi, præside ipso Innocentio IV Pontifice: sessionibus quinque, si præliminarem adjicias, aut tribus duntaxat juxta vulgatam sententiam, fuit circumscriptum, pro initio 28ª Junii, pro fine 17ª Jul. A. 1245 assignatis.

II. Spoponderat quidem in Congregatione prævia Thaddæus, appellatis etiam Regum Galliæ et Angliæ oratoribus tanquam vadibus, Fridericum satisfacturum pro damnis et injuriis datis, aliaque additurum pro rebus Christianis opera ac merita; ut Synodi examine et judicio declinatis causam cum Pontifice componeret: sed noluit fidere promissis Innocentius; tum quia

fallacia illa jam sæpius erat expertus : tum quia et Principali suo ignorante obtulerat obsides, et fidejussio imprudenter acceptata Ecclesiam cum duobus adhuc Principibus committere poterat. Itaque *Sessione* 1ª. Pontifex Concilii causas exponens, dixit de excessu Prælatorum ac Clericorum mores suos ad Canones non componentium; de subsidio Orientalibus ferendo adversus Saracenos, capta Hierosolyma, Ecclesiæ ruinam minitantes; de mediis ad impetum Tartarorum, Hungariam vicinasque regiones infestantium, reprimendum aptis; de Græcorum schismate in dies accrescente; de Friderici denique sceleribus : in quo postremo capite cum uberius perorasset, Imperatoris causidicus Thaddæus eloquenter magis quam solide respondit, objecta crimina alia inficiando, excusando alia, quædam in Pontifices ipsos retorquendo. *Sess.* 2ª. Eadem causa agitata est, Episcopis quibusdam contra Imperatorem, Legato ejus pro illo dimicantibus : quo demum postulante datæ sunt duarum hebdomadum induciæ; ut vel ipse Imperator responsurus adesset, aut Legato ampliorem facultatem daret, circa schismatis et hæreseos objectionem. *Sess.* 3ª. Instituta pro festo Nativitatis Beatissimæ Virginis Octava, editi sunt Canones seu constitutiones, præter Decreta causas Concilii attingentia, judicialem formam regulantes. *Sess.* 4ª. Perlato ad Concilium contumaci Imperatoris, Synodo parere renuentis, nuntio, discesserunt ab ejus partibus plures : auditæ contra eum accusationes : queis respondendo cum Thaddæus non proficeret, appellavit ad Concilium proxime futurum generalius : appellatione autem rejecta, demum lata est in Fridericum excommunicationis et depositionis sententia, in qua scelera Imperatoris recensente, declaratur is reus violatæ pacis, Ecclesiam inter et Imperium initæ; sacrilegii in captione et violenta detentione Cardinalium et Antistitum, ad Concilium a Gregorio IX Romæ indictum proficiscentium; Pontificiæ dignitatis læsæ per famosas in eumdem Pontificem epistolas; invasionis patrimonii S. Petri, contemptus censurarum Ecclesiasticarum iteratarum; Ecclesiæ in sacris præsertim electionibus oppressæ; tyrannidis in Clericos, ad duella subeunda coactos; Romanæ Ecclesiæ frustratæ censu debito propter Siciliam jure beneficiario ab Ecclesia Romana acceptam.

Concilii hujus Canones ad judicii formam pertinentes Libro sexto Decretalium inserti, cum reliquis hæc continent : 1. Dum Papa Rescripto delegat judicem, cum clausula ut quidam alii etiam conveniri coram eo possint; tantum quatuor alii, in citatorio nominandi possunt conveniri. 2. Delegati sedis Apostolicæ sint in dignitate constituti, et tantum in civitatibus. 3. Vota conditionalia alternativa, dubia et incerta reprobentur, et habeantur pro non adjectis. 4. Delegatus nequeat compellere partes, ut personaliter compareant, nisi ad hoc speciale mandatum habeat, aut sit causa criminalis. 5. Exceptio peremptoria non impedit litis contestationem, nisi sit rei judicatæ aut transactæ. 6. Conservatores dati defendant sibi commissos, nec extendant potestatem ad judicialem indaginem. 7. Actor non comparens in termino per citationem præfixo, comparenti reo condemnetur in expensas : ad ejus petitionem non amplius citetur reus, nisi actor caveat de judicio sisti. 8. Volens contra alium plures movere quæstiones, omnes tractet coram iisdem judicibus : aliter rescripta obtenta non valeant, nec processus; parti ad diversos judices tractæ teneantur ad expensas. 9. Qui litigat de beneficio obtinendo, non mittatur in ejus possessionem, possessore licet contumaci; sed lite non contestata procedatur ad sententiam finalem. 10. Appellans ad Papam appellet in scripto, expressa causa et Apostolis petitis.

11. Judex recusatus statuat arbitris terminum ad cognoscendum de recusationis causis : eo elapso judex procedat in causa principali. 12. Excommunicatio in participantes cum excommunicatis non teneat, nisi præmissa monitione. 13. Ecclesiæ administrator novus faciat inventarium, solvat debita, nihil alienet, debita non contrahat aut oppignoret absque solemnitate et causa legitima, annuam reddat rationem. 14. Pro subsidio Imperii Constantinopolitani, ex dignitatibus et a residentibus non integre medietas, a reliquis tertia pars proventuum Ecclesiasticorum per deputatos Ecclesiæ Romanæ colligenda detur, exceptis tamen cruce signatis, a residentia legitime excusatis, et apud Cardinales et Prælatos Romanos obsequia obeuntibus : subsidium ferentes gaudeant indulgentiis et privilegiis, queis Terræ sanctæ succurrentes gaudent. 15. Moneant de subsidio ferendo Prælati populum sibi commissum. 16. Contra Tartarorum incursus muniantur terræ; de illorum motibus moneatur sedes Apostolica, subsidium procuratura, imperatura, destinatura. 17. Decernitur expeditio in Terram sanctam, eodem fere tenore, quo postremum Concilium est usum.

Canones Innocentio IV, et huic Concilio inscriptos alios duodecim reperire est in Libro Decretalium sexto, Titulis de Electione, Exceptione, Homicidio, Officio Ordinarii, Privilegiis, Restitutione spoliatorum, Sententia et Re judicata, Sententia Excommunicationis et Testibus; ab Actis tamen Concilii absunt. Cæterum nec superiores omnes in ipso Concilio factos testatur Matthæus Parisius.

ŒCUMENICUM XIV. LUGDUNENSE II.

I. Præter repetitas jam causas, de subsidio *TERRÆ SANCTÆ* et morum *REFORMATIONE* urgendis, præcipua pro hoc Concilio congregando fuerat *UNIO* cum *Græcis* resarcienda. Steterat ea utcumque post Photii alteram depositionem per Seculum etiam decimum, quantumvis Ecclesiæ Latinæ luctuosum, et amplius; atque frustratis Patriarcharum Constantinopolitanorum conatibus (præsertim Nicolai mystici in impugnatis tertiis et quartis nuptiis, Theophylacti in obtento Pallii proprio jure, Sisinii et Sergii in vulgatis rursus litteris et calumniis Photianis, Eustathii in postulando Patriarchæ œcumenici titulo) Primatus Romani Pontificis a Græcis adhuc agnoscebatur. Post medium vero Seculi undecimi, bellum et schisma restauravit Michael Cerularius, ut Constantinopoleos Patriarchatu, quem contra Canones occuparat, impune frueretur, et vindicaret negatum quoddam sibi privilegium; usus eam in rem, præter vim et artes, seditioso Nicetæ Pectorati scripto, quod litteris suis munitum ad Orientis Episcopos et Monachos emiserat. Re causaque comperta, Leo IX, summus Pontifex, tum scriptis ad Cerularium pro stabiliendo Primatu et diluendo schismatis prætextu litteris, tum Legatis tribus Constantinopolim missis, redintegrare pacem studuit : jamque Legatorum Princeps Humbertus Cardinalis edita confutatione effecerat, ut Pectorati libro flammis addicto, Constantinus Monomachus Imperator ne quis Ecclesiæ Romanæ Primatum et doctrinam impugnaret, ediceret : sed Imperatore subin mortuo, Cerularius apud Theodoram rerum potens rupit unionis negotium; et Oriente ob dominantia vitia non minus quam hæreses grassantes in casum jam prono, tres Patriarchas in schismatis communionem pertraxit. Tentata quidem sub Comneno reunio, spes etiam ejus a Manuele facta, et flagitatio ab Alexio Angelo seniore ad Innocentium III, delata est, quin et a Latinis Imperatoribus in Thraciam,

Græciam et Bulgariam reducta, aliquandiu stetit : verum reliquis Græcorum in provinciis, Theodori Lascaris præsidio tutum, duravit schisma; expulsisque a Joanne Duca et Alexio Latinis, iisdem ductoribus rediit in sedes pristinas : donec Michael Palæologus, ex politica etiam Imperii recuperati a Cruciatarum periculo liberandi ratione, tractare cum Pontificibus de unione cœpit, Patriarcha quidem contumaci et repugnante, Episcopis autem plerisque cedentibus, maxime Joanne Vecco, Græcorum doctissimo. Ad negotium tantum penitus conficiendum Gregorius X indixit, ipseque præsens rexit generale Concilium, ad quod confluxere Cardinales 15, Patriarchæ 2, Archiepiscopi 70, Episcopi 500, Abbates 79, Prælati inferiores 1000 et amplius, una cum Imperatorum et Regum Legatis pluribus, ipsoque Jacobo Aragoniæ Rege, sed post Sess. 2ᵃᵐ digresso : vocatus etiam fuerat S. Thomas Aquinas, mortuus tamen in itinere, et S. Bonaventura, itidem defunctus, sed in ipso Concilio, in quo antea Cardinalis et Episcopus Albanensis, creatus fuerat. Celebratum vero est Lugduni Galliarum, in Ecclesia Principe S. Joannis, tenuitque a 7 Maii ad 15 Jul. A. 1274.

II. *Sessione* 1ª. Pontifex habita ad Patres oratione exponit triplicem hujus Concilii finem. Tempore hanc inter et sequentem Sessionem intercepto, decernuntur in sexennium decimæ omnium redituum Ecclesiasticorum pro subsidio belli Hierosolymitani. *Sess.* 2ª. Promulgantur constitutiones fidei de processione Spiritus sancti et Primatu Romani Pontificis. Abbates cum inferioribus Prælatis dimittuntur a Concilio. *Sess.* 3ª. Publice edicuntur Constitutiones duodecim ad electionem Episcoporum et ordinationem Clericorum spectantes. Post eam appellunt Græci. *Sess.* 4ª. Admissis ad Concilium Græcorum Legatis, quorum alii Imperatoris, alii Episcoporum oratores erant, Pontifex rursus causas Synodi exponens, in Græcorum adventu declarat et laudat eorum liberrimam obediendi promptitudinem et a spe ac respectu temporalium exemptam : Legati litteras Imperatoris et Metropolitanorum publice legendas offerunt; tum suo illorumque nomine schisma ejurant, acceptant professionem Fidei Ecclesiæ Romanæ, agnoscunt Papæ primatum per universam Ecclesiam, jusque appellationis ad sanctam sedem, et addito juramento de obedientia Romano Pontifici debita perpetuo custodienda unionem integram restaurant. His actis cantatur Hymnus Ambrosianus, symbolum item Fidei primum latine a Latinis, tum græce a Græcis, cum additione *Filioque* ter ab ipsis repetita. *Sess.* 5ª. Excipiuntur Legati Tartarorum Principis ab eodem missi ad fœdus contra Turcas ineundum. Promulgantur quatuordecim reliquæ constitutiones : solemnes exequiæ mortuo post 4ᵃᵐ Sessionem S. Bonaventuræ persolvuntur. *Sess.* 6ª. Editis constitutionibus duabus, altera de Religiosis ordinibus, altera quæ interiit, et morum emendationibus aliis curæ ac vigilantiæ Prælatorum commendatis, Pontifex finem Concilio imponit, Græcosque cum muneribus et litteris dimittit, adjuncto a se Legato, Abbate Cassinensi.

Legationem et Concilium acceptavit græcum Imperium, et habito Concilio omnia acta habuit rata, inserto rursus dyptichis Pontificis nomine cum elogio summi Ecclesiæ Apostolicæ Pontificis et Papæ œcumenici; exauctorato, qui unus obstabat, Josepho, et Joanne Vecco substituto Patriarcha Constantinopolitano.

III. Constitutio synodica de processione Spiritus sancti sic habet : *Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre et Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio,*

non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedat. Hoc professa est hactenus, prædicavit et docuit : hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur et docet sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium et magistra : hoc habet orthodoxorum Patrum atque Doctorum Latinorum pariter ac Græcorum incommutabilis et vera sententia. Sed quia nonnulli, propter irrefragabilis præmissæ ignorantiam veritatis, in errores varios sunt prolapsi; nos hujusmodi erroribus viam præcludere cupientes, sacro approbante Concilio damnamus et reprobamus omnes, qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum sanctum ex Patre et Filio procedere; sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio, tanquam ex duobus principiis, et non tanquam ex uno procedat.

Professio Fidei de Primatu, a Clemente IV præscripta et a Michaele Imp. in datis ad Concilium litteris expressa, hujus tenoris : *Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia summum et plenum Primatum et principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino, in B. Petro Apostolorum Principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse, veraciter et humiliter recognoscit : et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri : ad quam potest gravatus quilibet super negotiis ad Ecclesiasticum forum pertinentibus appellare; et in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest judicium recurri; et eidem omnes Ecclesiæ subjectæ, ipsarum Prælati obedientiam et reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic plenitudo potestatis consistit, quod Ecclesias cæteras ad sollicitudinis partem admittit; quarum multas, et Patriarchales præcipue, diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata prærogativa, tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis, semper salva.* Et infra : *Primatum quoque ejusdem S. R. Ecclesiæ, prout in præmissa serie continctur, ad ipsius sanctæ Ecclesiæ obedientiam spontaneam venientes, confitemur et recognoscimus, acceptamus et sponte suscipimus.*

Canonum editorum in hoc Concilio, et Lib. 6. Decretalium illatorum, epitome est sequens : 1. Fides de processione Spiritus sancti. 2. Obtineat decretum Concilii Lateran. III de electione summi Pontificis : eo mortuo, Cardinales in urbe exspectent absentes per decem dies : tum præsentes conveniant in palatio Pontificis, eodem in conclavi, nullo pariete aut velamine intermedio, in communi habitantes, servitiis restrictis, et commercio cum externis abscisso. Electione intra triduum post congressum non succedente, electoribus in prandio et cœna unum duntaxat detur ferculum : quinque diebus abhinc sine electione absoluta elapsis, deinceps solo pane, vino et aqua sint contenti, donec fiat provisio Ecclesiæ. 3. In electionis impugnatione, omnia opponenda exprimantur in appellationis instrumento, addito juramento ab opponente, credi et probari velle expressa : super iis, quæ non sunt expressa, non audiatur opponens, nisi juraverit, novas probationes postea primum detectas. 4. Electus in administrationem se non ingerat ante confirmationem; alias jure quæsito sit privatus ipso facto. 5. Electio statim intimetur electo : electus intra mensem consentiat, alioqui privandus ipso facto, nisi a superiore licentia electo sit petenda : post consensum si intra tres menses non petat confirmationem, irrita sit electio. 6. Scienter dans suffragium indigno, non privatur jure suffragii, si non subsequatur indigni electio. 7. Peracta electione et consensu præstito, im-

pugnare electionem non liceat, nisi quis juret, defectum primo post innotuisse. 8. Contra electum suffragiis duplo majoribus non valeat impugnatio a minore parte, prætextu zeli, meriti vel auctoritatis minoris in electore; nisi ostendatur votum fuisse nullum ipso jure. 9. Temeraria appellantium audacia et appellationum frequentia sit prohibita. 10. Eligendo objectus defectus examinetur : si non sit verus, puniatur objiciens. 11. Gravans alios propter negatum in electione suffragium, ipso facto sit excommunicatus. 12. Bonorum vel jurium Ecclesiasticorum usurpator ipso facto subjaceat excommunicationi ; justus possessor jure non abutatur. 13. Parochus non fiat ante 25um ætatis annum, promotione alias irrita : a scientia et moribus sit commendatus. Resideat in Parochia : intra annum fiat Sacerdos; privatus Ecclesia alioquin, nulla etiam monitione præmissa : circa residentiam ad tempus rationabiliter dispensandi facultatem habeat Ordinarius. 14. Parochia non detur in commendam, nisi ætatem et Sacerdotium habenti : nec nisi una uni, non absque rationabili causa, nec ultra sex menses : secus facta sint ipso jure irrita. 15. Scienter ordinans Clericum alienæ Ecclesiæ sit per annum suspensus ab ordinum collatione : hac suspensione notoria, sine illius licentia Clerici a vicino ordinari possint. 16. Bigami careant privilegio Clericali, et foro Laicali sint obnoxii, contraria consuetudine non obstante : sub anathemate non ferant tonsuram aut habitum Clericalem. 17. Canonici non cessent a Divinis, nisi causam cessationis canonicam exprimant instrumento authentico; alterutro deficiente fructus non faciant suos. 18. Dignitates vel beneficia curata plura, aut cum dignitate curatum beneficium possidens compellatur ab ordinario ad exhibendam dispensationem : si dispensatio absit, alteri fiat collatio possessi sine dispensatione; si sit dubia, sedes Apostolica consulatur. 19. Advocati et Procuratores Ecclesiastici annis singulis præstent juramentum dè officio rite agendo. 20. Absolutio a censuris, extorta per vim aut metum, est irrita : extorquentes sint excommunicati. 21. Pontifice beneficia in curia Romana vacantia intra mensem non conferente, jus redit ad collatorem ordinarium. 22. Res Ecclesiasticæ a Prælatis ne alienentur sine Capituli consensu, et sedis Apostolicæ licentia speciali : alienatio his carens nequidem præscribendi conditione polleat. 23. Non instituatur novus Ordo Religiosus : mendicantium ordines post Conc. Lateran. IV, instituti, necdum confirmati, sint abrogati. 24. Servetur renovata Innocentii V constitutio circa temperandas expensas in visitatione Ecclesiarum. 25. Omnis profana negotiatio absit ab Ecclesiis. 26. Observetur constitutio Conc. Lateran. III contra usurarios edita : usurariis habitatio non concedatur. 27. Usurarii careant sepultura Ecclesiastica, licet restitutionem in testamento mandarint, nisi hæc jam re sit facta. 28. Pignorationes, quas repressalias vulgus dicit, sint illicitæ, si iis unus pro alio gravetur. 29. Excommunicatio in communicantes cum excommunicatis lata non valeat, nisi præcesserit monitio canonica. 30. Relaxationis beneficium ad cautelam in generali interdicto non habeat locum. 31. Subjaceant anathemati gravantes bona vel personas eorum, a quibus vel quorum ope aut consilio sunt excommunicati.

ŒCUMENICUM XV. VIENNENSE.

I. Indictum a CLEMENTE V, summo Pontifice hoc Concilium fuit An. 1307, quadruplicem ob causam, quam designavit idem Pontifex in Convocationis diplomate esse negotium TEMPLARIORUM *FIDEM* variis erroribus lacessi-

tam, subsidium *TERRÆ SANCTÆ*, et restaurationem Ecclesiasticæ *DISCIPLINÆ*. Porro priorum capitum duorum notitia serviunt sequentia.

Templariorum ortum in data Expeditionum sacrarum synopsi An. 1118, adscripsimus. Initia is sumpserat a nobilibus quibusdam Palæstinis, qui pro Peregrinis Hierosolymam confluentibus, a prædonum infestatione per viam tuendis, se devoverant, Rege Hierosolymitano institutum probante, et devotis domicilium prope Salomonis Templum concedente; unde nomenclatio orta est. Crevit brevi illorum numerus et potentia, Fidelibus largiter bona tribuentibus, Ecclesia Religiosæ militiæ honorem addente. Equitum dignitate aucti, magnum sibi magistrum elegerunt, eadem regiminis forma fere constituta, quæ Equitum hodie est Melitensium. Laudabile institutum et optima majorum facta dehonestasse sequentium flagitia ferebantur, quæ fidem superant; cujusmodi referuntur imperata sub ordinis ingressum abnegatio Christi, crucis conspulatio, propudiosum osculum et idololatriæ cujusdam species: sub reliquam vero vitam permissa libido aversa, cum aliis nefandis numerum undecimum complentibus. Infamia horum scelerum publica cum Equites jam laborarent, agente præsertim Francorum Rege Philippo IV, seu *pulchro*, et jubente Clemente V, institutæ sunt quæstiones per Galliam, Angliam, Italiam, Hispaniam et Germaniam, examen facientibus judicibus Ecclesiasticis, et Cardinalibus delegatis subin repetentibus: tandemque reos plures, aut confessos aut testium multitudine obrutos, pœna capitalis aut perpetua vindicavit; inter quos et ipse Jacobus Mola, supremus Ordinis magister, cum multis aliis vivus flammis absumptus periit.

Quorum doctrina damnata est in hoc Concilio sunt, Petrus Joannis Olivi, Ord. FF. Minorum Professus, et Beguardi ac Beguinæ; viri illi, hæ feminæ fuerant. Errores eorum omnes hic referre cum ad Conciliorum notitiam non pertineat, in damnationis sententia notatos duntaxat subjicimus. Ex his Olivo debentur tres: nempe Christi adhuc viventis latus perfossum esse lancea, animam rationalem non esse formam corporis; habitus fidei et virtutum parvulis in baptismo haud infundi: Beguardorum autem (quod nomen extra Germaniam Fratricellis etiam, et Segarelli et Dulcini sectariis commune erat) octo recensentur: 1. Eum ab homine in hac vita comparari posse perfectionis statum, ut impeccabilis evadat, et amplius nequeat proficere; 2. hanc perfectionem assecutum nec jejunare nec orare debere; 3. eumdem non amplius subjacere humanæ obedientiæ; 4. posse hominem in præsenti vita beatudinem consequi ea perfectione, qua eam in futura obtinebit; 5. naturam intellectualem in seipsa naturaliter esse beatam, nec indigam lumine gloriæ elevante ad visionem Dei; 6. exercitium virtutum convenire tantum hominibus imperfectis; 7. actum carnalem, maxime tentati, non esse peccatum, ob naturæ ad illum inclinationem; 8. non decere ut quis elevato Eucharistiæ Sacramento assurgat aut exhibeat reverentiam: adjectis ubique ferme rationibus, inter Quietistarum deinceps principia numerandis.

Episcopi congregati, præter Prælatos inferiores plurimos, communius numerantur trecenti: adfuere etiam Philippus Pulcher, cum Carolo Valesio fratre, et Ludovico, Philippo ac Carolo filiis, ad Regnum Franciæ per vices evectis: Item Eduardus II Angliæ, et Jacobus II Aragoniæ Reges: præfuit Clemens V ipse Concilio, quod habitum est Viennæ Allobrogum, seu in Delphinatu, in Ecclesia Metropolitana: cœpit quadriennio post indictionem, nempe An. 1311, die 16 Octobris: frequentatis, non tam Sessionibus pu-

blicis, quam consultationibus privatis, duravit septem menses, absolutum tandem 6 Maii, An. 1312.

II. *Sess.* 1ª. Pontifex habito sermone Concilii congregati causas exponit. Initio actionum publice facto, deinceps per quinque menses conventibus privatis causa Templariorum discutitur : singularium Equitum quæstiones et examina tum instituuntur, tum instituta retexuntur; *causa ipsius Ordinis dicussa, nec defensione impetrata aut concessa;* ideoque nec sententia definitiva pronuntiata. Cum tamen infamarentur Templarii universim, eorumque hinc Ordo factus foret inutilis, decretum fuit per modum provisionis, hunc Ordinem esse abrogandum. Statutum porro de Ordinis quidem bonis, ut Hospitalariis S. Joannis Hierosolymitanis, hodie Equitibus Melitensibus ea cederent; exceptis illis, quæ in Castella, Aragonia, Lusitania et Majorica haberentur, ad harum provinciarum tutelam contra Mahometanos impendendis : de personis autem ordinatum ut qui innocentes probarentur, viverent ex bonorum dictorum proventibus; qui crimina confessi forent pœnitentes, exciperentur indulgentius; qui impœnitentes, punirentur severe; qui quæstionem subiissent non confessi, servarentur secreti ab aliis, secundum Canones judicandi.

Sess. 2ª. Promulgatur confirmata a Concilio, Ordinis *Templariorum* abolitio, et reliqua de bonis ac personis depositio. Componitur et finitur penitus, quod Philippum *pulchrum* inter et Bonifacium VIII, olim tenuerat, gravissimum dissidium : et Pontifex quidem, contra Philippi accusationem, immunis ab hæresi semperque catholicus declaratur; Regi vero addicitur, acta contra Bonifacium nec ipsi nec filiis ejus aut hæredibus unquam fraudi aut noxæ futura : revocatur denique Bonifacii Bulla : *Clericis Laicos*, de Immunitate Ecclesiæ cum declarationibus; et omnia ad ordinationem Concilii Lateran. reducuntur. Damnantur errores *Petri Joannis, Beguardorum et Beguinarum* supra recensiti : decernitur ut Hæreticus puniendus, qui duxerit usurarum exercitium non esse peccatum. Sequente hanc Sessionem tempore intermedio, expenduntur Durandi Episcopi Mimatensis et alterius anonymi scripta de reformatione disciplinæ.

Sess. 3ª. Pontifex de ferendo Terræ sanctæ auxilio perorat : Philippus Rex promittit Expeditionis sacræ, quæ tamen non evenit, susceptionem : ad eam Clerus Gallicanus decimas suorum proventuum in sexennium addicit. Confirmatur, designato celebrationis die, instituta jam ab Urbano VI, Corporis Christi festivitas : ordinatur in Universitatibus institutio Magistrorum linguæ Hebraicæ, Arabicæ et Chaldaicæ. Eduntur constitutiones circa Regularium prædicationem et sepulturam hactenus controversæ : item de eorumdem privilegiis; quibus alibi turbatio Prælatis, Exemptis abusus alibi prohibetur, et Sacramentorum quorumdam administratio postremis interdicitur. Exponitur Regula FF. Minorum S. Francisci, variis circa eam, præsertim paupertatem strictam, quæstionibus elucidatis : sancitur vitæ ratio Monachorum et Canonicorum Regularium : Hospitalium gubernatio aliaque observanda regulantur, etc.

III. Præter constitutiones proxime indicatas referuntur aliæ, quas cum pluribus tam ante, quam post Concilium a Clemente sancitis, Corpori Juris Canonici sub Clementinarum nomine Joannes XXII, inseruit. Canonum horum summaria referre instituti nostri ratio haud sinit : titulos tamen secundum alphabeti ordinem damus. Inscribuntur autem de Ætate, qualitate et ordine præliciendorum; Appellationibus; Baptismo et ejus effectu; Causa

possessionis et proprietatis; Celebratione Missarum et aliis divinis officiis; Censibus, exactionibus et procurationibus; concessione Præbendæ et Ecclesiæ non vacantis; Consanguinitate et affinitate, Decimis, primitiis et oblationibus; Dolo et contumacia; Electione et electi potestate; Exceptionibus; Excessibus Prælatorum; Foro competenti; Hæreticis; Homicidio voluntario et casuali; Immunitate Ecclesiarum; Judæis et Saracenis; Judiciis; Jurejurando; Jure patronatus; Magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi; Officio et potestate judicis delegati; Officio judicis ordinarii; Officio Vicarii; Pœnis; Pœnitentiis et remissionibus; Præbendis et dignitatibus; Privilegiis et excessibus privilegiatorum; Probationibus; Procurationibus; Rebus Ecclesiæ non alienandis; Regularibus et transeuntibus ad Religionem; Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjectæ; Reliquiis et veneratione Sanctorum; Renuntiatione; Rerum permutatione; Rescriptis; Restitutione in integrum; Sententia et re judicata; Sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti; Sepulturis; Sequestratione possessionum et fructuum; Statu Monachorum vel Canonicorum Regularium; Summa Trinitate et fide Catholica; Supplenda negligentia Prælatorum; Testamentis et ultimis voluntatibus; Testibus; Verborum significatione; Vita et honestate Clericorum; Usuris; ut lite pendente nihil innovetur.

OECUMENICUM XVI. FLORENTINUM.

I. Unio Orientis cum Occidente causam dederat huic Concilio; occasionem autem variandæ stationis præbuit primum Conventus Basileensis intemperies, locorum deinde incommoditas et sumptuum magnitudo. Orientis nomine non Græcos duntaxat aut cum eorum Ecclesia junctos hic intelligimus, sed et Jacobitas seu Cophtos per Syriam et Ægyptam diffusos, secta Eutychianos; Chaldæos per Mesopotamiam cis Euphratem, aliasque Orientis provincias et trans Tigrim usque in Indias distentos, factione (si Maronitas excipis) Nestorianos; Armenos demum mediam quamdam inter Eutychianam et Nestorianam hæresim professos.

Sancita olim Lugduni Græcorum unio cum Latinis diuturna haud fuit, sive Martini IV. Pontificis importuna severitate, sive Græcorum inconstantia aut concepto ex illata Regno noxa odio contra Latinorum Religionem etiam verso: donec tamen vixit Michael Palæologus, pietate Principis stetit integra. Eo sub A. 1283 mortuo, Schisma et errores Andronicus senior rursus civitate donavit, Joanne Vecco et Manuele Caleca, doctissimis veritatis vindicibus in exilium deportatis. Emendare Patris peccatum studuit equidem Andronicus Junior quæsita unione: sed negotium hoc Nicephorus Gregoras sua fraude abrupit. Nec amplius quidquam profectum sive sub Joanne Cantacuzeno, tutore vel potius usurpatore Imperii, sive sub Joanne illius cliente, licet catholicam fidem A. 1369. Romæ professo; Ottomannis scilicet bello omnia turbantibus, et post ereptam Asiam, in Europa magnam Imperii Græci portionem deprædantibus. His demum ad dandam quietem et agendi otium a Tamerlane ingenti clade coactis, tum Manuel, tum Joannes Palæologi urgere vehementius unionis negotium cœperunt. Priorem, dum dissensio de celebrandi Concilii loco diutius detinet, mors A. 1418, occupat: posteriorem de Basilea jam consentientem mors Martini V morata est, et secuta Concilii Basileensis scissio ancipitem aliquandiu distraxit. Cum enim utraque pars legatos Constantinopolim misisset, et prævenientibus synodi legatis juncti Imperatori oratores Basileæ advenissent, orta rursus de loco

dissensione adhæsere Pontificiis : unde Imperator postea a Legatione altera tum Pontificis cum sanioris partis Concilii in Italiam se deduci est passus. Pervulgata Græcorum profectione sequentibus per vices annis exemplum imitati Armeni primum, tum Jacobitæ, demum Chaldæi et Maronitæ accesserunt, unione ubique constituta.

Qui Eugenium IV Pontificem, Concilium Basilea avocantem, secuti sunt Latini Patres una cum Græcis Præsulibus, haud computatis Abbatibus et Ecclesiarum vel ordinum præpositis, superarunt numerum quadragesimum et centesimum. Congregationibus plerisque præsedit Pontifex ipse, subin Juliano Cæsarino Cardin. substituto. Concilii statio triplex erat : 1ª Ferrariæ in Cathedrali Ecclesia aut in templo Palatii : 2ª Florentiæ in Metropolitana : 3ª Romæ in Basilica Lateranensi. Cœpit autem Conventus Ferrariæ quidem die 8 Januarii A. 1438, Florentiæ autem 26 Februarii A. 1439, duravitque post unionem cum Græcis, die 6 Julii anni eujsdem factam, usque ad 26 Aprilis A. 1442; qua die translatus est Romam, ubi A. 1444 et 1445; binis Nationibus adhuc appulsis pax est impertita. A sola tamen Florentia traxit nomen, quod plenior ibidem conventus et negotium præcipuum, unionis scilicet cum Græcis, finem habuerit.

II. Quantumvis continuato numero seriem sessionum simus relaturi, stationi tamen cuilibet suas et proprias distinctis paragraphis reddemus. Huic autem numero non inserimus geminam ante Græcorum adventum diei 8 Februarii annexum, sessionem, utpote adhærentibus tantum Basileæ refragatoribus oppositam : nec conventum etiam Græcorum cum Latinis publicum, pluresque de purgatorio privatos; quoniam ille initialem duntaxat novi Concilii epocham ad quatuor menses distulit, hi autem parandæ solum materiæ et cognoscendis opinionibus serviebant. Damus itaque solemniter acta, et quæ ad præcipua discordiæ capita spectant. Eorum autem erant quinque : processio nempe Spiritus sancti, additio particulæ *Filioque* facta symbolo; purgatorium et status animarum ante diem judicii, usus azymorum in Eucharistia et consecrationis formula, auctoritas sanctæ Sedis et primatus Pontificis. Modus de his agendi placuit dialecticus, h. e. adstrictior, propositis ultro citroque argumentis et responsis, disputatio. Disputatores delecti sunt ex Græcis quidem Marcus Ephesinus Metropolita, Isidorus Russiæ et Bessario Nicææ Archiepiscopi, Xanthopulus Siderophas, Michael Balsamon et Georgius Gemistus; ex Latinis vero Julianus Cæsarinus et Nicolaus Albergatus Cardinales, Andreas Rhodius seu Colossensis Archiepiscopus, Joannes Episcopus Foroliviensis, Joannes de monte nigro Ord. Præd. Petrus Perquerii Ord. Min. et Joannes de S. Thoma Ord. Erem. S. Augustini. Initium factum die 8 Octobris A. 1438.

Ferrariæ *Sessio* 1ª Honoris causa Græcis dato sermonis initio, Bessario orationem habet pro Concilio panegyricam, pro præsidibus honorificam. 2ª Andreas sermonem ejusdem Argumenti recitat : modus in disputando servandus decernitur, Græcis opponentium, Latinis defendentium munere delato. 3ª Inter Marcum et Andream in certas disputationis leges de asperioribus verbis convenitur : pro disputationis materia designatur additio symbolo facta; utrinque dictis de pacis studio Rom. Ecclesiæ, statuitur de proposito audiendas Conciliorum definitiones. 4ª Variis interlocutoribus, quorum rationes primo audiendæ essent disputatur : indicitur hodie conventus privatus : datur Græcis proferre rationes. 5ª Marcus post symbolum Nicænum lectum recitari jubet ex Conciliis III, IV, V, VI, VII, decreta quæ-

dam et definitiones; tum ex epistolis Cœlestini ad Joan. Antiochenum, Vigilii ad Eutychium, Agathonis ad Imperatores, et acclamatione Joannis Patr. Constantinopolitani in Conc. V eas partes, quibus probare contendit particulam *Filioque* esse additamentum, indeque inseri prohibitam : profertur sub finem codex antiquus hanc additionem definitioni VII Synodi habens. 6 Laudata a Juliano sed mox omissa, quam Græci œcumenicam negabant, synodo VIII dicere orsus Andreas ostendit *primo*, nullam explicationem seu declarationem dicendam esse additionem proprie talem, vocem autem *Filioque* esse duntaxat explicationem et declarationem alterius *ex Patre;* adeoque vocem *Filioque* non esse additionem : *secundo* probat, si additamentum esset, fore tantum extrinsecum et litteræ seu declarationis; tale autem non esse prohibitum, sed intrinsecum duntaxat et fidei seu sensus diversi. 7ª Præmissis quarumdam cavillationum solutionibus, idem Andreas respondere Græcorum argumentis aggressus, docet *primo* Concilia et Patres excludere differentiam sensus, non verborum; prohibere mutationem fidei, non declarationem; jubere hæc non de symbolo tantum, sed de decretis etiam et definitionibus symbolo æquivalentibus : *secundo* Ecclesiam Romanam, ad additionem faciendam, motam esse a dictis Patrum, urgente necessitate, congrua Ecclesiæ auctoritate, non repugnante nec improbante Græcorum dignitate. 8ª Bessario impugnat dicta Andreæ priora, negans *primo*, explicationem esse intrinsecus; *secundo* explicationem addi licere post Conc. III interdictum. 9ª Idem ad posteriora progressus, vindicare Patres a se laudatos, et causas pro facienda additione allatas refutare conatur : asserit nec Concilio nec Ecclesiæ universali fas esse vel explicationem symbolo addere · quærit utrum statuta Conciliorum et interdicta Patrum, de nullo addendo, spectent ad fidei symbolum, an ad aliud quid extraneum? huic quæstioni reposuisse nihil, sed sermone ad processionem Spiritus S. ex Filio probandam Andream dilapsum, notant Acta græca. 10ª Succedens Andreæ Joannes Ep. Foroliviensis particulam *Filioque* probat *primo* non esse additionem proprie dictam, sed complecti rei evolutionem; *secundo* addi non esse vetitam, cum non sit appositum contrarium aut diversum, sed conveniens et consonum; *tertio* interdictum respicere duntaxat apposita priora : posterius autem Ecclesiæ aut legitimæ auctoritate prohibere, Patres nec voluisse, nec potuisse. 11ª Julianus ex legis controversæ præambulis, verbis ipsis et sequentibus, ex Symboli Nicæni et Constantinopolitani admissa unitate, ex Prædatoriæ et Chalcedonensis synodi diversa circa hanc legem sententia, demonstrat prohibitam fidem alteram intelligi de fide opposita, non de congrua declaratione. Hinc petit, omissa hac controversia, illud examinari : verumne sit Spiritum S. a Filio procedere; quo negato additionem illicitam, affirmato licitam esse constet. 12ª. Loquentibus Bessarione et Juliano, disseritur de causa interdicti a Conc. Ephesino dati : postremo objicit Julianus, illud jam ante omnem synodum in Scriptura latum, ad quam conditores legis provocarint. 13ª Burgundiæ Legati Episcopi, ad Concilium recepti, quum nullam salutationis venerationem dedissent Imperatori, is cum Græcis discedens sessionem solvit. 14ª Emendata hac offensa, restauratur disputatio, in qua Julianum nimia sermonis prolixitate respondendi locum non concessisse Bessarioni, solum memorant Græci. 15ª Uterque disputator hactenus auditus, geminata oratione longissima, disceptat de tollenda vel retinenda particula memorata. Post sessionem Græci tædio affecti reditum meditantur : Imperatore monente remanent : tandem Latinorum postulatis tribuunt ut

examinetur ipsum dogma, sed in conventibus privatis et Ferrariæ : demum ob subsidia a Pontifice pendenda coacti, consentiunt sub certis conditionibus synodum transferri Florentiam. 16ª Solemni decreto, pro causa pestem nominante, translatio decernitur.

Florentiæ *Sessio* 17ª Dissertatio ab Imperatore et Juliano habita, circa disputationem de Spiritus S. processione instituendam, et medium unionis inquirendum, versatur. 18ª Joannes de monte nigro exorsus de hac materia dicere, præmissis ad significationem verborum quæsitis, arguit : a quo Spiritus S. accipit esse, ab eo procedit : dicitur autem Spiritus S. accipere esse a Filio : ergo. Assumptionem ex Epiphanio, in Ancorato, Basilio, Serm. 5 cont. Eunomium, et Athanasio Lib. 4 cont. Arianos probat, intercedente sæpius Bessarione. 19ª Idem argumentum versatur a disputatoribus Bessarione et Joanne, qui ex Basilio Lib. 3 cont. Eunom. luculentum testimonium addit. 20ª Disseritur ab iisdem de genuina lectione et sensu textus Basiliani; cujus occasione vindicatur Zosimus a crimine falsi ob laudatum canonem Nicænum de appellatione ad Rom. Pontificem; et additur duplex probatio ex Athanasio. 21ª Confirmatur a Joanne cont. Bessarionem triplici argumento sensus Basilii ante agitatus, et nova expositione textus geminus Athanasianus. 22ª In oppugnatione primi ex tribus argumenti, compelluntur Græci a Joanne ad silentium : secundi argumenti examen subjungitur, non tamen absolvitur. 23ª Frustra postulante Joanne ut ad argumenta Patrum prolata detur responsum, Marcus pro Græcorum dogmate fundamenta profert ex Scriptura, tribus primis Conciliis, Patribusque Dionysio, Gregorio Nazianz. et Nysseno, Cyrillo et Basilio : Joannes ad priora responsionem urget; Latinorum dogma edicit, unam causam Filii et Spiritus S. esse Patrem, nec duas Spiritus S. causas admitti. Græci in privato conventu hæc dicta pro unionis medio admittere statuunt, cum idem asseratur in epist. S. Maximi. 24 Absente Marco ne respondere cogeretur, Joannes fundamenta Græcorum examinaturus, ducto a Scriptura initio, docet Patrem principaliter dici causam Spiritus sancti, quia Filio vim spirativam communicat; causam Spiritus sancti esse unam, quia una est vis spirativa in Patre et Filio : ostendit ex Leone, Gregorio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino et aliis Occidentalibus, Spiritum S. procedere per Filium; Τὸ *per* autem præpositioni *ex* æquivalere. 25ª Eamdem in rem idem testimonia evidentia profert ex Orientalibus, maxime Basilio, Cyrillo, Didymo, Athanasio et Conc. Nicæno; quorum veritas ex libris inspectis examinanda in privato conventu addicitur a Græcis.

Abhinc Sessio publica celebrata est nulla, sed Orientalibus seorsim collectis, et interpretibus ultro citroque missis res tractata. Græci autem collata cum libris oratione Joannis, scindebantur duas in partes : altera, quam Bessario copiosissima oratione et Gregorius Scholarius sermone triplici impulerant, ad unionem spectante; altera, quam unus fere Marcus Ephesinus sustinebat, illam respuente. Priore numero et auctoritate prævalente, institutis per decem viros Græcos et Latinos congressibus, deliberatum est de unionis modo : post ideas varias frustra designatas convenit tandem utraque pars de Spiritus S. Processione in dogmate; ratione additionis autem, eam erit factam a Latinis, a Græcis omitti posse pro libertate : declaratum præterea, hos, dum Patri tribuunt productionem S. Spiritus, ab hac non exclusisse Filium, sed duo tantum negasse principia; a quibus unquam admittendis alienos se fuisse semper, contestabantur Latini. Concordia itaque 8 Junii An. 1439 est decreta, altero mox die, Simeonis ad instar, in pace dimisso

et mortuo Patriarcha Constantinopolitano, sub extremam horam scriptis fidem Ecclesiæ Romanæ professo, et pro Patrum Patre ad D. N. J. C. Vicario Papam venerato. Post hæc tractatum de reliquis capitibus supra nominatis, habitisque aliquot congressibus et Latinorum dictionibus, eo negotium feliciter est perductum, ut die 6 Julii promulgaretur unionis decretum, et a Latinis ac Græcis, uno Ephesino excepto, omnibus subscriberetur. Tempore ad profectionem usque residuo, quorumdam Disciplinæ Græcæ capitum examen est susceptum, satisque factum Latinis, si dissolvendi matrimonia consuetudinem excipias. Voluerat etiam Pontifex contumaciam Ephesini aut flecti aut plecti; aliter visum est Imperatori, negotium ad reditum in Græciam differenti; sed eventu maligno. Marcus enim Clerum et populum schismati inveteratum ibidem faventem nactus, in idem malum plures antea unitos retraxit; quod exemplum pessimum, accedente seditione, Russia quidem post modum est secuta, sed ulcisci diu haud distulit divina Justitia, sub Imperatoris fratre et successore Constantino An. 1453 expugnata a Turcis Constantinopoli et Imperio Græcorum extincto.

Continuata per subsequens sexennium Synodus, solemnes Sessiones nonnisi quinque Florentiæ, et duas Romæ numeravit. Ex Florentinis 4ª hoc anno die 4ª Septembris habita Basileenses Eugenium deponere ausos, 3ª autem An altero 23 Martii Amedeum Antipapam, Felicem V compellatum, tanquam hæresis ac schismatis reos, anathemate percussit. 5ª Concilium Florentia Romam transtulit : duæ reliquæ, nec non Romanæ geminæ unionem cum diversis Orientis nationibus sanxerunt. Inter has Armeni per Oratores quatuor, a Patriarcha Constantino et Paulo Imperiali Caffæ Regente litteris munitos, accesserunt primi; et Imperatoris Græci Florentiæ adhuc præsentis opem in unionis negotio ut expetierant, sic liberaliter addictam, consensuque et commendatione probatam senserunt. Quadrimestre disputationibus, instructionibus et consultationibus cum iisdem per duos Cardinales virosque plures sacræ doctrinæ peritissimos impendit Eugenius; dum de erroribus suis convicti, de fidei Romanæ puritate edocti, de Sacramentorum doctrina rebusque disciplinæ informati, decretum Pontificis sacro approbante Concilio 22ª Novembr. An. 1439 editum susciperent, et jurata obedientia unionem firmarent. Eadem ratione actum cum reliquis, et in solemni Sessione pax unioque Ecclesiæ, cum decreto cuilibet convenienti ac proprio, sacro semper probante Concilio data est : Jacobitis quidem ab Imperatore Æthiopiæ et Abbate Hierosolymæ missis 5ª Febr. An. 1441; Syris et Mesopotamiis a Patriarcha suo Legatis 30ª Sept. An. 1444; Chaldæis ex Cypro insula et Maronitis a Libano monte venientibus 26ª Julii An. 1445.

III. Ex quinque unionum decretis, monumenta duorum primorum, tanquam celebriorum et usui plus servientium, subjicimus : ex priori quidem definitionis verba, ex posteriori statutorum synopsin.

Definitio Concilii seu decretum unionis cum Græcis in definitione sic habet : *Definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur; quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio æternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio et ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit; declarantes quod id, quod sancti Doctores et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Græcos*

quidem causam, secundum Latinos vero principium substantiæ Spiritus sancti, sicut et Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter est genitus. Definimus insuper, explicationem verborum illorum, Filioque, *veritatis declarandæ gratia et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse appositam. Item in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem. Item, si vere pœnitentes in charitate Dei decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint et omissis; eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari: et ut a pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta: Illorumque animas qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicut est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius: Illorum autem animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Item definimus sanctam Apostolicam sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur. Renovantes insuper ordinem traditum in Canonibus cæterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus; quartus autem Antiochenus, et quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus et juribus eorum.*

Decretum unionis cum Armenis seu instructio pro iisdem hæc continet. Præmissa gestorum narratione : 1. datur symbolum Concilii Constantinopolitani I cum additione vocis *Filioque*, singulis saltem Dominicis et festivitatibus majoribus in Ecclesia usurpandum : 2. definitio Concilii Chalcedonensis in V et VI Synodo renovata, de duabus naturis in una Christi persona : 3. definitio Concilii sexti de duabus Christi voluntatibus et operationibus. 4. Injungitur susceptio Synodi Chalcedonensis cum reliquis omnibus auctoritate Romani Pontificis legitime celebratis. 5. Traditur doctrina de Sacramentis : eorum scilicet esse septem : differre ab antiquis, quod ipsa causent gratiam : priora quinque ad spiritualem cujusque perfectionem, postrema ad Ecclesiæ regimen et multiplicationem ordinari, explicato cujuslibet effectu : omnia perfici rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; horum trium si aliquod desit, Sacramentum non perfici : *BAPTISMUM* esse *primum* et ad salutem necessarium; ejus materiam esse aquam veram ac naturalem; formam, *Ego te baptizo in nomine Patris et*

Filii et Spiritus sancti; valere etiam formam Græcorum; ministrum ordinarium Sacerdotem, in casu necessitatis quemlibet, tria ad Sacramentum perficiendum spectantia servantem, effectum, remissionem omnis culpæ et pœnæ. *CONFIRMATIONEM* esse *alterum;* ejus materiam chrisma ex oleo et balsamo confectum, ab Episcopo benedictum; formam, *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris,* etc.; ministrum ordinarium Episcopum, aliquando tamen ex Apostolicæ sedis dispensatione simplicem Sacerdotem, sed chrismate per Episcopum benedicto utentem; effectum, robur Spiritus Sancti ad confitendum Christi nomen. *EUCHARISTIAM* esse *tertium;* ejus materiam panem triticeum, et vinum de vite, cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet ob rationes plures allatas; formam verba Salvatoris, in cujus persona Sacerdos hoc Sacramentum conficit; virtute verborum substantiam panis in corpus, et vini in sanguinem Christi converti; Christum totum sub specie panis, et totum sub specie vini, et totum sub qualibet parte panis et vini consecrati, separatione facta, esse; effectum, unionem cum Christo per augmentum gratiæ, omnemque ad vitam spiritualem, quem cibus et potus materialis ad corporalem præstat. *PŒNITENTIAM* esse *quartum;* ejus quasi materiam tres actus pœnitentis, cordis contritionem, oris confessionem et satisfactionem a Sacerdote impositam; formam verba absolutionis, *Ego te absolvo,* etc.; ministrum sacerdotem auctoritate absolvendi vel ordinaria vel ex commissione superioris pollentem; effectum, absolutionem a peccatis. *EXTREMAM UNCTIONEM* esse *quintum;* ejus materiam oleum olivæ ab Episcopo benedictum; conferendum tantum infirmo, cui mors timetur, ungendo in oculis, auribus, naribus, ore, manibus, pedibus et renibus; formam, *per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum,* etc.; ministrum sacerdotem; effectum, sanationem mentis, et in quantum expedit, etiam corporis, juxta Jacobi, cap. 5, promulgationem. *ORDINEM* esse *sextum;* ejus materiam id per cujus traditionem confertur ordo: ut presbyteratus traditur per calicis cum vino et patenæ cum pane porrectionem, Diaconatus per dationem libri Evangeliorum, Subdiaconatus per traditionem calicis vacui cum patena vacua imposita, et sic alii ordines per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem; formam Sacerdotii, *accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris,* etc.; aliorum ordinum juxta Pontificale Romanum; ministrum ordinarium, Episcopum; effectum, augmentum gratiæ ad digne exercenda sacra ministeria. *MATRIMONIUM* esse *septimum* et signum conjunctionis Christi cum Ecclesia; causam efficientem, regulariter mutuum consensum per verba de præsenti expressum; bonum triplex, nempe prolem suscipiendam et educandam ad Dei cultum, fidem conjugum mutuam, indivisibilitatem matrimonii; separationem thori licere ob fornicationem, non autem solutionem vinculi. 6. Traditur compendiosa fidei regula per Athanasium edita, quæ incipit: *Quicumque vult salvus esse.* 7. Datur Decretum unionis cum Græcis initæ, cujus definitionem supra exscripsimus. 8. Ad conformitatem habendam decernitur, festa apud Armenos eodem die, quo apud Latinos et Græcos celebrantur, celebranda. Postremo adnotatur hujus decreti receptio et unio ab Armenis facta.

Ex decreto unionis cum Jacobitis id unum notamus, illi insertum esse canonem librorum sacræ Scripturæ, qualis postmodum etiam in Tridentino est statutus.

ŒCUMENICUM XVII. LATERANENSE V.

I. Orto inter Julium II Rom. Pontificem et Ludovicum XII Regem Christianissimum dissidio ac bello, novem Cardinales a Julio secessione facta, quod fidem de Synodo congreganda datam non liberaret, Maximiliani Imper. et Ludovici Regis auctoritate fulti, Conc. œcumenicum, ut aiebant, *Pisis* celebrandum indixerunt, primamque illius Sessionem 5 Novembr. An. 1511 celebrarunt. Pro *Pisano* hoc conciliabulo (quod postea Mediolanum, Taurinum ac Lugdunum est translatum) efficacius destruendo, Synodum œcumenicam Julius indixit, additis in diplomate causis, ad schismatis extinctionem, Ecclesiæ reformationem, Christianorum Principum concordiam et pacem, atque expeditionem contra Turcas promovendam. Ex convocatis undique Prælatis, adfuerunt pauci supra centum, illique fere tantum Itali, Præter Principum oratores et Abbates multos ac septem Generales ordinum. Præsedit quatuor Sessionibus primis Julius II; quintæ Raphael Cardinalis Ostiensis, reliquis Leo X Pontifex Julio mortuo suffectus; bello et schismate conventum infrequentem, animorum distractione et postulatorum insolentia Sessiones raras et a se divulsas faciente. Collectum autem est Concilium Romæ in *Lateranensi* Basilica, inchoatum 10 Maii An. 1512, finitum 13 Martii An. 1517.

Præterimus in narratione non tantum Sessionem præambulam et Concilii præparatoriam, sed et Legatorum adventus et mandata, orationum habitarum auctores et materias, Sessionum indictiones et prorogationes, cum cæremoniis et solemnitatibus, quæ magnam quidem Actorum partem Theologo tamen haud necessariam faciunt.

Sess. 1ª Exponuntur causæ Concilii tum jam collecti, tum hactenus dilati : lecto II Conc. Toletani, canone de observandis in Synodo, nominantur Concilii præsentis officiales. 2ª Damnatur conciliabulum *Pisanum*, irritatis illius actis : *Lateranense* Concilium declaratur legitimum et confirmatur. 3ª Imperator per Legatum renuntiat Pisano et adhæret Lateranensi : renovatur sententia contra Pisanos, Gallia illis adhærens interdicto subjicitur. 4ª Tractatur de sanctione pragmatica Gallicana : de ea abroganda, leguntur litteræ a Ludovico XI olim ad Pium II scriptæ, et a promotore Concilii afferuntur rationes : citantur Galli, si qui velint eam defendere. 5ª Innovatur constitutio contra simoniacam Pontificis electionem : accusatur Pragmaticæ adhærentium contumacia. Julio post hanc Sessionem mortuo, eligitur Pontifex Joannes Medicæus, Leo X dictus. 6ª Pontifex novus cohortatur ad continuandam Synodum, decernit salvum conductum evocatis ad Concilium, exceptis schismaticis. Post Sessionem fit divisio Deputatorum ad diversa negotia. 7ª Cardinales Bernardinus Carvallius et Fridericus de S. Severino, oblato libello, renuntiant Pisano, veniam rogant et accipiunt. 8ª Galli petunt prorogationem termini; accusantur officiales Provinciæ de læsione jurisdictionis Papalis, et monentur : damnatur positio asserens animam intellectivam esse mortalem, aut unicam in cunctis hominibus, saltem secundum Philosophiam : constituuntur canones, promulgandi in initio studiorum, et observandi ab Universitatibus : proponitur de pace inter Principes Christianos componenda, et reducendis Bohemis ad fidem. 9ª Accusatur contumacia Antistitum Gallorum; eorum absentia vicissim excusatur ob negatum transitum, ideoque Pontifex prorogat veniendi terminum. Editur bulla reformationis Cardinalium aliorumque

Prælatorum; item Clericorum et Religiosorum, tam intra quam extra Curiam Romanam cui inserta est constitutio contra blasphemos. 10ª Approbantur montes pietatis, eorum impugnatores compescuntur : Exemptorum libertas restringitur, Episcoporum auctoritas profertur, illisque prima instantia causarum beneficialium datur : libri typis edendi subjiciuntur censuræ Ordinarii vel Inquisitoris. 11ª Ordinatur de prædicationis et prædicatorum sacrorum conditionibus : Concordata Pontificis et Regis Galliæ promulgantur : abrogatur Sanctio pragmatica : asseritur Pontificis auctoritas, et Concilia indicendi, transferendi ac dissolvendi plena potestas : Religiosorum privilegia dignitati Episcoporum attemperantur. 12ª Cardinalium indemnitati consulitur : Decimæ Ecclesiasticæ per triennium contra Turcas decernuntur : confirmantur Concilii acta, finisque imponitur.

III. Celebrius hujus Concilii monumentum est *Concordatum*, Sanctioni pragmaticæ suffectum. Erat hæc collectio 38 decretorum, quæ Conc. Basileense circa Rom. Pontificis jura et privilegia, Conciliorum auctoritatem ac tempus, Prælatorum electiones, beneficiorum collationes et reservationes, beneficiatorum qualitates et officia, judiciorum et appellationum Ecclesiasticarum usum ac modum aliaque disciplinæ ac morum capita, vario sub statu ac diversis in Sessionibus ediderat; Rex autem Franciæ Carolus VII in Conventu Bituricensi A. 1438 celebrato recepta Sanctione pragmatica firmavit, et in Senatu Parisiensi promulgavit. Eamdem equidem, tanquam opus tempore seditionis et schismatis ad infringendam sedis Apostolicæ auctoritatem confectum, A. 1462. Ludovicus XI Caroli successor rescinderat : Galli tamen eam, tanquam rationibus suis proficuam, subin restaurarunt; donec inter Franciscum I et Leonem X Bononiæ conveniret, sanctione abrogata, Concordatum novum substituere. In eo omissa sunt quæ contra Pontificis jura et pro Conciliorum auctoritate faciebant; retenta quæ mores et disciplinam, judicia et appellationes spectabant; nonnihil alterata, quæ pro graduatis ad beneficia promovendis statuebantur; immutata autem dignitatum Ecclesiasticarum ratio. Sublata enim electione, concessum Regi jus nominandi Episcopos, Abbates, aliosque Prælatos, exceptis tamen Ecclesiis speciali electionis privilegio a sede Apostolica dato gaudentibus; modusque circa tempus et conditiones nominandi præscriptus : e contrario reservationibus et exspectativis sublatis, Pontifici conservata est nominatorum confirmatio, vacantium apud sanctam Sedem provisio, et Annatarum perceptio; cujus Concordati instrumentum integrum 48 titulos, dispositio 19 articulos, vis rationem veri contractus continet. Solemnis hæc conventio, utraque potestate stabilita, a Clero et Parlamento Gallicano nonnunquam lacessita, quin nec a successoribus Galliæ Regibus integra semper relicta fuit. Ultra etiam Sanctionis pragmaticæ antiquatæ limites Ludovicus XIV est progressus, ubi cum Innocentio XI collisus A. 1675, beneficiorum Ecclesiasticorum collationem ac perceptionem fructuum ex beneficiis vacantibus, tanquam jus Regale et majestaticum usurpare contendit; ex quo magnæ illæ Regaliarum controversiæ ortum duxerunt : sed his tandem sopitis, restituta in integrum sunt Concordata; agnitum jus nominandi, tanquam concessum a potestate Ecclesiastica privilegium; Annatæ Pontifici permissæ.

OECUMENICUM XVIII. TRIDENTINUM.

I. Tres potissimum Concilii causas in convocationis diplomate expressit

summus Pontifex : *fidem* scilicet vindicandam adversus Sectariorum tum grassantes errores; firmandam *pacem* inter Principes partim *religionis* studio, partim *regionis* ambitu distractos, restituendam Cleri populique *disciplinam*, hæresibus et bellis plurimum labefactatam. His omnibus originem dedit ex INDULGENTIARUM solo enata, per omnia dein fidei capita multiplicatis erroribus diffusa LUTHERI hæresis; quam cum refutassent Catholici Doctores, reprobassent Universitates, Pontifices damnassent, Imperator et Status proscripsissent Imperio, sed eventu propterea frustrato quod Urbes Principesque Germaniæ plures personæ LUTHERI ac dogmati faventes aut addicti, solum pro judice Concilium generale admittere vellent : de eo tandem habendo cogitatum est.

Igitur de convocando Concilio A. 1533, inter CLEMENTEM VII Papam et CAROLUM V Imperatorem *Bononiæ* primum convenit in certas conditiones : sed alias postulantibus *Lutheranis* et mortuo Pontifice, ultra consilia negotium non est progressum. Easdem curas cum Pontificatu PAULUS III suscipiens, deputatis interim ad corrigendos abusus quibusdam Cardinalibus, A. 1536, concilium indixit *Mantuam* : objecto autem obice a Mantuano Duce, *Vicentiæ* demum celebrandum A. 1538, decrevit : sed nova rursus emergente difficultate prorogata est Synodus; tandemque A. 1542, indicta TRIDENTUM. triennium tamen intercessit, donec composita Cæsarem inter et Regem Franciæ pace Crespiaca, et fallaci Lutheranorum tergiversatione perspecta, sub finem A. 1545, initium fieri posset. Confluxere præter plures Doctores et sex Ordinum Generales, primum viginti novem, dein quinquaginta quinque Patres, quibus Præsides dati sunt a Pontifice Legati *Joannes Maria de Monte, Marcellus Cervinus et Reginaldus Polus* Cardinales. Tridenti in Ecclesia Cathedrali habitæ Sessiones octo, principio die 13 Decembr., A. 1545, translationis decreto ob contagiosum morbum, die 11 Martii, A. 1547, facto. Migrantibus hinc Bononiam pluribus, aliis Tridenti perstantibus, a prioribus quidem eodem anno Sessiones duæ sunt celebratæ, sed quæ præter Concilii prorogationem nihil fere decernerent : donec impedimentis novis ex formula *Interim* enatis, Concilium fere per quadriennium suspenderetur.

Concilii continuationem Tridenti repetendam A. 1550, indixit Joannes Maria de Monte, post Pauli fata Pontifex electus, et JULIUS III dictus; qui Legatus antea Pontificius, pro Concilio Bononiæ retinendo immotus steterat. Ejus vice præfuerunt *Marcellus Cervinus* Cardinalis, *Sebastianus Pighius* Archiepiscopus Sipontinus, et *Aloysius Lippomanus* Episcopus Veronensis, numero Patrum jam aucto. Sessiones ab his sex, decimam sequentes, sunt celebratæ; ita ut prior 1 Maii, A. 1551, posterior 28 Apr., A. 1552, fieret : in qua ob bella et perturbationes in Germania subortas, propiusque Tridentum accedentes, altera Concilii suspensio ad biennium fuit decreta : quæ tamen, iisdem causis urgentibus, et JULII III addita etiam morte cum successorum gemino fato, decennium prope integrum tenuit.

Post interruptionem alteram, secundo et felicius instauravit in eodem loco Concilium PIUS IV, interea summus Pontifex creatus. Continuationis bullam is quidem A. 1560, promulgavit; nonnisi tamen anno altero ordiri Sessiones licuit : queis novem numero celebratis, finis tandem Concilio est impositus. In postrema hac epocha, Pontificis nomine præsidebant *Hercules de Mantua, Hieronymus Seripandus, Stanislaus Warmiensis et Ludovicus Simonetta*, Cardinales; subscripserunt autem Concilio et decretis Patres 255, Cardi-

nales scilicet 6, Patriarchæ 3, Archiepiscopi 25, Episcopi 168, Procuratores Episcoporum absentium 39, Abbates 7, et Religiosorum Ordinum Generales totidem : epocham hanc 18 Januar. A. 1562, ordiente, 4 Decembris, A. 1563 finiente. Coronidem tot annorum negotio imposuit Pius IV edita 26 Januar., a. 1564, Concilii confirmatione, cui complementum dedit proposita ab eodem et anno eodem juxta Concilii mentem forma Professionis fidei scripta.

II. Pangenda foret plurimorum negotiorum historia, si vel Actorum per quadriennium, quod Tridentina synodus simul collecta implevit, omnium notitiam dare susciperemus. Quare omissis congregationibus privatis, consultationibus et disputationibus præparatoriis, sessiones duntaxat publicas referemus, decretis quidem ad doctrinam pertinentibus, una cum canonibus anathematismos continentibus, in sessionum epitome breviter recensitis, decretis autem reformationem spectantibus, utpote alias sub canonum nomine postremo loco referri solitis, ad classem monumentorum Conciliariorum sepositis.

Sessio. 1ª Post solemnia præmissa legitur Indictionis bulla, convocationis causas exhibens : decernitur inchoatio Concilii : fit cohortatio Patrum. 2ª Editur decretum de modo vivendi, cæterisque in Concilio servandis, conformiter ad statuta synodi Toletanæ. 3ª Edicitur de symbolo fidei, et Nicænum proponitur, dilatis interim fidei et morum sanctionibus, donec frequentior fieret conventus.

Sess. 4ª Duo Decreta promulgantur. 1ᵘᵐ *de Canonicis Scripturis* admittit et veneratur sacras Scripturas tum Veteris tum Novi Testamenti, nec non Traditiones ad fidem vel mores pertinentes, tanquam a Christo vel Spiritu sancto dictatas, in Ecclesia continua successione conservatas : statuit ac refert catalogum librorum sacrorum, in Vulgata extantem : anathema fert in eos qui hos libros ut sacros non suscipiunt, aut traditiones prædictas contemnunt. 2ᵘᵐ *de editione et usu sacrorum librorum*, versionem vulgatam declarat authenticam : prohibet Scripturæ interpretationem contra sensum Ecclesiæ aut unanimem Patrum consensum; impressionem librorum sacrorum, vel de sacris, sine facultate Ordinarii et nomine auctoris; item verborum S. Scripturæ abusum ad facetias, jocos, incantationes et similia.

Sess. 5ª Publicatur decretum *de peccato originali* : In eo, more anathematismi, definitur : 1. Adamum peccando amisisse sanctitatem et justitiam; incurrisse iram Dei, et hinc mortem; secundum corpus et animam in deterius mutatum : 2. Adamum non sibi solum, sed suæ etiam propagini secundum corpus et animam nocuisse : 3. Ejusdem peccatum, origine unicum, propagatione transfusum omnibus, inesse cuilibet proprium : tolli solum per merita Christi, per baptismum applicata : 4. Parvulos esse baptizandos, et propter originale peccatum egere baptismo : 5. Gratia Baptismi vere tolli quidquid propriam peccati rationem habet; et baptizatos fieri novos secundum Deum homines : in iis tamen manere concupiscentiam ad agonem; quæ, quamvis peccatum vocetur, verum tamen ac proprium non sit. Subjungitur, Concilii intentionem non esse, hoc decreto comprehendere Beatam et Immaculatam Virginem Mariam, sed observandas Sixti IV ea de re constitutiones. Additur aliud decretum de reformatione duo capita complectens.

Sess. 6ª Proponitur decretum *de Justificatione* : de ea aliter credere, prædicare aut docere non liceat, quam sequenti ratione : 1. A servitute peccati ad justificationem perveniri non posse per vires naturæ aut litteram legis

Mosaicæ, licet liberum arbitrium non sit extinctum, sed tantum attenuatum et inclinatum. 2. Ad hanc potentiam vero præstandam, Filium a Patre esse missum. 3. Per hujus merita, renati in Christo justificantur, sicut ex Adamo nati ejus injustitiam contrahunt : non omnes, sed ii quibus Christi meritum communicatur, mortis beneficium percipiunt. 4. Justificatio est translatio a statu injustitiæ in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei : hæc translatio prima nunc fieri nequit sine Baptismo aut ejus voto. 5. In adultis præparatio ad Justificationem fit per gratiam excitantem et adjuvantem, sine qua ad justificationem movere se homo non possit, cum qua possit se disponere, eidem libere assentiendo et cooperando, quatenus ipse agit et gratiam abjicere potest. 6. Dispositio antem fit per fidem, timorem divinæ justitiæ, et spem fidendo Deum propter Christum fore propitium, et incipiendo diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem; excitato propterea odio et detestatione contra peccatum, seu pœnitentia, et proposito suscipiendi baptismum servandique mandata. 7. Hanc dispositionem sequitur justificatio, quæ non est sola remissio peccatorum, sed sanctificatio per susceptionem gratiæ et donorum. Ejus causæ sunt : finalis, gloria Dei et Christi, ac vita æterna; efficiens, Deus; meritoria, Christus; instrumentalis, baptismus; formalis, justitia Dei, non qua ipse est justus, sed qua nos vere justos facit, justitiam in nobis recipientes secundum propriam dispositionem. Cum justitia nobis inhærente simul infunditur fides, spes et charitas, sine quibus fides mortua est. 8. Dicimur tamen justificari per fidem; quia fides est salutis initium, fundamentum et radix justificationis; sine qua impossibile est placere Deo : item justificari gratis; quia justificationis gratiam non meremur per nostram præparationem. 9. Nemo potest scire certitudine fidei seu infallibili, se gratiam Dei esse consecutum : neque hoc, ut quis justificetur, debet credere. 10. Augetur gratia justificans per bona opera et observantiam mandatorum. 11. Hæc observare justificatus potest ac debet : qui quamvis in levia et quotidiana peccata quandoque cadit, non desinit esse justus, nec in quolibet opere peccat : fides sola non sufficit. 12. Citra specialem revelationem nemo pro certo scit, an sit prædestinatus. 13. Similiter de perseverantiæ munere nemo polliceatur sibi aliquid certo absolute; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare omnes debeant. 14. Justificatio post baptismum lapsi fit per distinctum a baptismo Sacramentum pœnitentiæ : hæc præter cessationem a peccato et hujus detestationem continet confessionem, saltem in voto, absolutionem et satisfactionem per pietatis exercitia pro pœna temporali, quæ non tota semper, ut in baptismo, statim hic remittitur. 15. Per peccatum mortale quodcumque amittitur gratia justificationis, non tamen fides, nisi sit peccatum infidelitatis. 16. Justificatus exerceat opera bona : hæc per gratiam Christi facta, sunt meritoria vitæ æternæ, quæ tanquam merces et corona justitiæ a Deo illis est promissa. Nemo tamen in se ipso confidat aut glorietur, sed in Domino, cujus ea est bonitas, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.

Decreto doctrinali adjecti sunt *CANONES*, grassantium tum hæreticorum erroribus oppositi. In his anathema dicitur illi, qui dixerit : 1. Absque gratia Christi posse justificari hominem : 2. Eum per gratiam tantum facilius posse juste vivere et mereri vitam æternam : 3. Sine gratia hominem posse credere, sperare, diligere aut pœnitere, prout oportet : 4. Liberum hominis arbitrium a Deo motum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, nec posse dissentire, si velit; sed nihil omnino agere, mereque passive se habere :

5. Post Adæ peccatum liberum arbitrium esse extinctum, et titulum sine re : 6. Deum proprie et per se, non permissive solum, operari malum, ut bonum : 7. Opera omnia, ante justificationem facta, vere esse peccata : 8. Gehennæ metum, ob quem peccata detestamur aut fugimus, esse peccatum aut peccatores facere pejores : 9. Sola fide, sine alia voluntatis præparatione, impium justificari : 10. Sine Christi justitia, aut formaliter per eam nos justificari : 11. Justificari hominem vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia inhærente, aut hanc esse tantum favorem Dei : 12. Fidem justificantem esse fiduciam misericordiæ divinæ, aut hanc solum justificare : 13. Ad obtinendam peccatorum remissionem opus esse, ut quis credat ea sibi esse remissa : 14. Justificationem constitui aut perfici per Fidem, qua quis credat se esse justum : 15. Justum teneri ad credendum se esse prædestinatum : 16. Citra revelationem specialem promitti sibi absoluta certitudine posse perseverantiam finalem : 17. Gratiam justificationis nonnisi prædestinatis contingere : 18. Dei præcepta justo sub gratia constituto esse impossibilia : 19. Præter Fidem in Evangelio præceptam reliqua omnia esse indifferentia, nec Decalogum pertinere ad Christianos : 20. Evangelium esse nudam promissionem vitæ æternæ sine conditione observationis mandatorum Dei et Ecclesiæ : 21. Christum non esse legislatorem, cui sit obediendum : 22. Justificatum sine speciali gratia perseverare posse, vel cum ea non posse : 23. Eumdem amplius peccato gratiam amittere non posse; et hinc, qui labitur, ante justificatum non fuisse : aut justificatum omnia, etiam venialia, peccata vitare posse sine speciali privilegio, ut de B. Virgine tenet Ecclesia : 24. Non augeri justitiam per bona opera, sed hæc tantum esse signa aut fructus justitiæ acceptæ, non causas augendæ : 25. In quolibet opere bono peccari; peccatum autem tantum non imputari ad damnationem : 26. Non debere exspectari aut sperari æternam retributionem pro bonis operibus, a justo in Deo factis. 27. Nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis, aut nullo alio gratiam amitti : 28. Amissa gratia simul amitti Fidem; vel Fidem remanentem non esse veram; vel cum ea sine charitate hominem non esse Christianum : 29. Qui post baptismum est lapsus, eum per gratiam non posse resurgere; vel posse quidem, sed absque pœnitentiæ Sacramento, solius vi Fidei : 30. Pœnitenti accepta justificationis gratia semper remitti omnem reatum, ut nulla pœna aut in hac aut in altera vita sit exsolvenda : 31. Peccare justum dum intuitu æternæ mercedis bene operatur : 32. Bona opera justi sic esse dona Dei, ut non sint etiam ipsius justi merita; aut justum per ea non mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et hujus, si in gratia decesserit, consecutionem et gloriæ augmentum : 33. Per hanc doctrinam de justificatione derogari meritis Christi. Accessit decretum de reformatione quinque capitibus constans.

Sess. 7ª. Conduntur Canones tum de Sacramentis universim, tum speciatim de Baptismi et Confirmationis Sacramento : His adjecta sunt quindecim capita in decreto de reformatione.

CANONES de Sacramentis universim anathema dicunt illi qui dixerit : 1. Sacramenta N. L. non fuisse omnia instituta a Christo; aut esse plura vel pauciora quam septem; aut aliquod a Concilio nominatorum non esse verum et proprium : 2. Illa non differre a V. L. Sacramentis, nisi quatenus sunt alii ritus aut cæremoniæ : 3. Nullum alio esse dignius : 4. Omnia esse superflua, nulla necessaria ad salutem : 5. Esse instituta solum ad Fidem

nutriendam : 6. Nec continere, nec conferre gratiam; sed signa tantum esse gratiæ acceptæ et notas Christianæ professionis : 7. Per illa non semper conferri gratiam, licet suscipiantur rite ac sine obice : 8. Ex opere operato per ea non conferri gratiam : ad hanc obtinendam sufficere Fidem promissionis divinæ . 9. In Baptismo, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem unde illa iterari non possunt : 10. Christianos omnes habere potestatem administrandi Sacramenta : 11. In ministris non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia : 12. Ministrum, peccato mortali affectum, non conficere aut conferre Sacramentum, licet omnia huc pertinentia faciat : 13. Ecclesiæ ritus in solemni Sacramentorum administratione posse contemni, omitti, aut a quocumque Pastore mutari.

Speciales Canones de *Baptismo* anathematizant eum qui dixerit : 1. Baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi : 2. Aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi : 3. In Ecclesia Romana non esse veram de baptismo doctrinam : 4. Baptismum ab Hæreticis sub debita forma ac intentione collatum non esse baptismum verum : 5. Baptismum esse liberum, non necessarium ad salutem : 6. Baptizatum non posse amittere gratiam, nisi peccato infidelitatis : 7. Eumdem vi Baptismi fieri debitorem Fidei solius, non totius legis Christi servandæ : 8. Baptizatos liberos esse ab omnibus Ecclesiæ præceptis, nisi se sponte illis submiserint : 9. Vota post baptismum facta, vi factæ in illo promissionis, esse irrita : 10. Peccata post baptismum commissa, sola recordatione et Fide Baptismi suscepti dimitti aut venialia fieri : 11. Ab Apostata ad pœnitentiam converso iterandum esse Baptismum antea rite susceptum : 12. Neminem esse baptizandum, nisi sit in ætate Christi baptizati, aut in mortis articulo : 13. Parvulos, actum Fidei non elicientes, suscepto Baptismo inter fideles non esse computandos, ideoque rebaptizandos, cum ad discretionis annos pervenerint : aut præstare Baptismum omittere, quam baptizare actu non credentes : 14. Baptizatos parvulos, ubi adoleverint, suo arbitrio esse relinquendos, si quod Patrini nomine eorum in Baptismo promiserunt, habere ratum postea nolint.

Similes canones de *Confirmatione* execrantur illum qui dixerit : 1. Confirmationem esse otiosam cæremoniam; aut olim nil fuisse aliud quam catechesin quamdam, qua adolescentiæ proximi rationem Fidei suæ coram Ecclesia exponebant : 2. Injurios esse Spiritui sancto qui sacro chrismati virtutem aliquam tribuunt : 3. Quemvis Sacerdotem simplicem esse ordinarium Confirmationis ministrum.

Sess. 8ª. De qua jam ante actum fuerat, ob contagiosum Tridenti grassantem morbum, translatio Concilii Bononiam decernitur a duabus Patrum tertiis partibus, altera tertia, ex Hispanis et Cæsareanis conflata, contradicente et repugnante. Ne renovaretur tristis scena Basileæ olim orta, prudens moderatio fecit, qua minor pars, quantumvis Tridenti permanens, a Sessionibus celebrandis abstinuit. 9ª. Ab advectis Bononiam Patribus instituta, ob Præsulum paucitatem decernit conciliarem conventum ad bimestre differendum. 10ª. Ex eadem causa Concilium in trimestre prorogat, designat tamen proxime pertractandam Sacramentorum materiam; sed trimestris prorogatio, ut supra notatum, in quadriennalem suspensionem abiit. 11ª. Editur decretum de resumendo concilio. 12ª. Editur decretum de proroganda ulterius Sessione, ob Nationis Germanicæ, cujus causa præcipue agebatur, absentiam, nec magnam cæterorum Patrum frequentiam.

Sess. 13ª. Decretum hic promulgatum exponit Ecclesiæ doctrinam de *SS. Eucharistiæ Sacramento :* 1. Post panis et vini consecrationem, Christus vere, realiter ac substantialiter, sub illarum rerum sensibilium specie continetur. 2. Christus hoc Sacramentum instituit in sui memoriam, in spiritualem animarum cibum, in antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a mortalibus præservemur, in pignus futuræ gloriæ, et symbolum unitatis. 3. Sacramentum hoc præcellit cæteris, quod ipsum sanctitatis auctorem Christum contineat; qui statim post consecrationem, et ante usum, est præsens : vi quidem verborum ejus corpus sub specie panis, et sanguis sub specie vini; vi naturalis autem connexionis, qua partes Christi, jam non amplius morituri, inter se copulantur, anima sub specie utraque; vi demum unionis hypostaticæ, divinitas. Tantumdem est sub specie una, quantum sub altera et utraque; totus enim et integer Christus sub qualibet specie et quavis speciei parte existit. 4. Per Consecrationem fit conversio totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, et similiter vini in sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. 5. Cultus latriæ huic Sacramento est exhibendus, cum Deus ipse sit præsens, alias etiam adoratus : ideoque convenienter institutum est Theophoriæ festum. 6. Retinenda est antiquissima consuetudo Eucharistiam in sacrario asservandi et deportandi ad ægros. 7. Ex apostoli præcepto, probandi seipsum, consuetudine Ecclesiastica declarato, nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, ad Eucharistiam absque præmissa sacramentali confessione accedat : quod et de Sacerdotibus intelligitur, si copia Confessarii adsit : si autem is, necessitate urgente, sine confessione prævia celebrarit, quamprimum confiteatur. 8. Sacramentum hoc tripliciter sumitur : sacramentaliter tantum, a peccatoribus; spiritualiter tantum, ab habentibus votum vel desiderantibus; sacramentaliter simul et spiritualiter, a suscipientibus reipsa et cum gratiæ augmento Sacramentum : Laici communionem accipiant a Sacerdotibus; celebrantes ipsi sumant; Fideles omnes frequenter suscipiant.

Subnectantur *CANONES* anathematizantes eum qui dixerit 1. In Eucharistiæ Sacramento non contineri vere, realiter, et substantialiter, corpus et sanguinem cum anima et divinitate Christi, et hinc totum Christum; sed tantum esse in eo ut signo, vel figura, aut virtute : 2. Remanere substantiam panis et vini cum corpore et sanguine Christi, nec fieri transsubstantiationem, manentibus solum speciebus panis et vini : 3. In Eucharistia non contineri totum Christum sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta : 4. In ipso actuali tantum usu Eucharistiæ esse præsentem Christum, non autem ante et post usum : 5. Præcipuum vel unicum Eucharistiæ fructum esse remissionem peccatorum : 6. Christum hic non esse adorandum cultu latriæ, etiam externo; nec festivitate peculiari venerandum; nec in processionibus solemniter circumgestandum; nec publice adorationi proponendum : ejus adoratores esse idololatras : 7. Eucharistiam post consecrationem statim esse distribuendam; non in sacrario asservari, nec ad ægros deferri licere : 8. Christum in Eucharistia spiritualiter tantum, non etiam sacramentaliter ac realiter manducari : 9. Ex Ecclesiæ præcepto non teneri Fideles, ætatem discretionis adeptos, ad communionem paschalem annuam : 10. Non licere Sacerdoti celebranti, seipsum communicare : 11. Solam Fidem esse præparationem sufficientem ad Eucharistiæ sumptionem : habita etiam Confessarii copia, præmitten-

dam non esse Confessionem sacramentalem, modo quis contritum se existimet.

Præter hæc sancitum est decretum de reformatione octo capita complexum : adjecta prorogatio definitionis de aliis circa Eucharistiam articulis : data cautio et Fides publica Protestantibus ad Concilium venturis.

Sess. 14ª. Decreta duo hic edita doctrinam et Canones continent de Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis Sacramentis : tertium de Reformatione additum tredecim capitibus constat.

De *Pœnitentiæ Sacramento* hæc docentur : 1. Pœnitentia peccatoribus quovis tempore fuit necessaria : ad rationem Sacramenti pro baptizatis elevata est a Christo, dum post resurrectionem insufflavit in discipulos dicens : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata,* etc., quod factum sicut Novatianorum errorem refellit, sic verba de potestate prædicandi verbum Dei et annuntiandi Evangelium explicari non sinit. 2. Differt Pœnitentia a Baptismo quoad materiam, formam, ministrum, effectum et conditiones : lapsis post Baptismum est necessaria, ut nondum regeneratis Baptismus. 3. Forma, in qua præcipue sita vis Sacramenti, posita est in illis ministri verbis *Ego te absolvo, etc.* : quibus ex more preces additæ, non tamen ad essentiam spectant, nec sunt necessariæ. Quasi materia sunt actus pœnitentis, scil. contritio, confessio et satisfactio : qui quatenus ad integritatem Sacramenti et plenam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, partes pœnitentiæ dicuntur. Effectus, quantum ad vim, est reconciliatio cum Deo; quam interdum conscientiæ pax, serenitas et consolatio sequuntur. Incussi conscientiæ terrores et Fides, nec pars nec effectus sunt hujus Sacramenti. 4. Contritio est animi dolor de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero : fuit omni tempore necessaria ad veniam, in baptizato lapso ad eam præparat, conjuncta cum Fiducia divinæ misericordiæ et voto præstandi reliqua requisita : adeoque non est sola cessatio a peccato, et propositum ac inchoatio vitæ novæ, sed veteris odium et detestatio. Etsi autem ea aliquando charitate perficiatur, adeo ut peccatorem ante justificet quam Sacramentum actu suscipiat; hoc tamen sine Sacramenti voto, contritioni perfectæ incluso, non fit. Contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, quia vel ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solum non facit hominem hypocritam et magis peccatorem, sed etiam donum Dei est, et impulsus Spiritus sancti, necdum quidem inhabitantis, sed tantum moventis : et quamvis ea sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit. Hoc timore utiliter concussi Ninivitæ pœnitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt. 5. Confessio a Christo instituta, post Baptismum lapsis jure divino est necessaria; quia ille Sacerdotes sui vicarios ut judices constituit, ad quos omnia mortalia peccata deferantur : judicium enim hoc incognita causa exercere nequeunt, et ne æquitatem quidem in pœnis injungendis servare, si in genere duntaxat, et non in specie, peccata declarentur. Hinc omnia, licet occultissima, peccata mortalia, quorum post diligentem discussionem conscientia habetur, a pœnitentibus recenseri debent : venialia autem, licet recte et utiliter exponantur, taceri tamen in confessione possunt, et alii remediis expiari. Circumstantiæ etiam, quæ speciem peccati mutant, sunt explicandæ; quia sine his peccata a pœnitentibus non integre exponuntur, nec judicibus in-

notescunt; hi autem nec de gravitate criminum recte censere, nec pœnam debitam imponere possunt. Confessio sic fieri præcepta non est carnificina conscientiæ; quia pœnitens tenetur tantum confiteri ea peccata, quibus se Deum mortaliter offendisse post examen diligens meminerit : quæ vero diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur. Publica peccatorum confessio non est necessaria, sed satis est secreta; quæ initium non habuit primum a Concilio Lateranensi, ubi jus divinum a Christo jam institutum, singulis annis implendum, duntaxat mandabatur. 6. Minister hujus Sacramenti non est Fidelis quilibet, sed Episcopus et Sacerdos, qui etsi malus sit, conficere tamen hoc Sacramentum cum effectu potest. Is vero non tantum vel annuntiat Evangelium, vel declarat peccata esse remissa, sed ut judex actu judiciali sententiam absolutionis pronuntiat : qui tamen animum serio agendi et absolvendi habere debet. 7. Cum omnis judicii ratio exigat sententiam ferri in subditum, nullius momenti est absolutio, quam Sacerdos profert in eum, in quem ordinariam aut delegatam jurisdictionem non habet. Ob disciplinæ utilitatem, etiam coram Deo locum habet casuum reservatio, qua peccata quædam atrociora et graviora, non quidem quivis, sed summi tantum Sacerdotes suo judicio absolvenda reservant : quæ potestas non Papæ tantum, sed Episcopis omnibus, in sua cuivis diœcesi, competit, in ædificationem tamen, non in destructionem. In articulo autem mortis nulla est reservatio, sed quilibet Sacerdos quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere potest. 8. Cum non remittatur cum culpa omnis etiam pœna, satisfactio autem ad hanc tollendam et alios effectus magnopere faciat, Sacerdos, quantum Spiritus et prudentia suggeserit, pro qualitate criminum et facultate personarum, salutares et convenientes satisfactiones pœnitentibus injungere debet : Satisfactio autem sit, non tantum ad vitæ novæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed et ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem; quæ ratio ex ligandi officio usurpata, nec Sacramentum hoc facit forum iræ aut pœnarum, nec vim meriti et satisfactionis Christi obscurat. 9. Neque tamen solum pœnis aut sponte susceptis, aut a Sacerdote impositis, sed et temporalibus flagellis a Deo inflictis, a nobis patienter toleratis, apud Deum per Christum satisfacere possumus.

CANONES cognati anathemate feriunt eum qui dixerit : 1. Pœnitentiam non esse vere ac proprie sacramentum reconciliatonis, a Christo institutum; 2. Eam non esse distinctum a baptismo sacramentum, nec recte appellari secundam post naufragium tabulam : 3. Verba Christi : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis*, etc., non esse intelligenda de potestate in pœnitentiæ sacramento, sed de auctoritate prædicandi evangelium : 4. Ad integram et perfectam peccatorum remissionem non requiri in pœnitente tres actus memoratos, quasi materiam sacramenti, et tres pœnitentiæ partes dictos : Aut duas tantum esse partes, nempe terrores incussos conscientiæ, et fidem qua quis credit per Christum remissa sibi peccata : 5. Attritionem non esse verum et utilem dolorem, nec parare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; esse dolorem coactum, non liberum ac voluntarium : 6. Confessionem vel institutam vel necessariam jure divino non esse : aut modum secrete confitendi esse alienum ab institutione et mandato Christi, ac inventum humanum : 7. Non esse necessarium jure divino, confiteri omnia et singula, quorum memoria habetur, peccata mortalia, etiam occulta et duobus ultimis Decalogi præceptis contraria, et

circumstantias peccati speciem mutantes; aut non licere confiteri peccata venialia : 8. Confessionem esse impossibilem et traditionem humanam; aut non esse obligationem semel in anno confitendi : 9. Absolutionem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium declarandi peccata esse remissa, modo confitens tantum credat se absolutum, aut sacerdos tantum joco absolvat : aut non requiri confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit : 10. Sacerdotem, qui est in peccato mortali, non habere potestatem solvendi et ligandi; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis : sed omnes fideles exercere posse illud dictum : *Quorum remiseritis*, etc. *Quæcumque ligaveritis*, etc. : 11. Episcopos non habere jus reservandi sibi peccata, nisi quoad externam politiam : 12. Semper totam pœnam simul cum culpa remitti a Deo. Satisfactionem non esse aliam, quam fidem de satisfactione Christi : 13. Quoad pœnam temporalem non satisfieri per merita Christi, vel pœnis a Deo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote impositis, vel sponte susceptis pœnalibus, vel aliis pietatis operibus; sed optimam pœnitentiam esse tantum vitam novam : 14. Satisfactiones ejusmodi non esse cultum Dei, sed traditiones hominum, obscurantes doctrinam de gratia, verum Dei cultum et beneficium mortis Christi : 15. Claves Ecclesiæ tantum esse datas ad solvendum, non ad ligandum; et hinc impositionem pœnæ esse contra finem clavium et Christi institutionem : item fictionem esse quod virtute clavium solvenda pœna temporalis maneat, æterna sublata.

De *Extrema unctione* sequens est doctrina : 1. Sacramentum hoc a Christo esse institutum Marci c. 6 insinuatur; per Jacobi verba : *Infirmatur quis in vobis*, etc., commendatur et promulgatur : materia illius est oleum ab Episcopo benedictum; forma, verba illa : *Per istam sanctam unctionem*, etc. 2. Effectus hujus sacramenti est gratia ad expiandum peccatum et hujus reliquias abstergendas, atque ad alleviandum et confirmandum ægrum, ut morbum levius ferat, tentationibus dæmonis facilius resistat et sanitatem corporis, si animæ saluti expedit, interdum consequatur. 3. Minister hujus sacramenti est Episcopus vel sacerdos : tempus administrandi, quando infirmus tam periculose decumbit, ut in exitu vitæ constitutus videatur; dumque convalescens in aliud simile discrimen pervenerit.

Canones *de eadem* subjuncti anathema dicunt illi qui dixerit : 1. Extremam unctionem non esse sacramentum a Christo institutum, a Jacobo promulgatum, sed ritum acceptum a Patribus aut figmentum humanum : 2. Illam non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmum; sed jam cessasse, utpote gratiam curationum : 3. Hunc ritum et usum repugnare Jacobo; ideoque mutandum, et absque peccato contemni posse : 4. Presbyteros Ecclesiæ, quorum Jacobus meminit, non esse sacerdotes, sed seniores in quavis communitate; ideoque ministrum hujus unctionis non solum sacerdotem.

Sess. 15ª. Fit sessionis prorogatio : Protestantibus datur salvus conductus formulæ uberioris. 16ª. Ingruente Stationi Synodali Saxonico bello, decernitur suspensio Concilii ad biennium, ea lege, ut pace prius reddita etiam ante hoc tempus Concilium vigeret : sed durantibus diutius impedimentis, cessatio decennium explevit. 17ª. Collectis rursus Patribus post convocationem a Pio IV factam, editur decretum de continuando Concilio, et tractanda, Legatis proponentibus, materia Fidei, morum ac disciplinæ; quibusdam frustra novitatem in propositione a Legatis facienda causantibus. 18ª. Sancitur decretum alterum de librorum delectu seu indice librorum

prohibitorum a deputatis conficiendo; alterum de Fide publica Protestantibus etiam per Congregationem generalem dari concessa. 19ª. Ad postulationem Legatorum Gallicorum fit Sessionis prorogatio. His appulsis, de voce *continuationis* oritur controversia, Italis et Hispanis pro ea stantibus, Gallis et Germanis Concilium de novo inchoari volentibus; abstrahendum a voce censet Pontifex, statuens nihilominus, inde tractationis initium faciendum, ubi desierat Conciliare negotium. 20ª. Ob varias difficultates, tum ex litibus Oratorum de prœdria, tum ex sententiarum diversitate de communione sub utraque specie Protestantibus concedenda ortas, iteratur Sessionis prorogatio.

Sess. 21ª. Declaratur doctrina *de Communione sub utraque specie et parvulorum*, capitibus quatuor totidemque Canonibus : de reformatione autem quindecim capitibus agitur.

Declaratio hujus est tenoris : 1. Qui Eucharistiæ Sacramentum non conficiunt, nullo præcepto divino urgentur ad illud sub utraque specie sumendum : nec dubitari potest quin sumptio sub una specie sufficiat ad salutem : 2. Fuit perpetuo in Ecclesia potestas, ut in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati et Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret. Hinc licet sub Ecclesiæ initium non infrequens fuerit usus utriusque speciei, progressu tamen temporis, mutata jam illa consuetudine, gravibus et justis ex causis consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit : hanc reprobare aut mutare sine Ecclesiæ auctoritate non liceat. 3. Quamvis Christus hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit et tradiderit Apostolis; est tamen fatendum, totum ac integrum Christum sub altera tantum specie, verumque Sacramentum sumi; ac proin nulla gratia ad salutem necessaria defraudari, qui unam speciem solam accipiunt. 4. Parvuli, usu rationis carentes, nulla obligantur necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem : non tamen damnanda est antiquitas, si eum morem aliquando alicubi servavit.

Canonum anathema ferit eum, qui dixerit : 1. Ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes et singulos fideles utramque speciem sumere debere : 2. Ecclesiam non justis de causis panis tantum specie communicare Laicos et Sacerdotes Eucharistiam non conficientes : aut in eo errasse : 3. Totum et integrum Christum sub una panis specie non sumi; quia non sumitur secundum Christi constitutionem sub utraque : 4. Parvulis, ante discretionis annos, necessariam esse communionem. Porro an usus calicis aliquando Laicis sit permittendus, et quales causæ id concedendi sint justæ, Concilium in aliud tempus reservat decidendum.

Sess. 22ª. De Missæ sacrificio editur, per doctrinæ capita, Canones consuetos, et præscriptas reverentiæ leges : fit decretum de reformatione per undecim capita diffusum : resumpta quæstione de calicis usu aliquibus Provinciis petentibus permittendo, negotium ad summum Pontificem refertur.

Doctrina *de Sacrificio Missæ* : 1. Christus in cœna Apostolis, quos tunc Sacerdotes constituit, dedit potestatem et præceptum offerendi corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini; id tanquam juge Sacrificium visibile relinquens Ecclesiæ suæ, per quod virtus sacrificii in cruce peracti nobis applicatur in remissionem peccatorum. 2. Quia in hoc Sacrificio

Christus incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit; vere est propitiatorium pro vivis et defunctis. 3. Memoria Sanctorum fit in Sacrificio; ipsum tamem soli Deo offertur, non vero Sanctis, quorum duntaxat patrocinia imploramus. 4. Canon Missæ, cum constet ipsis Domini verbis, Apostolorum traditionibus et piis sanctorum Pontificum institutionibus, ab omni errore purus, sanctitatem et pietatem spirat. 5. Per ritus mutata voce dicendorum, cæremonias, lumina, vestes et similia, ex Apostolica antiquitate accepta, mens ad altissima mysteria contemplanda excitatur. 6. Optandum ut Missæ præsentes sacramentaliter communicarent : in qua tamen solus Sacerdos si communicat, ea adhuc est et commendanda et publica; quia populus spiritualiter communicat, Sacerdos est publicus Ecclesiæ minister et Missa pro omnibus fidelibus celebratur. 7. Vinum aqua miscendum, quia Christus ita fecisse creditur; sanguinem et aquam e Christi latere exivisse hac mixtione recolitur; populi per aquam significati cum Christo unio repræsentatur. 8. Missa non est dicenda lingua vulgari, sed more ab Ecclesia Romana usitato : ejus tamen mysteria populo frequenter sunt explicanda.

CANONES de eodem anathema pronunciant in eum, qui dixerit : 1. In Missa verum et proprium Sacrificium non offerri; aut offerri non esse aliud quam manducandum dari; 2. Verbis illis : *Hoc facite in meam commemorationem*, Christum Apostolos non instituisse Sacerdotes; aut non ordinasse ut ipsi et Sacerdotes alii offerrent suum corpus et sanguinem; 3. Missæ Sacrificium non esse propitiatorium, sed laudis tantum et gratiarum actionis, vel nudam commemorationem, vel prodesse soli sumenti; nec pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, aut necessitatibus aliis offerri debere; 4. Blasphemiam irrogari, vel derogari Sacrificio crucis per Missæ Sacrificium; 5. Imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, ad impetrandam eorum intercessionem, juxta Ecclesiæ mentem; 6. Canonem Missæ continere errores et esse abrogandum; 7. Cæremonias, vestes et externa signa in Missis usitata, potius irritabula impietatis esse, quam officia pietatis; 8. Missas, ubi Sacerdotes solus communicat, illicitas esse et abrogandas; 9. Ritum, quo submissa voce pars canonis, et consecrationis verba proferuntur, esse damnandum; aut lingua tantum vulgari Missam dicendam; aut aquam non miscendam.

LEGES pro Missæ reverentia : 1. Absint cujusvis generis mercedum pactiones pro celebratione; nec non eleemosynarum exactiones potius quam postulationes; omnis denique simoniaca labes vel turpis quæstus. 2. Vagi et ignoti ne sinantur celebrare. 3. Notorie criminosi arceantur a celebratione et auditione Missæ. 4. Non celebretur a quopiam in privatis domibus, aut extra Ecclesiam ac Oratoria, divino cultui tantum dicata. 5. Arceatur ab Ecclesiis musica lasciva, actiones seculares, vana colloquia, deambulationes, strepitus et clamores. 6. Caveatur omnis superstitio in numero candelarum certo aut similibus; et ne aliis horis, ritibus, cæremoniis aut precibus, quam debitis, celebretur. 7. Doceatur populus de qualitate et causa fructus Sacrificii. 8. Moneatur idem, ut frequenter ad suas Parochias, diebus saltem Dominicis et festis majoribus accedat. Quæ omnia Ordinariis proponuntur ita ut ad ea servanda populum etiam pœnis Ecclesiasticis compellant.

Sess. 23ª. Diu hæc dilata tum ob controversiam de reformatione Romanæ curiæ, quam Imperator et Rex Galliæ a Concilio fieri urgebant, Pontifex autem partim decreto a se edito jam factam, partim adhuc faciendam sibi

sumebat, tum ob concertationem de prærogativa Hispanum inter et Gallum Oratorem ortam; tandem post decem ab ultima Sessione menses habita est, Simonetæ adjunctis Hosio, Morono et Navagero, qui in locum aliorum Præsidum jam defunctorum successerant. Exponitur duplici more consueto dogma de Sacramento Ordinis; decernitur de reformatione octodecim capitibus.

Dogma *de Sacramento Ordinis* : 1. Christus Apostolis, et eorum in Sacerdotio successoribus dedit potestatem consecrandi, offerendi et ministrandi visibile Sacrificium, nec non dimittendi et retinendi peccata. 2. Ad venerationem tanti Sacrificii, ab ipso Ecclesiæ initio fuerunt in usu septem Ordines; tres majores seu sacri, et quatuor minores. 3. Cum ordinatio sacra conferat gratiam, ordo est verum ac proprium Sacramentum. 4. Non omnes Christiani sunt Sacerdotes, sed ii soli qui ab Episcopis legitime sunt ordinati : semel ordinati nunquam fieri possunt Laici. Episcopi ad Hierarchiam Ecclesiasticam præcipue pertinent; sunt Presbyteris superiores; præter confirmationis collationem et alias functiones sibi solis proprias, ministros Ecclesiæ ordinant, etiam non requisito nec necessario Laicorum suffragio aut consensu : sine Episcopi ordinatione, ad secularis potestatis vocationem vel institutionem exercentes ministeria sacra, non sunt ministri Ecclesiæ.

CANONES adnexi execrantur illum qui dixerit : 1. In N. T. non esse sacerdotium visibile, aut potestatem consecrandi et offerendi, vel remittendi et retinendi peccata, sed officium et nudum ministerium prædicandi Evangelium; quique non prædicant, non esse sacerdotes : 2. Præter sacerdotium nullos esse Ordines alios, per quos velut per gradus ad illud ascendatur : 3. Ordinem non esse vere ac proprie Sacramentum; sed figmentum humanum, aut ritum tantum eligendi ministros Verbi Dei : 4. Per eum non dari Spiritum sanctum, nec imprimi characterem; vel Sacerdotem semel factum, rursus fieri Laicum posse : 5. Sacram Unctionem in ordinatione usitatam non requiri, sed contemnendam esse ac perniciosam, similiter et alias Ordinis cæremonias : 6. In Ecclesia non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, et ministris : 7. Episcopos non esse Presbyteris superiores; vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam ipsis esse cum Presbyteris communem; vel ordines, absque populi aut potestatis secularis vocatione vel consensu collatos, esse irritos; vel non ordinatos, nec missos ab Ecclesiastica potestate, veros esse verbi divini et Sacramentorum ministros : 8. Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros Episcopos.

Sess. 24ª. Eduntur *de Sacramento Matrimonii* Canones et reformatio : additur aliud ad alias materias pertinens decretum de reformatione, viginti capita complexum.

CANONES præit doctrina, quæ matrimonii perpetuum et indissolubilem nexum asserit; hoc vinculo duos duntaxat copulari et conjungi enuntiat; gratiam, quæ naturalem amorem perficiat, indissolubilem unitatem confirmet, conjuges sanctificet, matrimonio meritis Christi comparatam affirmat; indeque matrimonium Sacramentis annumerandum infert, et Traditione confirmat.

Ipsi autem *CANONES* pro more reprobant eum qui dixerit : 1. Matrimonium non esse vere ac proprie Sacramentum a Christo institutum nec gratiam conferre : 2. Licere Christianis plures simul habere uxores, nec hoc lege divina prohibitum : 3. Consanguinitatis et affinitatis tantum

gradus in Levitico expressos, matrimonium impedire contrahendum, dirimere contractum; nec posse Ecclesiam dispensare in eorum nonnullis, nec constituere, ut plures impediant et dirimant : 4. Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse : 5. Propter hæresin, aut molestam cohabitationem, aut conjugis absentiam, dissolvi posse matrimonii vinculum : 6. Matrimonium ratum, non consummatum per alterius conjugum solemnem Religionis professionem non dirimi : 7. Errare Ecclesiam, dum docuit et docet non dissolvi vinculum matrimonii per alterius conjugum adulterium; nec, quamdiu alter conjugum vivit, posse etiam innocentem aliud matrimonium inire; mœcharique eum qui dimissa adultera aliam duxerit; et eam quæ dimisso adultero nupserit alii : 8. Ecclesiam errare, dum decernit, ob multas causas fieri posse separationem conjugum quoad thorum seu cohabitationem, ad certum incertumve tempus : 9. Clericos in sacris ordinibus constitutos, et Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere : contractumque valere, non obstante lege Ecclesiastica vel voto; omnesque posse contrahere matrimonium, qui castitatis, licet eam voverint, donum se habere non sentiunt : 10. Statum conjugalem præponendum virginali vel cœlibi; hunc que illo non esse meliorem : 11. Prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis temporibus esse superstitionem; benedictiones earum aliasque cæremonias Ecclesiasticas damnandas : 12. Causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos.

Reformatio complectitur sequentia. 1. Matrimonia clandestina, etiam sine consensu parentum, valida fuerunt, quandiu ea non irritavit Ecclesia; quæ tamen illa semper prohibuit. Cum vero sola prohibitio non sufficiat ad coercenda scelera, abusus et pericula adulteriorum, fiat posthac a proprio contrahentium Parocho trina denuntiatio, quæ tamen minui vel remitti ex Ordinarii judicio possit. Nullo impedimento opposito, et consensu intellecto, matrimonium celebretur in facie Ecclesiæ, præsentibus testibus, et Parocho sponsos conjungente. Qui aliter quam præsente Parocho, vel, de hujus aut Ordinarii licentia, alio Sacerdote, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, ad sic contrahendum sint inhabiles, et contractus hujusmodi irritus ac nullus; qui aliter fecerint, pœnis insuper ab Ordinario gravibus mulctentur. Sponsi ante matrimonium ordinarie in eadem domo non cohabitent. Qui sine parochi proprii licentia matrimonio jungit sponsos, ipso jure suspensus maneat, dum a Parochi proprii Ordinario absolvatur. Habeat Parochus librum quo conjugum et testium nomina, dies et locus matrimonii contracti notentur. Moneantur sponsi ut ante matrimonium confiteantur et communicent. Hoc decretum promulgetur sæpius in Parochiis, præsertim primo anno : post triginta autem dies a promulgatione facta, robur suum habeat. 2. Unus tantum vel una, vel ad summum unus et una munus patrini agant : inter hos et baptizatum baptizatique parentes, nec non inter baptizantem et baptizatum baptizatique parentes tantum cognatio spiritualis contrahitur : unde horum nomina inscribantur libro baptismali. Si alii præter designatos infantem levando tangant, cum his cognatio non oritur. Similis limitatio est cognationis ex Confirmatione. 3. Impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus quacumque ratione invalidis non oritur : si valida fuerint, primum gradum non excedat. 4. Impedimentum affinitatis, ex fornicatione ortum ad primum, tantum et secundum gradum restringitur. 5. Qui scienter intra gradus prohibitos contraxit, separetur et

spe dispensationis careat : idem fiat, si neglectis solemnitatibus ignorans cum impedimento contraxit si adhibitis solemnitatibus, ignoratum impedimentum postea cognoscatur; facilius et gratis cum eo dispensari potest. In contrahendis matrimoniis vel nulla dispensatio, vel raro, idque ex causa et gratis detur : in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes et ob causam publicam. 6. Inter raptorem et raptam, dum hæc est in raptoris potestate, non stat matrimonium. Raptores et adjutores sint ipso jure excommunicati et perpetuo infames ; si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Si rapta separata, et in loco tuto ac libero posita, consentiat libere, raptor eam ducere possit : tenetur tamen eam dotare, seu duxerit, seu non. 7. Vagabundi non facile admittantur ad matrimonium : Magistratus seculares eos coerceant : Parochi non adsint eorum matrimoniis, nisi facta inquisitione, et re ad Ordinarium delata, ab eo habuerint licentiam. 8. Concubinarii post trinam Ordinarii monitionem excommunicentur : ultra annum contumaces puniantur gravius. Concubinæ post trinam monitionem puniantur severe, et extra diœcesin ejiciantur, invocato, si opus, brachio seculari; aliis pœnis in suo robore permanentibus. 9. Domini ac Magistratus directe vel indirecte cogentes minis vel pœnis subditos ad certa matrimonia cum certis contrahenda, ipso facto sint excommunicati. 10. Ab adventu usque ad Epiphaniam, et a feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusive, prohibitiones solemnium nuptiarum observentur.

Sess. 25ª. Sanciuntur tria decreta dogmatica : 1ᵘᵐ de Purgatorio; 2ᵘᵐ de Invocatione, Veneratione ac Reliquiis Sanctorum, et sacris Imaginibus; 3ᵘᵐ de Indulgentiis; cui additio facta de delectu ciborum, jejuniis et diebus festis : posterioribus interponebantur decreta, alterum de Regularibus, de Reformatione alterum : negotium olim commissum de Indice librorum noxiorum, cum perfici et distincte de omnibus judicari non potuerit, jubetur quodcumque hac in re a Deputatis factum exhiberi summo Pontifici, ut ejus judicio et auctoritate opus terminetur et evulgetur : idem mandatur Deputatis ad Catechismum, Missale et Breviarium : demum post factam probatamque finiendæ Synodi et confirmationis petendæ rogationem, succedit acclamatio et subscriptio Patrum, quos inter Procuratores absentium soli subscripserunt non definiendo.

Decernitur *de purgatorio :* esse purgatorium, animas ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum sacrificio missæ juvari; sanam de purgatorio doctrinam credendam, tenendam, et populo prædicandam; omissis tamen difficilioribus et subtilioribus quæstionibus, incertis autem, curiosis, et superstitionem vel quæstum sapientibus tractari prohibitis. *De invocatione et veneratione Sanctorum :* Sanctos cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum et utile esse, suppliciter eos invocare, et ob beneficia a Deo impetranda per ejus filium, unicum redemptorem et salvatorem, ad eorum orationes opemque confugere : illos e contra impie sentire, qui negant sanctos esse invocandos, aut pro hominibus orare; qui sanctorum invocationem dicunt esse idololatriam, vel pugnans cum verbo Dei, vel honori Christi adversum, vel stultum. *De Reliquiis Sanctorum* : Sanctorum Martyrum et aliorum cum Christo viventium sacra corpora a fidelibus esse veneranda, per quæ a Deo multa beneficia hominibus præstantur; omnino damnandos esse et damnari eos, qui sanctorum reliquiis venerationem non deberi, vel eas inutiliter honorari, et sanctorum memorias opis eorum impe-

trandæ causa frustra frequentari affirmant. *De Imaginibus sacris* : Imagines Christi et sanctorum, in templis præsertim, habendas et retinendas; illisque honorem et venerationem impertiendam esse, non quod credatur illis inesse aliqua divinitas aut virtus, vel quod ab ipsis imaginibus aliquid petendum aut in iis fiducia sit figenda, ut gentiles olim idolis tribuebant : sed quia honor illis exhibitus refertur ad prototypa; ita ut per imagines, quibus veneratio-nis signa exhibemus, Christum adoremus et sanctos veneremur. Insuper per picturas populum erudiri et confirmari in articulis fidei, monerique intuentes acceptorum beneficiorum et exemplorum imitandorum : quibus qui contraria docent, anathemati subjici. Abusus autem, si qui sint, abolendos esse; instruendum populum divinitatem non hinc corpoream quia sensibiliter figuratur; et omnem superstitionem, quæstum et lasciviam tollendam : unde nec proponendam esse insolitam imaginem, nec nova miracula aut reliquias recipiendas, nisi ab Episcopo recognitas et approbatas. In gravioribus quæstionibus a Synodo Provinciali esse cognoscendum; nihil tamen novum et inusitatum decernendum, inconsulto Pontifice. *De Indulgentiis* : Potestatem eas concedendi a Christo collatam esse Ecclesiæ, earum usum ab antiquissimis temporibus fuisse; eumdem, Christianis maxime salutarem et a Conciliis probatum, esse retinendum : damnatis illis qui contraria asserunt; adhibendam tamen in iis concedendis moderationem, ne disciplina enervetur. Ad abusus emendandos, quæstum pravum pro iis consequendis penitus abolendum; alios ex superstitione, ignorantia vel aliunde provenientes, indagandos apud suos ab Episcopis, et a Concilio Provinciali cognitos ad summum Pontificem referendos, ut de illis pro Ecclesia universali statuatur. *De delectu ciborum, jejuniis et diebus festis* : Commendanda et usurpanda esse, quæ Romana Ecclesia servat et Concilia statuunt; maxime ciborum delectum et jejunia ad carnem mortificandam, dierum festorum celebrationem ad pietatem augendam : admonito populo ad obedientiam, ut remunerationem capiant, ultionem evitent.

III. Argumentum quod in Conciliis aliis præbebant Canones, in præsenti referunt Decreta de Reformatione. Ordinem in illis non facit doctrinæ methodus, nec materiæ ratio; quin et eadem res aliquoties, auctario tamen quodam accedente, est repetita : unde quam unam habent ex Sessionibus, in quibus promulgata fuerunt, seriem sectabimur; excepto solo decreto quod de Regularibus inscribitur, cum alia careant quacumque inscriptione : quæ enim de observandis in celebratione Missæ ac reformatione matrimonii edita sunt, tanquam affinia rebus dogmaticis supra adjecimus.

In *Sessione V.* Ordinatur : 1. jam constitutos urgendos, aut recens constituendos esse, in Ecclesiis Episcopalibus quidem et Collegiatis insignibus Theologum ad sacram Scripturam, in Collegiatis minoribus autem Magistrum ad grammaticam gratis docendam; iisdem etiam de congruo stipendio providendum : idem commendatur monasteriis et Regularium conventibus : præterea datur docentibus, qui probati sint, et scholaribus Clericis, gaudere reditibus, in absentia legitima a jure concessis. 2. Debere Episcopos per sese, aut si impediantur, per alios idoneos prædicare Evangelium; cohibere noxie prædicantes; arcere ignotos : Regularibus, ut prædicent, necessariam esse Superioris licentiam et Ordinarii approbationem : Quæstuariis prædicationem non permittendam.

In *Sess. VI.* hæc habentur : 1. Obligati sint Prælati ad Residentiam : contra non residentes valeant Canones aliquando promulgati : Absentes a sua

Ecclesia sine causa legitima, mulctentur quarta fructuum parte unius anni, Ecclesiæ et pauperibus applicanda. 2. Etiam Inferioribus sit obligatio residentiæ, ubi eam beneficium requirit : legitima absentiæ causa ab Ordinario probanda : data ab hujus Ordinario facultate, ipso jure a Pontificalibus sit suspensus per annum; sic ordinatus ab executione ordinum, quandiu Ordinario libuerit. 3. Ordinatos ab alieno, sine suo examine et dimissorialibus, Episcopus suspendere ab exercitio possit, si minus idoneos repererit. 4. Nullus Clericus, Pontificalia, nec Ordines conferant in aliena diœcesi sub pœna, sine expressa diœcesani licentia.

In *Sess. VII.* 1. Ad regimen Ecclesiæ Cathedralis non admittatur, nisi legitime natus, ætate maturus, probus et doctus. 2. Tenens plures Episcopatus, designato tempore dimittat omnes, uno excepto; alias ipso jure vacent omnes, excepto ultimo. 3. Beneficia inferiora, præsertim curata, conferantur dignis, quique ipsi residere et curam exercere possint. 4. Plurium beneficiorum curatorum aut incompatibilium contra Canones detentor, ipso jure illis sit privatus. 5. Idem si dispensatione gaudeat, eam exhibeat Ordinario, qui de idoneo vicario provideat. 6. Uniones beneficiorum certo ante tempore factæ examinentur ab Ordinario : faciendæ, aut effectum nondum sortitæ, legitimam causam et Ordinario judicium habeant; alias irritæ declarentur. 7. Beneficia unita visitentur ab Ordinario annis singulis; curentur per vicarios gaudentes tertia parte fructuum. 8. Ecclesiæ reparandæ; et cura animarum sollicite exercenda. 9. Promoti ad majores Ecclesias, ultra semestre consecrationem suscipere non differant. 10. Sede vacante, Capitulum, infra annum a vacationis die, licentiam ordinandi aut litteras dimissoriales nulli concedant, nisi aliqui occasione beneficii obtinendi aut obtenti arctato : si contraveniat, subjaceat interdicto; ordinatus ipso jure sit suspensus ab executione ordinum. 11. In his litteris exprimatur causa, ob quam ab Episcopo proprio ordinari nequeat : ordinationem præeat examen. 12. Facultas de non promovendo annum non excedat. 13. Electi, præsentati, aut nominati ad beneficium, sine prævio examine non instituantur, iis exceptis quos Academia præsentat. 14. Causæ civiles exemptorum extra locum exemptum cognoscantur ab Episcopo, ut S. sedis legato. 15. Curent Ordinarii ut hospitalia fideliter administrentur.

In *Sess. XIII.* 1. Episcopi resideant; subditos prudenter, h. e. suaviter et fortiter regant : ab eorum sententia interlocutoria ante definitivam, in causis visitationis et correctionis, aut criminalibus, nemo appellet. 2. Appellationis causa in criminalibus ab Episcopi sententia, si cui in partibus delegatur, committatur Metropolitano; si is habeatur suspectus, aut ultra duas diætas distet, viciniori Episcopo aut ejus vicario; non inferiori judici. 3. Acta primæ instantiæ intra triginta dies gratis dentur appellanti; alias judici, ad quem absque illis liceat procedere. 4. Episcopo Clericum deponenti aut degradanti, si determinatus a Canonibus numerus Episcoporum adesse nequeat, assistant totidem Abbates ejusdem diœcesis : si nec hi præsto sint, assistant personæ aliæ in dignitate constitutæ. 5. Gratia remissionis pœnæ obreptitie vel subreptitie impetrata, revocetur a concedente. 6. Episcopus non citetur personaliter, nisi depositionis aut privationis causa. 7. Testes contra Episcopum non admittantur, nisi idonei et graves. 8. Graves Episcoporum causæ a summo Pontifice cognoscantur.

In *Sess. XIV.* 1. Interdictus ascendere, aut suspensus exercere ordinem, si non præsumat tamen ascenderit vel exercuerit, accepta ab alio quam

suo Prælato licentia, puniatur. 2. Episcopus ordinans alienum subditum sine data ab hujus Ordinario facultate, ipso jure a Pontificalibus sit suspensus per annum; sic ordinatus ab executione ordinum, quandiu Ordinario libuerit. 3. Ordinatos ab alieno, sine suo examine et dimissorialibus, Episcopus suspendere ab exercitio possit, si minus idoneos repererit. 4. Nullus Clericus, quantumvis exemptus, eximatur a correctione Episcopi residentis, etiam extra visitationem agentis, ut sed. Apost. delegati. 5. Conservatorum potestas ad certos limites restringatur. 6. Clerici in sacris constituti, aut beneficium possidentes, habitum Clericalem gestent; si ab Episcopo moniti non pareant, suspendantur ab ordinibus; si non emendentur, priventur beneficiis et officiis. 7. Homicida voluntarius, licet occultus, careat beneficio et ordine : casualis aut vim vi repellens, cognita et probata causa, dispensetur. 8. Ex privilegio potens punire subditos alienos, criminum etiam atrocium reos tamen non puniat, sine interventu eorum Episcopi aut personæ ab eo deputatæ. 9. Beneficia unius diœcesis nullo prætextu uniantur beneficiis alterius diœcesis. 10. Regularia beneficia conferantur nonnisi Regularibus actu, aut qui esse debeant. 11. Regularis translatus ad alium ordinem, in claustro sub obedientia vivat perpetuo, et secularium beneficiorum sit incapax. 12. Posthac jus Patronatus obtineat nemo, nisi ex fundatione aut dotatione, Episcopo reservata præsentati institutione. 13. Præsentatio fiat Ordinario; alias institutio sit nulla.

In *Sess. XXI.* 1. Episcopi dent gratis ordines, tonsuram, dimissorias et testimoniales : nec ipsi, nec eorum ministri, pro illis sigillandis vel sponte oblatum accipiant; ubi tamen consuetudo viget, Notarii ultra decimam aurei partem non capiant, et siquidem aliunde careant salario. 2. Etiam idoneus non admittatur ad majores ordines, nisi habeat beneficium sufficiens; qui illud resignare nequeat, nisi aliunde vivere possit : Patrimonium vel pensionem etiam sufficientem possidentes ordinari nequeant, nisi quos Episcopus pro necessitate aut utilitate Ecclesiæ suæ ordinandos judicaverit : quo facto illa alienari sine Episcopi facultate non possint. 3. Ubi nullæ vel tenues sunt distributiones quotidianæ, ad eas tertia pars proventuum et fructuum separetur, dividenda inter præsentes divinis officiis; salva consuetudine, qua non residentibus nihil, aut tertia parte minus datur. 4. Ubi Rector unus non sufficit, addantur Sacerdotes competentes : ubi, ob loci distantiam vel difficultates et incommoda magna, Parochiani ad matricem Ecclesiam accedere nequeunt, invitis etiam rectoribus constituantur novæ Parochiæ, assignata portione ex matrice : hac non sufficiente, adigatur populus ad suppeditanda necessaria. 5. Ob Ecclesiæ paupertatem, et in casibus a jure expressis, Episcopi faciant unionem Ecclesiarum Parochialium, vel beneficiorum curatorum aut non curatorum cum curatis. 6. Imperitis sed honestæ vitæ rectoribus, vicarii pro tempore dentur, cum assignanda fructuum parte : scandalose viventes et sic perseverantes priventur beneficiis, exemptione et appellatione remota. 7. Ecclesiæ vetustate vel alias collapsæ restaurentur ex fructibus ad eas pertinentibus; qui si non sufficiant, Patroni, aut fructuum ex illis perceptores, in horum defectu Parochiani contribuant : si nullo ex his medio reparari queant, beneficia transferantur ad matrices aut vicinas Ecclesias; diruta in profanos, non tamen sordidos usus conversa, et cruce ibidem erecta. 8. Monasteria commendata, ubi regularis disciplina non viget, et beneficia qualitercumque commendata, singulis annis ab Episcopo visitentur. 9. Quæstorum eleemo-

synarum nomine et usu penitus sublato, indulgentias publicet Ordinarius, et duos de Capitulo ordinet, ad recipiendas absque mercede eleemosynas.

In *Sess. XXII.* 1. Clerici a negotio seculari abstineant, honeste, graviter, et sancte se gerant, ut aliis sint exemplo. 2. Assumendus ad Cathedralem Ecclesiam, natalibus, ætate, moribus et doctrina sit præditus, Doctor aut Licentiatus in theologia vel jure Canonico, aut Academiæ testimonio instructus, aut saltem per sex menses in sacro jam ordine constitutus. 3. Creentur distributiones quotidianæ, ut supra : portiones absentium pro Episcopi arbitrio cedant fabricæ aut pio loco, exceptis tum actu curam extra civitatem gerentibus, qui pro præsentibus habentur; tum perdentibus aliquid, quod ad tertiam fructuum partem ascendit. 4. In Cathedrali vel Collegiata, etiam regulari, vocem non habeat, qui non est Subdiaconus : intra annum suscipiantur ordines ad ministerium requisiti : provisio solum fiat habentibus ætatem et alia requisita. 5. Dispensationes extra Romanam curiam committantur Ordinariis eas impetrantium : Rescripta gratiæ non sortiantur effectum, nisi ab illis ut delegatis summarie et extrajudicialiter cognita. 6. Eodem modo procedatur in commutationibus ultimarum voluntatum. 7. In appellationibus, Cap. *Romana* de appellat. in *sexto* servetur. 8. Episcopi videant omnes dispositiones pias; habeantque jus visitandi hospitalia, collegia, confraternitates Laicorum, iis exceptis quæ immediatæ Regum protectioni substant. 9. Administratores piorum locorum singulis annis reddant rationem Ordinario, nisi aliter in fundatione sit cautum. 10. Notariorum sufficientiam scrutentur Ordinarii : insufficientes aut delinquentes arceant a causis Ecclesiasticis. 11. Ecclesiasticorum bonorum aut proventuum usurpatores, detentores, aut perceptionis impeditores subjaceant anathemati, absolutione Papæ reservata; si eorum quis Ecclesiæ Patronus sit, jure Patronatus etiam privetur; si Clericus, excidat beneficiis, sit inhabilis ad alia, et suspensus ab ordinibus.

In *Sess. XXIII.* 1. Episcopus aut Prælatus superior nunquam absit a sua diœcesi, nisi ad summum tres menses continuos vel interruptos : si urgente causa abesse ultra velint, eam Papæ aut Metropolitano in scriptis offerant approbandam, excepto negotio Reipublicæ aut sui Episcopatus notorio aut repentino; tempore absentiæ caveat Ecclesiæ de damno : alias fructus non faciat suos, sed teneatur fabricæ aut pauperibus loci pro rata absentiæ erogare, etiam monitione alia non secuta. Idem valeat de Curatis inferioribus, in quorum absentia ponantur vicarii ab Episcopo approbati : discedendi autem licentiam in scriptis et gratis dandam, nisi ex gravi causa, si ultra bimestre, non obtineant. 2. Episcopus, ultra tres menses consecrationem differens, restituat fructus : qui rursus per totidem differt, ipso jure Ecclesia sit privatus. Consecratio autem in Ecclesia, ad quam est promotus, si commode fieri queat, aut in Provincia agatur. 3. Episcopus ipse Ordines conferat : morbo impeditus, alibi ordinandos non dimittat, quam examinatos et probatos. 4. Tonsura tandum detur confirmatis, fidei rudimenta item legere et scribere doctis, et probabiliter verum, clericandi animum gerentibus. 5. Promovendi ad minores habeant testimonium a Parocho et Scolæ Magistro : ante ejus ordinationem omnia indagentur circà natales, ætatem, mores, etc. 6. Tonsura et minoribus etiam initiatus, beneficium non obtineat ante 14um ætatis annum : Fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium habeat, aut Clericalem habitum et tonsuram gestet; inserviat alicui Ecclesiæ, aut in Clericorum seminario vel Academia versetur. 7 Episcopus de ordi-

nandorum qualitatibus dispiciat, adscitis viris peritis. 8. Quilibet ordinandus ab episcopo proprio, vel de hujus licentia et testimoniis ab alio : ordinatio publice ac præsenti Clero fiat in Cathedrali; aut si alibi, in digniori Ecclesia. 9. Episcopus nequeat ordinare ut familiarem, nisi triennio secum commoratum : tunc autem statim conferat ei beneficium. 10. Abbates non conferant tonsuram aut minores sive seculari sive regulari sibi non subdito : Capitula dimissorias non concedant, etiam vacante sede. 11. Etiam minoribus ordinandi servent interstitia : exerceant ordinis suscepti officium; vitæ merito, doctrinæ incremento ostendant se dignos ascensu : a postremo minorum ad primum majorum intercedat annus. 12. Non ordinetur ante annum ætatis 22um Subdiaconus, 23um Diaconus, 25um Presbyter : idem valet pro Regularibus, qui sine examine Episcopi non ordinentur. 13. Subdiaconi et diaconi ordinandi sint probati in minoribus, instructi litteris et scientia ad suum ministerium pertinente, et continentes : ordinati festis solemnibus et Dominicis communicent, per annum interstitia servent. Duo sacri ordines eodem die conferantur nulli. 14. Ascensuri ad Presbyteratum sint imbuti litteris ad docendum populum omnia ad salutem necessaria, et ad Sacramenta administranda : bono sint exemplo : festis saltem solemnibus et dominicis celebrent, et quoties munus postularit, si curati sint. Cum promotis per saltum Episcopus dispensare possit, si non ministraverint. 15. Ut presbyteri absolvendi potestate per ordinationem accepta uti et secularium confessiones audire possint, omnes qui Parochiale beneficium non habent, etiam regulares, debent ad Episcopo approbari seu judicari idonei, prævio examine, nisi aliunde constet : Approbatio detur gratis. 16. Ordinandi inscribantur certæ Ecclesiæ, nec vagentur incertis sedibus : qui Episcopo non consulto deseruit locum, ei sacrorum exercitio interdicatur : Peregrinus sine Episcopi sui commendatitiis non sinatur celebrare vel administrare Sacramenta. 17. Functiones minorum ordinum restituantur, assignato fructu ex beneficiis simplicibus aut fabrica : deficientibus minoristis cœlibatum colentibus, sufficiantur conjugati sed monogami, tonsurati et clericaliter induti in Ecclesia. 18. In cathedralibus pro ratione facultatum erigantur seminaria Clericorum, in quæ pauperes præsertim admittendi et ad sacra ministeria præparandi juxta formam hic præscriptam : erigantur item scholæ communibus Ecclesiasticorum sumptibus.

In *Sess. XXIV.* 1. Indictis post Episcopi mortem precibus publicis, electores statuto tempore, sub mortali culpa, promoveant digniorem, legitime natum, vita, ætate, doctrina, reliquisque juxta canones requisitis instructum : solemne de his instrumentum factum, cum electionis forma et electi professione fidei, quamprimum mittatur ad Papam; quod a quatuor Cardinalibus examinatum, ab eorum uno referatur in Consistorio, ubi judicium feratur. Similis fere forma servetur in electione Cardinalium, qui ex omnibus, quantum fieri potest, Christianis nationibus sumantur lectissimi. 2. Quolibet triennio habeantur Synodi Provinciales : ad eas conveniant, qui interesse debent : Exempti Episcopi ad Synodum vicini cujusdam Metropolitani accedant. Singulis annis celebrentur Diœcesanæ. 3. Episcopi, sive per se sive per alium, quotannis vel saltem intra biennium visitent totam diœcesin : Metropolitani diœceses comprovinciales, nonnisi causa cognita et approbata in Conc. Provinciali : Visitatores nec inutiles nec indebitos sumptus faciant : Patroni nec administrationi Sacramentorum, nec visitationi proventuum se immisceant, nisi aliunde id eis competat. 4. Episcopi in Ecclesia Cathe-

drali, Parochi in suis prædicent per se, vel impediti per alios; postremi quidem omnibus Dominicis et festis solemnibus. Moneantur Parochiani, se ad verbum Dei audiendum, si commode id fieri queat, interesse Parochiæ suæ debere; nullus omnino, Episcopo contradicente, prædicare præsumat. Pueri Dominicis saltem et festis doceantur fidei rudimenta. 5. Causæ criminales Episcopi graviores a solo Papa cognoscantur et terminentur : ubi extra curiam sunt committendæ, solis Metropolitanis aut Episcopis committantur propria Pontificis manu ad solam facti cognitionem, definitiva sententia Papæ reservata : minores causæ tractentur in Conc. Provinciali. 6. Dispensare possint Episcopi in irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, et reliquis ad forum contentiosum non deductis : possint etiam, per se aut alium specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere sibi subditos a casibus occultis sedi Apostolicæ reservatis : item a crimine hæresis. 7. Etiam lingua vernacula explicetur populo vis et doctrina Sacramentorum : singulis festis proponantur salutis monita, omissis quæstionibus inutilibus. 8. Publice peccantibus injungatur pœnitentia publica, nisi aliter videatur Episcopo, Pœnitentiarius in Cathedrali collocandus, sit Theologiæ aut Canonum Doctor vel Licentiatus, annorum quadraginta, vel qui alias pro loci qualitate aptior. 9. Ecclesia secularis, quæ est diœcesis nullius, visitetur ab Episcopo proximiore. 10. A subditis per appellationem nequit suspendi executio eorum quæ in visitatatione circa morum emendationem sunt decreta. 11. Honorarii tituli, quibusdam concessi, nihil derogent juri Episcoporum. 12. Promovendus ad dignitatem curatam habeat ætatem saltem 25 annorum; in numere clericali sit versatus, doctrina et moribus conspicuus : ad Archidiaconatum, sit Doctor vel Licentiatus in Theologia aut Jure Canonico : ad dignitates vel personatus non curatos, sit saltem 22 annorum. Professionem fidei faciat coram Episcopo vel ejus Vicario; de Canonicatu vel dignitate idem præstet in Capitulo : alias prædicti omnes fructus non faciant suos, nec eis suffragetur possessio. Canonici sint Presbyteri, vel Diaconi, vel Subdiaconi; Presbyteri dimidiam saltem partem faciant : sique commode fieri possit, Canonicatuum pars media conferatur Doctoribus vel Licentiatis ejusmodi. Canonici non absint ultra tres menses, alias primo anno dimidia fructuum parte, secundo omnibus fructibus privandi. Obeant omnes per se officia : abstineant ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibus. 13. Ecclesiis Cathedralibus tenuibus, et Parochialibus egenis succurratur; beneficia tenuia non graventur : omnes pertineant ad Parochiam, cujus Rectorem agnoscant ut suum Pastorem. 14. In provisione vel admissione ad possessionem beneficii, non detrahantur fructus convertendi in usus non pios. 15. Tenuitati Ecclesiarum et beneficiorum subveniatur vel unitione plurium simplicium, vel suppressione aliquorum, de Patronorum tamen consensu. 16. Sede vacante Capitulum constituat œconomum, curam rerum habiturum; item infra octo dies a morte Episcopi, Vicarium qui Doctor sit vel Licentiatus, aut alias idoneus : uterque Episcopo electo rationem reddat. 17. Uni non conferantur beneficia duo, etiam personalem residentiam non requirentia, nisi unum non sufficiat : habens duas Parochiales vel unam cum Cathedrali Ecclesiam, retenta una dimittat alteram intra sex menses; alias utraque vacare censeatur. 18. Vacanti Parochiæ Episcopus statim det Vicarium : concursu dein publicato, ipse vel Vicarius cum tribus Magistris aut Licentiatis, vel aliis Clericis aut Regularibus, gratis examinet concurrentes : peracto examine, ex his qui

idonei reperti sunt, eligat quem judicarit digniorem, illique Ecclesiam conferat. Ubi Ecclesia est juris patronatus Ecclesiastici, si institutio pertinet ad Episcopum, a Patrono præsentetur is, quem ex approbatis per examinatores digniorem ille judicaverit; si institutio ad Episcopum non spectet, hic solus digniorem eligat, quem Patronus præsentet ei, cujus est instituere : ubi Ecclesia est juris patronatus Laici, præsentatus examinetur a deputatis, nec nisi idoneus instituatur. 19. Gratiis exspectativis, hactenus concessis, uti fas sit nulli : reservationes mentales vel gratiæ ad vacatura, aut indulta ad alienas Ecclesias, nulli dentur; datæ abrogatæ censeantur. 20. Causæ omnes fori Ecclesiastici coram Ordinario loci in prima instantia cognoscantur : intra biennium a die motæ litis saltem terminentur : lite ulterius protracta, partibus liceat adire judicem superiorem, qui causam statu quo fuerat assumptam quamprimum terminet : ante facta commissio, avocatio, vel appellatio non teneat, nisi hæc sit interposita a definitiva aut definitivæ vim habente, cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat : excipe causas juxta Canones coram sede Apostolica specialiter tractandas, vel ex urgenti et rationabili causa per speciale scriptum propria manu subscriptum a Pontifice commissas aut avocatas. Causæ matrimoniales et criminales Episcopi, non inferioris judicis relinquantur jurisdictioni, nec a Nuntiis Apostolicis impediantur aut turbentur; qui non procedant etiam contra Clericos, nisi Episcopo prius requisito et negligente; alioquin eorum processus sint irriti; Appellans ab Episcopo acta primæ instantiæ suis impensis deferat ad judicem appellationis, admonito prius eodem Episcopo : Actorum copiam intra mensem Notarius extradat appellanti; alias una cum judice a quo, si is tergiversationis fuerit particeps, puniendus.

In *Sess. XXV.* 1. Episcopi omnibus sint bono exemplo : humano carnis affectu deposito, ne ditent consanguineos aut familiares suos ex reditibus Ecclesiasticis : idem servetur pro sua conditione a quibuscumque beneficiatis, etiam Cardinalibus. 2. Professionem fidei emittant Episcopi in prima Synodo Provinciali; item beneficiati ibidem, et docentes in universitate, etiam singulis annis. 3. Censuræ non facile ferantur, præsertim si alias haberi queat executio realis aut personalis : dum feruntur, bina monitio præcesserit : Magistratui seculari sit nefas hac in re judici Ecclesiastico intercedere : censuris innexus, si per annum insorduerit; ut suspectus de hæresi tractetur. 4. Episcopi, Abbates et Generales Ordinum possint pro sua conscientia statuere circa nimium Missarum celebrandarum numerum. 5. Onera beneficiis bene constitutis annexa diligenter præstentur. 6. Episcopo Capitula exempta in criminalibus ex incontinentia aut aliter visitanti, adjungantur duo a Capitulo deputati; qui ambo si discordent ab Episcopo, addatur tertius et præscripta judicii forma servetur. 7. Accessus aut regressus ad beneficia non toleretur : Coadjutor cum jure successionis Prælato non detur, nisi causa prius a Pontifice cognita. 8. Beneficiati sint hospitales; Hospitalia regantur, ut fert fundatio et patiuntur proventus : ad hæc advigilet Episcopus, contra fundationem nihil agat, eam observari curet, adhibitis etiam pœnis. 9. Jus patronatus quomodo et cui sit probandum. 10. Præter locorum Ordinarios deputentur alii quidam idonei tanquam judices, quibus causæ Ecclesiasticæ delegentur, ac breviter terminentur. 11. Ecclesiarum bona, item jura non elocentur. 12. Decimæ solvantur : solvi impedientes excommunicentur : subveniatur Rectoribus tenuium Ecclesiarum. 13. Quarta funeralium solvatur Ecclesiæ Cathedrali aut Paro-

chiali, ubi olim moris fuit. 14. Concubinarii præscriptis modo et pœna puniantur. 15. Filius Clerici non habeat beneficium in Ecclesia, in qua pater aliquod habet vel habuit. 16. Beneficium curatum non convertatur in simplex : Vicarius cum cura datus habeat portionem congruam. 17. Episcopi secundum statum suum vivant ut Patres et Pastores, nec indecore se demittant coram secularibus. 18. Canones serventur ab omnibus : siquando in iis dispensandum, id fiat valide, mature et gratis; alias dispensatio sit subreptitia. 19. Duellantes, eorum patrini, illisque locum concedentes, sint excommunicati; item suadentes et spectatores : in ipso conflictu mortuus perpetuo careat sepultura Ecclesiastica. 20. Principes seculares custodiant ipsi et violari prohibeant Ecclesiasticarum personarum immunitatem, Dei ordinatione et sanctionibus Ecclesiasticis constitutam. 21. Omnia de reformatione decreta sic sint facta, ut sit et intelligatur esse salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ.

De Regularibus et Monialibus. 1. Regulares vivant secundum regulam, servantes exactam disciplinam. 2. Iidem nulla re tanquam propria utantur : acquisita statim tradantur superiori et incorporentur conventui : proprietarius, præter pœnas ab ordine statutas, per biennium privatus sit voce activa et passiva. 3. Monasteria quævis, præter Minorum de observantia et Capuccinorum, possidere possint bona immobilia : in ea non recipiantur plures quam honeste sustentari ex reditibus vel eleemosynis consuetis queant : monasteria non erigantur deinceps sine licentia Ordinarii. 4. Regularis, prætextu pii operis, alterius servitio se non addicat absque licentia sui superioris : nec a monasterio recedat, prætextu accedendi ad superiorem, nisi ab eo missus vel vocatus : qui sine ejusmodi mandato, in scriptis obtento, reperitur, ab Episcopo puniatur tanquam desertor; huic etiam Regularis studens in universitate subjaceat, nisi habitet in Conventu. 5. Episcopus curet servari clausuram, monialibus nec ad breve tempus sine causa ab illo approbanda egredi permissis : sine ejusdem aut superioris licentia scripto expressa, sub excommunicatione ipso facto incurrenda, ingredi intra septa liceat nemini. 6. Superiores Regularium virorum ac feminarum eligantur suffragiis secretis, nunquam publicandis : absentium vota non suppleantur. 7. Abbatissa et Præposita quælibet eligenda, annos ætatis numeret 40, Professionis bene obitæ 8; alioqui eligatur ex monasterio alio ejusdem Ordinis : si ex hoc oriatur incommodum, eligenda quæ 30 ætatis et 5 Professionis annos saltem habeat : nulla tamen præficiatur duobus monasteriis. Episcopus vel Præses alius ante cancellorum fenestellam, non autem monasterii claustra ingressus, suffragia excipiat, servatis cæteroquin constitutionibus Ordinis et monasterii. 8. Monasteria immediate Sedi Apostolicæ subdita, congregationem ex una vel pluribus provinciis faciant, quæ singulis trienniis convocetur : si deputati inde non visitent, Episcopus ut Sedis Apostolicæ Legatus id præstet. 9. Monialium monasteria, immediate subjecta Sedi Apostolicæ, gubernentur ab Episcopis. 10. Sanctimoniales confiteantur et communicent singulis mensibus : bis vel ter in anno accipiant Confessarium extraordinarium : Eucharistiam tantum in publica Ecclesia asserv ent. 11. Regulares quoad curam animarum in seculares exercendam et Sacramentorum administrationem subsint visitationi et correctioni Episcopali. Excipe curam in eos, qui sunt de familia monasterii, exercendam; item loca, in queis Abbates aut Generales vel capita Ordinum sedem principalem habent, aut Regulares jurisdictionem Episcopalem et temporalem in Parochos et Parochianos

exercent. 12. Censuræ Episcopales et festa Diœcesana etiam a Regularibus serventur. 13. Controversias de proedria componat illico Episcopus : etiam exempti compareant in supplicationibus publicis; iis tamen exceptis qui in strictiori clausura semper vivunt. 14. Regularis extra monasterium dans scandalum puniatur a suo Superiore; alias puniendus ab Episcopo. 15. Professio non fiat ante ætatis annum 16um completum, et annum a suscepto habitu in probatione absolutum : antea facta Professio sit nulla. 16. Jurata etiam et in favorem causæ piæ renuntiatio ante duos ultimos Novitiatus menses facta est nulla : Professione non secuta, est inefficax. Novitii finita Probatione admittantur, aut ejiciantur : per quæ tamen nihil derogatur pio instituto Clericorum Societatis Jesu. 17. Virgines habitum Religiosum non assumant ante annum ætatis 12um : Professionem non emittant, nisi peracta prius ab Episcopo voluntatis exploratione. 18. Sint excommunicati, qui feminam vel cogunt ad ingressum in monasterium, vel injuste impediunt ab ingressu. 19. Post quinquennium a Professione emissa, non amplius audiatur volens agere de nullitate Professionis; ad laxiorem Religionem nullus transferatur : qui ante obtentam licentiam dimittit habitum, puniatur ut Apostata. 20. Superiores subjecta sibi monasteria visitent. 21. Monasteria, quæ vitæ religiosæ disciplinam amiserunt, reformentur : iis nonnisi regulares et ejusdem Ordinis præficiantur : Monasteria principalia in commendam obtinentes, post semestre vel Ordinem eumdem profiteantur, vel commendis cedant. 22. Hæc decreta accurate et statim observentur.

Receptum est hoc Concilium tanquam œcumenicum a Provinciis Catholicis omnibus, etiam Galliæ; uti ex Synodis Provincialibus Rhemensi, Rothomagensi, Burdegalensi, Turonensi, Bituricensi, Aquensi et Tolosana, seculo 16, jam inclinante celebratis, et ex Comitiis Cleri Gallicani generalibus A. 1615, collectis manifeste liquet. Edicto præterea Regio A. 1579, promulgato vim legis publicæ Regni accepit idem quoad dogmata fidei : fatemur tamen eadem auctoritate necdum esse munitum quoad Reformationis decreta, quibusdam scilicet Politicis contendentibus, ea universim non convenire cum privilegiis aut moribus Galliæ. Discrepantiæ hujus capita designantur hodie ex morum decretis duarum Sessionum ultimarum, queis : 1. Magistratui Ecclesiastico datur potestas utendi reali et personali executione contra seculares et ferendi in eos censuras; 2. Dicitur anathema in concedentes locum duellantibus; 3. Disponitur de Patronatu laico; 4. Mendicantibus relinquitur jus possidendi immobilia; 5. Pontifici statuitur facultas evocandi lites coram Ordinario pendentes, et causas Episcoporum criminales terminandi; 6. Idem videtur anteponi Conciliis generalibus, Synodo sub finem declarante omnia esse decreta, salva Sedis Apostolicæ auctoritate, eaque ejus judicio subjiciente. Præterquam vero, quod hanc collisionem et pugnam diserte inficiati sint summi Politices magistri, Ossatus, Perronius et Richelius Cardinales, tacite reprobaverint synodorum suffragia et repetita aliquoties ad Regem publicæ declarationis postulata; certe vel disciplinæ ratio ostendit, locum hic esse privilegio aut dispensationi : vel legis Ecclesiasticæ notio probat, illius vim a ratihabitione non pendere : vel observantiæ potestas declarat, acceptationem non scripto quidem, sed moribus satis esse contestatam.

ŒCUMENICUM XIX VATICANUM.

Hoc Concilium a Pio IX convocatum est. Roma in Basilica Vaticana in-

choatum 8 Dec. An. 1869 et interruptum 18 Julii An. 1870 quatuor sessiones publicas habuit.

Primam et alteram hic præterimus, quod duæ istæ sessiones fuerunt mere præparatoriæ et nullum in iis dogma definitum est. Sed in sessione tertia concilium anathemate profligavit varios hujus seculi errores de Deo, rerum somnium creatore, de revelatione, de fide, et de ratione humanâ in suis relationibus cum fide divina spectata.

In sessione ultima de auctoritate et magisterio summi Pontificis decreta præstantissima promulgavit. Declaravit enim et docuit : 1° Beatum Petrum fuisse à Christo Dominus constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiæ militantis visibile caput, ac proindè cum, non tantum honoris, sed et veræ propriæ que jurisdictionis primatum ab eodem Domino J. C. directè et immediatè accepisse. 2° Romanum Pontificem esse ex jure divino Beati Petri in hoc primatu successorem; 3° Romanum Pontificem non habere tantummodò officium inspectionis vel directionis, verum etiam plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; 4° Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universâ Ecclesiâ tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in Beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructum esse voluit, ideoque ejusmodi Romam Pontificis definitiones ex se, non autem ex consensu Ecclesiæ irreformabiles esse.

CONCILIA GENERALIA NON TAMEN ŒCUMENICA.

138. Concilia generalia quidem, sed non œcumenica, numeramus quatuor, scilicet : 1. *Sardicense*, 2. *Pisanum*, 3. *Constantiense*, 4. *Basileense*. Prius constat tum ipsa celebrationis notitia, tum consensu omnium; inter quos nonnulli sunt, qui illa œcumenicis annumerent. Posterius de I. liquet ex eo quod Constantinopolitanum ab Ecclesia utraque semper habitum sit pro secundo œcumenico; quod tamen foret tertium, si œcumenici prærogativam Sardicense obtineret. Cur autem illa denegetur, id ortum exinde volunt plures, quod ob eamdem mentem et sententiam Sardicense confunderetur cum Nicæno, aut hujus appendix et complementum æstimaretur, præsertim cum fidei symbolum nullum condidisset : alii autem id cautum putant, ne errori præberetur auctoritatis noxiæ occasio; dum Eusebiani, secessione ab hoc Concilio facta, Philippopoli congregati, hæreticam fidei formulam sub Concilii Sardicensis nomine disseminabant. De II. ideo convenit quia vel non repræsentabatur universa Ecclesia, duabus Pontificum obedientiis repugnantibus; vel deficiebat approbatio Pontificis, saltem indubii nec controversi, cum Conciliari actione auctum potius, quam sublatum fuerit schisma. De III. ita statuitur : quia sub extremis primum Sessionibus in œcumenicum coalescere poterat, a Pontifice approbatum fuit, solum quoad fidem et conciliariter acta; quoad aliquam etiam partem a Lateranensi posteriori est reprobatum. Demum de IV. constat quod ex Concilio primum legitimo degeneravit postea in Conciliabulum, bis avocatum alio, sæpius etiam reprobatum.

CONCILIUM GENERALE SARDICENSE.

I. Implorato Constantii et Constantis Imperatorum auxilio Synodum indixit Julius Pontifex, tum ut præter alios Athanasium ab Arianis in Conc. Tyrio damnatum, a se postea communione receptum, Conciliari etiam sententia vindicaret; tum ut disciplinam ab iisdem hæreticis labefactatam restauraret. Præter 80 Eusebianos, maximam partem Asiaticos, ex triginta quinque Imperii provinciis confluxere Patres fere trecenti. Pontificis nomine præsidium tenebat Osius Ep. Cordubensis cum Archidamo et Philoxeno Presbyteris. Conventus celebrabatur *Sardicæ*, urbe Daciæ, in Illyrico, exorsus 22ª Maii A. 347.

II. Initium faciunt querelæ quas contra Arianorum fraudes, vexationes et injurias duce Eusebio perpetratas, detulere S. Athanasius, Marcellus Ancyranus et Asclepas Gazensis cum plurium Ecclesiarum deputatis, postulantes ut causæ ipsorum retractarentur, Eusebianis ad rationem reddendam compulsis. Judicii Ecclesiastici rectitudinem, quam Patres querulantibus addixerant, veriti Eusebiani, retardare primo suum in urbem adventum; tum abstinere se suosque ab accessu ad Concilium cum reis a se damnatis communicans; demum negare passuros se retractari præcedentium Synodorum judicia : Sardicenses contra propositis Imperio Pontificis, concessione Imperatorum, et judiciorum usu, urgere illos, ad actionum suarum justitiam Concilio probandam. Quod cum isti desperabant fieri a se posse, causati gratulationem de reportata in Persas victoria Constanti faciendam, profugiunt noctu Philippopolim in Thracia, ibidem novas artes securius tentaturi. Frustrata igitur exspectatione, ad res agendas acceditur. Et quidem contra factas interea Arianæ hæresis scissiones statuitur Nicænam formulam sufficere; nec aliam condendam, ne reformandorum symbolorum Arianus usus prætextum haberet. Dein audiuntur Athanasii et Asclepæ defensiones, cum testibus et documentis authenticis prolatis : examinatur Marcelli liber pro criminis causa objectus : deteguntur variæ Eusebianorum artes. His perpensis, Athanasius ab Arsenii cæde, confracti calicis sacrilegio, aliisque criminibus imputatis immunis ac innocens, cum quatuor Presbyteris Alexandrinis, declaratur : Marcelli fides ex contextu libri et sententiis, quærendo duntaxat propositis, non autem assertis, sana innoxiaque enuntiatur. Asclepas de altaris eversione objecta, sed luculenter refutata, absolvitur. Iisdem suum in honorem restitutis, intrusi in illarum sedes usurpatores, *Gregorius* et *Basilius*, rescissis ordinationibus expelluntur; unaque Eusebianorum præcipui deponuntur. Canones demum ad Osii postulationem sanciuntur, additis sub finem, præter illas ad Pontificem et Imperatores, litteris encyclicis, queis universi orbis Episcopi ad subscribendum invitantur. Dolorem inde conceptum, ulturi Eusebiani in Philippopolitano *Conciliabulo*, formulæ semiarianæ recens conditæ addunt anathemata in Osium et Protogenem, quin in ipsum Julium Pontificem, sibique Concilii Sardicensis nomen usurpant. Quæ gesta, cum suppressis veræ Sardicensis Synodi actis, Donatistæ in Africa spargerent, factum est, ut S. Augustinus l. 3, contra Cresconium et alibi, non aliud, quam Sardicense Arianorum Concilium cognosceret.

III. CANONES editionis latinæ, utpote originariæ, Græcis unitate superiores subjicimus. Eorum auctoritas semper maxima fuit; adeo ut sub Nicænorum nomine eos laudatos a Romana Ecclesia, communis sit opinio : de

qua tamen Joannis Vecci in Sess. 20. Concilii Florent. oratio notari meretur. Est autem hæc summa : 1. Episcopus commutans Episcopatum laica etiam communione privetur. 2. Eidem pœnæ subsit Episcopus a provincia ad provinciam transiens, non invitatus. 3. Inter Episcopos litigantes judicent Comprovinciales : damnato ad Romanum Episcopum appellante, illius sententiæ obtemperetur. 4. Appellantis sedem nullus usurpet ante Papæ sententiam. 5. Propriæ provinciæ Episcopo monito et renuente, vicini Episcopi novum Antistitem ordinent. 6. Non ordinetur Episcopus pro vico aut modica civitate. 7. Etiam Provincialis Synodi judicium retractetur per vicarios Papæ, si huic ita videbitur. 8. Et quatuor seqq. prohibetur Episcopis ne, nisi vocati aut invitati ab imperatore, accedant ad comitatum, eorum loco deputatis Diaconis, et causis eundi designatis, cum cautela posita, ne hæc statuta facile violentur. 13. De Laicis non fiat temere, aut sine ordinum interstitiis Episcopus. 14. Ultra tres hebdomadas Episcopus ne absit a sua Ecclesia. 15. Qui justa ex causa in aliena Ecclesia moratur, exceptis Dominicis, non sit in civitate alterius Episcopi. 16. Excommunicatus ab Episcopo suo communionem non accipiat ab altero. 17. Hujus tamen causam ab Episcopis finitimis tractari liceat. 18. Nulli Episcopo fas sit Clericum alienum sollicitare aut ordinare. 19. Ordinatio alieni Clerici, sine proprii Episcopi consensu facta, non sit rata : ordinans ejusmodi corrigatur. 20. Ne Clericus quicumque Thessalonicæ moretur ultra tres hebdomadas. 21. Persecutionem passus tamen alibi morari possit, dum opportunitas reditus adveniat.

CONCILIUM GENERALE PISANUM.

I. Schismatis tollendi causa hoc Concilium coaluit. Illius origo altius est repetenda. Sedem Apostolicam A. 1305 transtulerat Clemens V *Avenionem,* ibique tum ipse, tum ejus successores, septuaginta annorum spatio permansere, donec tandem Gregorius XI, etsi Gallus, Gallias tamen relinquens Sedem Romæ restituit, inductus præcipue a Sanctis Brigitta et Catharina Senensi, quæ hanc esse Dei voluntatem revelatam sibi divinitus asserebant. Mortuo illo Romæ 26ª Maii 1376, mox Cardinales sexdecim in Urbe tunc præsentes conclave ingressi sunt, successorem electuri. Romanus populus metuens ne, electo forsan a Cardinalibus maximam partem Gallis Pontifice Gallo, sedes Pontificia in Galliam rursus abiret, tumultu concitato clamat, Italum se velle, minitatus Conclavi ignem, Electoribus mortem, ni postulata fierent. Ea in conturbatione electus est Bartholomæus Prignano, Archiepiscopus Barensis absens; qui ab Ecclesia acceptatus et a Cardinalibus per plures menses ut verus Pontifex agnitus, assumpto Urbani VI nomine, ubi Romam veniens severiorem se quam tempora ferebant Cardinalium reformatorem profiteretur; duodecim ex illis hoc rigore offensi Anagniam primo, tum Fundos secesserunt. Hic protestati de violentia sibi illata, ideoque electione Urbani VI nulla, dicunt eidem diem ad jus suum tuendum : non comparentem, lata sententia declarant intrusum : tandem 10ª Septembr. A. 1378. Robertum Gebennensem Cardinalem eligunt in summum Pontificem, Clementem VII dictum, et cum sede Avenionem traductum. Ab hoc tempore schisma tristissimum, et armis etiam exasperatum, Ecclesiam in partes scidit; Pontificem Avenionensem Gallis, Neapolitanis et Hispanis; Romanum Italis, Germanis et Anglis sequentibus. Atque id per successores, Urbano quidem Bonifacium IX, Innocentium VI et Gregorium XII suffectos, Clementi autem Benedictum XIII substitutum jam triginta annis propagatum

tenuerat; cum utriusque obedientiæ Cardinales, necquicquam tentatis inter Gregorium et Benedictum viis aliis, ad scissionem vel alterutrius abdicatione vel utriusque depositione tollendam, indixerunt Concilium.

Conflatum id fuit ex 22 Cardinalibus, 4 Patriarchis, 12 Archiepiscopis et 14 eorum Procuratoribus, 80 Episcopis et 102 ipsorum vices gerentibus, 87 Abbatibus et 200 eorum loco substitutis, 4 Ordinum mendicantium Generalibus, 19 Ordinum Equestrium Officialibus vel Commendatoribus, 15 Academiarum deputatis, 200 missis Ecclesiarum præcipuarum, 300 et amplius Doctorum Theologiæ vel Canonum, 7 Regum et pluribus Principum ac Civitatum Legatis : Præsidem habuit Cardinalem Pictaviensem, utriusque Collegii sacri Decanum : Celebratum est Pisis in Hetruria, inchoatum 25ª Martii, absolutum 7ª Augusti A. 1409.

II. *Sess.* 1ª, 2ª *et* 3ª. Sedendi ordine stabilito, legibus Conciliaris disciplinæ prælectis, Officialibus constitutis, et convocationis litteris recitatis, *Petrus de Luna et Angelus Corriarius,* ille Benedictus XIII, hic Gregorius XII compellati, trina citatione evocantur : nec in postrema sessione comparentes. decernuntur et declarantur in causa schismatis et fidei contumaces, contra quos ad ulteriora sit procedendum. 4ª. Roberti Imperatoris Legati, ad partes Gregorii propugnandas missi, ubi auditi fuerunt in Concilio, protestatione contra illud publicata, insalutatis Patribus discedunt. 5ª. Gemini Pontifices accusantur rursus de contumacia : proferuntur contra eosdem articuli triginta septem, schismatis et accusationis capita complectentes. 6ª. Proponitur subtractionem generalem esse faciendam. 7ª. Refutantur factæ a Legatis Imperatoris protestationis omnia ex ordine capita. 8ª. Agitur rursus de obedientia utrique Pontifici subtrahenda : declaratur unio Cardinalium et convocatio Concilii rite facta. 9ª. Renuntiatur Pontificibus, et obedientia subtrahitur decreto promulgato. 10ª, 11ª, 12ª. Iidem citantur ad testes audiendos : hi audiuntur, et veridici comprobantur. 13ª. Benedictus arguitur schismatis et hæresis. 14ª. Declaratur Concilium repræsentare universam Ecclesiam, habereque jus cognoscendi causam præsentem. 15ª. Pronuntiatur sententia definiens Gregorium et Benedictum excidisse Pontificatu separatosque esse ab Ecclesia ipso facto; inhibens ne quis eorum pro Papa se gerat; declarans Ecclesiam Romanam vacare, et Christianos omnes ab illorum obedientia absolutos esse. 16ª. Cardinales Deo, Ecclesiæ Romanæ, ac Synodo promittunt quod, si quis in Pontificem summum foret eligendus, continuaturus sit præsens Concilium, donec facta sit reformatio Ecclesiæ in capite et membris. 17ª, 18ª, 19ª. Cardinales utriusque olim obedientiæ, electionem hac vice, et sine præjudicio, sub protectione Concilii auspicantur : post decem dies concordibus suffragiis Pontificem nominant *Petrum Philargi* Mediolanensem Archiepiscopum, Professione Minoritam, Patria Cretensem : eumque Alexandri V nomine assumpto, Concilii jam Præsidem, lecto Electionis decreto, solemniter coronant. 20ª et 21ª. Decretis editis confirmantur tum dispensationes ad matrimonium et pœnitentiariam spectantes, tum collationes, provisiones, translationes beneficiorum, et ordinationes a geminis olim Pontificibus factæ, exceptis iis quæ in præjudicium unionis fuerant tentatæ. 22ª. Præcipiuntur Concilia Provincialia ab Episcopis, Capitula generalia a Regularibus sub Pontificiis præsidibus habenda : Confirmantur acta Cardinalium ad schisma tollendum : reformatio Ecclesiæ in capite et membris suspenditur usque ad Concilium proximum, triennio post celebrandum, ob plurium jam Prælatorum discessum : dimittitur Con-

cilium, plenariis indulgentiis concessis pro iis qui Concilio huic interfuerint, vel adhæserint.

CONCILIUM GENERALE CONSTANTIENSE.

I. Schisma penitus extinguendum, reformatio Ecclesiæ tandem facienda, et fides confirmanda adversus translatos ex Anglia in Bohemiam errores, tres erant causæ Synodi cogendæ. Cum enim Pisani Concilii sententiæ non acquiescerent Benedictus XIII et Gregorius XII illeque Aragoniam, Castellam et Scotiam, hic vero Siciliam cum Italiæ portione aliqua sequacem traheret; præterea Alexandro V die 4 Maii A. 1410 fatis defuncto *Balthasar Cossa* Neapolitanus, sub Joannis XXIII appellatione, sufficeretur : aucto Pontificum numero schisma etiam increvit. Hoc ipsum vero reformationem Ecclesiæ tanto minus permittebat, quanto plura et inter se discrepantia reformatorum capita erant; quibus repugnare pro lubitu et parte suscepta licebat. Sicut autem sub schismatis exordia et Urbani VI tempora hæresis in Anglia initium sumpserat; sic in scissionis progressu et tripartito Ecclesiæ statu eadem in Bohemia invaluit. De illius auctoribus, scilicet *Joanne Wicleff* et *Joanne Huss*, nec non postremi adjutoribus *Hieronymo Pragensi, Petro Dresdensi et Jacobello Misnensi*, dictum est alibi : errores eorum universim prosequi non vacat, sed damnatos duntaxat in hoc Concilio, eosque non ex ordinis serie, sed pro materiarum delectu juvat recensere.

Wicleffi quidem errores erant : omnia ex necessitate absoluta fieri : Deum obedire debere diabolo : Ecclesiam Romanam esse Synagogam Satanæ : non esse de necessitate salutis credendum, illam esse supremam inter alias Ecclesias : Papam non esse proximum et immediatum Vicarium Christi; Ejus electionem a Cardinalibus esse introductam a diabolo : Post Urbanum VI non esse aliquem recipiendum in Papam, sed more Græcorum legibus propriis vivendum : si Papa sit mere præscitus, eum non habere potestatem in fideles ab aliquo datam, nisi forte a Cæsare. Decretales epistolas esse exsuflandas : Nullum esse Dominum civilem, aut Prælatum, vel Episcopum, dum est in peccato mortali : Populares posse suum ad arbitrium corrigere dominos delinquentes : Parochianos ad libitum suum posse propter Prælatorum peccata auferre decimas : Sylvestrum Papam et Constantinum Imperatorem errasse dotando Ecclesiam : Dominos seculares a diabolo esse seductos, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus : Ditare Clerum esse contra regulam Christi : Contra Scripturam esse, quod Ecclesiastici habeant possessiones : Clericos qui possessiones habent, et Laicos illis consentientes, omnes esse hæreticos : Religiosos, in privatis religionibus viventes, non esse de religione Christiana : Sanctos instituendo religiones privatas peccavisse : Augustinum, Benedictum, Bernardum esse damnatos, nisi pœnituerint, quod habuerint possessiones, et religiones intraverint ac instituerint; et sic omnes Religiosos esse hæreticos : Peccare fundantes claustra, et ingredientes esse viros diabolicos : Omnes religiones introductas esse a diabolo : Omnes de Mendicantium ordine esse hæreticos, et dantes eis eleemosynam esse excommunicatos : Episcopum aut Sacerdotem, si in peccato mortali sit, nec ordinare, nec consecrare, nec conficere, nec baptizare : Substantiam panis materialis et substantiam vini materialis remanere in Sacramento Altaris : Accidentia panis non remanere sine subjecto in eodem Sacramento; Christum in hoc Sacramento non esse identice ac realiter in propria præsentia corporali : Non esse fundatum in Evangelio, quod Chri-

stus Missam ordinarit : Confessionem exteriorem esse superfluam et inutilem, si homo fuerit debite contritus : Fatuum esse, credere indulgentiis Papæ et Episcoporum : Excommunicationem esse censuram Antichristi : Illicita esse juramenta, quæ fiunt ad firmandos contractus : Universitates, studia, gradus et magisteria tantum prodesse quantum diabolus.

Hussi errores præcipui : Condemnationem articulorum Wicleffianorum a Doctoribus factam esse irrationabilem et iniquam : Duas naturas, divinam et humanam, esse unum Christum : Ecclesiam constare ex solis prædestinatis : Præscitos nunquam esse partem Ecclesiæ : Paulum nunquam fuisse membrum diaboli : Nec scintillam esse apparentiæ, quod oporteat esse unum visibile caput Ecclesiæ : Petrum non fuisse ejusmodi caput : Papæ dignitatem esse a Cæsare : Romanum Pontificem non esse caput Ecclesiæ universalis; imo nequidem particularis Romanæ, saltem si malus sit aut reprobatus; neque tunc esse verum successorem Petri : Papam malum et præscitum esse diabolum, nec membrum Ecclesiæ : Eumdem non debere vel ratione officii dici sanctissimum; alioqui et diabolum, utpote officiarium Dei, dicendum sanctum : Cardinales, nisi more Apostolorum et sancte vixerint, non esse veros Apostolorum Christi successores : Obedientiam Ecclesiasticam esse inventum Sacerdotum : Licitum esse Sacerdoti cuivis prædicare, non obstante quacumque prohibitione. Tradentes Clericum seculari potestati esse similes Pharisæis tradentibus Christum Pilato : Nullum esse Dominum, Prælatum aut Episcopum, dum est in peccato mortali : Vitiosum omnia agere vitiose; virtuosum omnia virtuose.

Triplex memorata causa sollicitum maxime habuit Sigismundum imperatorem, Bohemiæ et Hungariæ Regem, qui Joannem Pontificem non tantum permovit ad indicendum generale Concilium, sed et præter litteras ac legatos in omnem partem missos, ipse Galliam, Hispaniam et Angliam percurrit, ut unitatem Ecclesiæ et effectum Concilio compararet. Convenerant ad illud Patres fere mille, ex quibus præter Patriarchas quatuor et Cardinales plures numerabantur Episcopi trecenti. Sessionibus duabus prioribus Joannes XXIII, quatuor postremis Martinus V Pontifices : intermediis, scilicet 3ª Petrus de Alliaco, 4ª Jordanus de Ursinis, reliquis Joannes Vivariensis, Cardinales præfuerunt. Habitum est Constantiæ in Germania prope Helvetos : initio dato 16 novembris A. 1414 fine imposito 22 Aprilis A. 1418.

II. *Sessio* 1ª. Post initialem Joannis XXIII orationem, et Bullam Convocationis recitatam, nominantur Concilii officiales, et ex Synodi Toletanæ præscripto actionum gravitas Patribus commendatur. Tempore hanc inter et sequentem sessionem intercedente, *Joannes Huss*, fide quidem publica, non tamen contra legitimum Concilii judicium munitus, custodiæ traditur, facto ejus causæ initio : decernitur negotiorum tractatio per quatuor Nationes, Italam scilicet, Gallicam, Germanam et Anglicam : cui postmodum accessit quinta Hispanica, ea forma ut in congregationibus primum singulæ statuerent, dein omnes collectæ convenirent, demum in sessione publica omnibus placita sancirent : Joannes ob personales defectus de Pontificatu abdicando interpellatus, id se facturum, obscurius tamen et vacillando addicit.

Sess. 2ª. Idem jam apertius et cum juramento promittit, si tamen Gregorius et Benedictus cessuri sint, et abdicatione hac extinguendum schisma videatur; pro quo promisso Imperator, pedes Joannis deosculatus, solemnes gratias egit. Verum in privatis congregationibus de novo Ecclesiæ capite eligendo agi intelligens Joannes, mutatis vestibus, clam elabitur Constantia

Schaffhusam : quæ fuga agitandis de auctoritate Concilii congregationibus occasionem dedit.

Sess. 3ª. Promulgatur Conciliare decretum, quo statuitur Synodum hanc rite convocatam et legitime inchoatam, per Papæ discessum nec dissolutam, nec ab eodem dissolvi posse aut transferri ante extinctionem schismatis et reformationem Ecclesiæ; nec licitum prælatis discedere a synodo, sine justa causa a deputatis Nationum examinanda; translationes Prælatorum, privationes beneficiorum, et alia ejusmodi post discessum Joannis facta, nullius esse valoris.

Sess. 4ª. Edito decreto declaratur Concilium generale immediate a Christo habere potestatem, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire teneatur in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem schismatis et ad generalem Ecclesiæ Dei reformationem in capite et membris : leguntur litteræ, queis aeris intemperiem causatus, suum discessum Joannes excusat, seque promissis staturum significat.

Sess. 5ª. Decretum prioris Sessionis relegitur et confirmatur : declaratur fuga illegitima, obligatio standi promissis et cedendi Pontificatu.

Sess. 6ª. Approbatur formula Procuratoria super renuntiatione Papatus a Joanne facienda, et ad ipsum honorifica legatio reditum suasura decernitur.

Sess. 7ª. Illo Schaffhusa Lauffenburgum, indè Friburgum, dein Brisacum, tandem Neoburgum fugiente, publicatur ad novem dies citatio ad refutandam hæresin, schisma, simoniam et alia crimina sibi objecta : probatur item *Hieronymi Pragensis* citati et non comparentis contumacia, qui intellecta *Hussi* captivitate, et promissa per schedam publice affixam *Wicleffi Hussique* defensione, aufugerat.

Sess. 8ª. Damnatur *Joannis Wicleffi* doctrina et memoria : 45 articuli seu propositiones recitatæ censurantur in globo; damnatio 260 articulorum ab Universitate Oxoniensi facta rata habetur; libri omnes et tractatus addicuntur igni; ossa exhumata comburi jubentur.

Sess. 9ª. Friburgi interea detentus Joannes XXIII, citatur ad personaliter comparendum. 10ª. Non comparens post iteratam citationem, per auditos testes convictus de pluribus criminibus, lata sententia suspenditur ab omni administratione Ecclesiastica. 11ª. Cellam Constantia haud dissitam perductus, nec objectis refragatus, judicio Concilii se submittit : 12ª. Pronuntiatæ in se depositionis sententiæ acquiescit; traditus dein Electori Palatino custodiendus : decernitur nullum e tribus Pontificibus dubiis in Papam eligendum.

Sess. 13ª. Contra doctrinam et usum *Petri Dresdensis et Jacobelli Misnensis* decernitur, sententiam, quæ communionem sub utraque specie omnibus esse necessariam docet, erroneam esse ac hæreticam : sub excommunicatione prohibetur sacerdotibus communionem sub utraque specie populo distribuere : declaratur, consuetudinem distribuendi sub una tantum specie panis Eucharistiam non fuisse quidem semper in Ecclesia usitatam; ad evitanda tamen multa scandala et pericula rationabiliter introductam.

Sess. 14ª. Acceptatur abdicatio Papatus, nomine Gregorii XII per Carolum Malatestam facta : admittuntur et uniuntur tum hujus, tum Joannis olim Pontificis Cardinales : vetantur tamen electionem novi Pontificis moliri citra consensum Concilii : Benedictus XIII monetur idem facere.

Sess. 15ª. Examine diuturno absoluto, productus in Concilium *Joannes Huss* accusatur et convincitur de hæresi : 30 articulis condemnatis et libris

igni addictis, ipse pertinax degradatus relinquitur seculari judicio, nolensque resipiscere comburitur.

Sess. 16ª Constituuntur Procuratores acturi cum Benedicto de Pontificatu cedendo. 17ª. Precibus commendatur Sigismundus Imperator eadem de causa in Aragoniam profecturus. 18ª. Deputantur ad discutiendas varias causas ad Concilium pertinentes, reservata Concilio sententia definitiva.

Sess. 19ª. E sua in Bohemiam fuga retractus *Hieronymus Pragensis*, accusatus in Concilio et convictus de hæresi, eam ejurat fidei professione edita : declaratur non obligari Patres, per fidem publicam hæreticis a seculari potestate datam, eos in hæresi contumaces non punire, cum hoc ad secularem jurisdictionem non spectet; Concilium autem in data a se fide addiderat : *salva justitia et quantum fides orthodoxa exigit.* 20ª. Datur monitorium ad Archiducem Austriæ de causa cum Episcopo Tridentino : approbantur capita cum Hispanis pro extirpatione schismatis acta. 21ª. *Hieronymus Pragensis* in ejuratam hæresin relapsus eadem qua *Jo. Huss* sententia ac pœna afficitur.

Sess. 22ª et *seqq.* usque ad 38ªm. Introducuntur in Concilium Comes Fuxensis et Legati Regum Aragoniæ, Navarræ et Castellæ, qui Nationem quintam seu Hispanicam conficiunt : proceditur interea in causa Austriaci ac Tridentini : magna solemnitate excipitur Sigismundus redux : Benedictus XIII seu Petrus de Luna citatur; declaratur contumax : indultis novis dilationibus, auditis relationibus, et deliberationibus præmissis, citatur ad sententiam audiendam; demum sententia lata a Papatu deponitur; fideles ab ejus obedientia solvuntur, et quos ille excommunicaverat, absoluti, vel potius absolutione haud indigentes declarantur.

Sess. 39ª. Ad schismata deinceps vitanda, statuitur ut post quinquennium rursus celebretur Concilium generale; septennio post, alterum; ac deinceps singulis decenniis sequentibus : Formula professionis fidei a Pontifice electo edenda describitur : de translatione Episcoporum et reservationibus Pontificiis ordinatur, 40ª. Designantur 18 capita, circa quæ Pontifex proxime eligendus, cum Concilio vel deputandis per Nationes, debeat reformare Ecclesiam ante Synodi dissolutionem. 41ª. Post lectam constitutionem Clementis VI, circa electionem Papæ, et pactum sine præjudicio hac tantum vice observandum, præter Cardinales 20 præsentes, delecti sex e singulis Nationibus, adeoque 30 Electores ultra Ordinarios ingressi conclave, tertio post die, nempe 11 Novembris A. 1417 eligunt in Pontificem Othonem Columnam, dictum Martinum V, decemque post dies coronant.

Sess. 42ª. Martino V jam præside, liberantur Imperator et Palatinus ab onere custodiendi *Cossam*, quem Pontifex ad se adduci jubet. 43ª. Promulgantur quædam reformationis decreta; per quæ et alia cum Nationibus concordata, uti per posita in Cancellariæ regulis, satis esse factum articulis, de reformatione facienda nuper promulgatis, declarat Concilium. 44ª. Pro futuro post quinquennium celebrando Concilio designatur Papia urbs Italiæ a Pontifice. 45ª. Post omnia Concilii decreta, in materia fidei conciliariter facta, a Martino confirmata, solutum est Concilium, cuilibet qui interfuerat data semel in vita et demum in morte plenaria indulgentia, concessaque abeundi licentia.

Reddita est hoc Concilio pax et unitas Ecclesiæ. Nam Gregorius XII quidem constitutus ab ipso Concilio perpetuus Legatus in Marchia Anconitana ante Synodi finem obiit : Joannes XXIII e custodia elapsus confugiensque Florentiam ad Martinum, ab hoc clementissime exceptus, permissa sibi

Cardinalis dignitate, concessoque Episcopatu Tusculano cum sacri Collegii Decanatu, post semestre vivere desiit : Benedictus XIII autem quantumvis septem adhuc post Concilium annis superstes Pontificia Insignia pertinax retinuerit, duoque illi adhærentes Cardinales successorem sub Clementis VIII nomine elegerint; ille tamen a plerisque omnibus desertus non potuit, hic vero post aliquot ab electione annos, sponte se Martino subjiciens, noluit continuare schisma per 50 annos protractum. Poloni alia ex causa, quod nempe Pontifex libellum quemdam Joannis Falkenbergii suo Principi suisque injuriosum non aperte damnasset, nonnisi cum protestatione et provocatione ad futurum Concilium discesserunt : nec satis acquiescebant Petrus de Alliaco et Joannes Gerson, eoquod condemnationem libri Joannis Parvi de Tyrannicidio obtinere nequiverint; causis hujusmodi necdum examinatis penitus, vel sententia conciliaris tractationis non indigente.

III. Prætermittimus huc ex monumentis Conciliaribus referre tum decreta Sessionis 43ᵃᵉ certa de Exemptionibus, Unionibus, Fructibus percipiendis, Simonia, Dispensationibus, Decimis aliisque oneribus Ecclesiasticis, vita et honestate Clericorum; tum Concordata cum Natione Germanica : quia priora in Conciliis aliis præsertim Tridentino, uberius tractata et certius definita habentur : posteriora autem ad quinquennium duntaxat statuta fuerant. Damus autem quæ in Decreto Episcopis ac Inquisitoribus adscripto ad tentandam suspectorum fidem quærenda proponuntur, et Summariam actorum Concilii et confirmatorum notitiam præbent. Præcipua eorum et magis universalia sunt sequentia :

Utrum credat, teneat et asserat, quod Concilium generale quodlibet, et etiam Constantiæ, universam Ecclesiam repræsentet? quod illud, quod Conc. Constantiense, universam Ecclesiam repræsentans, approbavit in favorem fidei et salutem animarum, sit ab universis fidelibus tenendum? et quod condemnavit, esse fidei vel bonis moribus contrarium, ab eisdem sit tenendum pro condemnato? quod *Joannes Wicleff, Joannes Huss et Hieronymus* de *Praga* fuerint hæretici et pro hæreticis reputandi; et libri et doctrinæ eorum fuerint et sint perversi, propter quos et eorum pertinacias per Concilium pro hæreticis sunt condemnati? quod sententia Conc. Constantiensis super 45 *Wicleffi* et 30 *Hussi* articulis lata, sit vera et catholica : scilicet, quod supradicti articuli non sint catholici, sed quidam ex iis sint notorie hæretici, quidam erronei, alii temerarii et seditiosi, alii piarum aurium offensivi? quod non in nullo casu sit licitum jurare? quod ad mandatum judicis, juramentum de veritate dicenda, vel quodlibet aliud ad causam opportunum, etiam pro purificatione infamiæ faciendum, sit licitum? quod perjurium scienter commissum, ex quacumque causa vel occasione, pro conservatione vitæ corporalis propriæ vel alterius, etiam in favorem fidei, sit mortale peccatum? quod deliberato animo contemnens ritum Ecclesiæ, cæremonias Exorcismi et Catechismi, aquæ baptismatis consecratæ, peccet mortaliter? quod post consecrationem Sacerdotis, in Sacramento altaris, sub velamento panis et vini non sit panis materialis et vinum materiale, sed idem per omnia Christus, qui fuit in cruce passus, et sedet ad dexteram Patris? quod facta consecratione, sub sola specie panis tantum, et præter speciem vini, sit vera caro Christi et sanguis et anima et Deitas et totus Christus, ac idem corpus absolute et sub una qualibet illarum specierum singulariter? quod consuetudo communicandi personas laicales sub specie panis tantum ab universa Ecclesia observata, et per Conc. Constantiense

approbata, sit servanda sic quod non liceat eam reprobare aut sine Ecclesiæ auctoritate immutare : et quod dicentes pertinaciter oppositum, tanquam hæretici vel sapientes hæresin, sint arcendi et puniendi? quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum confirmationis vel extremæ unctionis, aut solemnizationis matrimonii, peccet mortaliter? quod Christianus ultra contritionem cordis, habita copia Sacerdotis, soli Sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, et non Laico quantumvis bono et devoto? quod Sacerdos in casibus sibi permissis possit peccatorem confessum et contritum a peccatis absolvere, et illi pœnitentiam injungere? quod malus Sacerdos cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, et vere conferat alia Sacramenta? quod B. Petrus fuerit Vicarius Christi habens postestatem ligandi et solvendi super terram? quod Papa canonice electus sit successor B. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei; quod auctoritas jurisdictionis Papæ et Episcoporum in solvendo et ligando sit major auctoritate simplicis sacerdotis, etiamsi curam animarum habeat? quod Papa omnibus Christianis vere contritis et confessis, ex causa pia et justa, possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum, maxime pia loca visitantibus, et ipsis manus suas porrigentibus adjutrices? quod ex tali concessione visitantes Ecclesias ipsas, et manus adjutrices eis porrigentes, hujusmodi indulgentias consequi possint? quod singuli Episcopi suis subditis, secundum limitationem canonum, indulgentias hujusmodi concedere possint? quod licitum sit Sanctorum reliquias et imagines venerari? quod religiones ab Ecclesia approbatæ, a sanctis Patribus rite et rationabiliter sint introductæ? quod Papa vel alius prælatus, vel ipsorum vicarii, possint suum subditum Ecclesiasticum sive secularem, propter inobedientiam sive contumaciam, excommunicare ita quod talis pro excommunicato sit habendus? quod inobedientia sive contumacia excommunicatorum crescente, Prælati vel eorum vicarii habeant postestatem aggravandi, interdictum ponendi, et brachium seculare invocandi; et quod illis censuris per inferiores sit obediendum? quod iidem habeant potestatem Sacerdotes et Laicos inobedientes et contumaces excommunicandi, ab officio, beneficio, ingressu Ecclesiæ, et administratione Sacramentorum suspendendi? quod liceat personis Ecclesiasticis absque peccato habere possessiones hujus mundi et bona temporalia? quod Laicis ipsa ab eis auferre potestate propria non liceat; imo quod sic auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa Ecclesiastica, sint tanquam sacrilegi puniendi, etiamsi male viverent Ecclesiastici bona hujusmodi possidentes? quod hujusmodi ablatio et invasio cuicumque Saderdoti, etiam male viventi, temere et violenter facta vel illata, inducat sacrilegium? quod liceat Laicis utriusque sexus, viris scilicet et mulieribus, libere prædicare verbum Dei? quod singulis Sacerdotibus libere liceat prædicare verbum Dei, ubicumque, quandocumque et quibuscumque placuerit, etiamsi non sint missi? quod omnia peccata mortalia, et specialiter manifesta, sint publice corrigenda et extirpanda?

CONCILIUM GENERALE BASILEENSE.

I. Quod in Conc. Constantiensi *Papiam* indictum erat Concilium, statuto etiam tempore, A. scilicet 1423. MARTINUS V celebrare studuerat, missis illuc Legatis; sed pestifera lue ibidem grassante, Senas transferri oportuit. Habita hic Sessione, cum Wicleffitarum et Hussitarum hæresis iterato dam-

nata, atque de restauranda Græcorum unione cœptum esset, ob Patrum paucitatem, bellorum et schismatis ab Alphonso Aragonio intentati metum, resque Græcorum adhuc impeditas, in septennium prorogata est Synodus, ac Basileam indicta. Sex in bulla Convocationis dein a MARTINO edita numerantur causæ : extirpatio nempe hæresum, Græcorum unio, declaratio veritatum fidei, compositio pacis inter Christianos Principes belligerantes, reformatio Ecclesiæ in capite et membris, et restauratio antiquæ disciplinæ. Curam tamen ipsius Concilii Martinus V eodem Congregationis anno mortuus, gerere non potuit, sed EUGENIUS IV successor; qui datam a Prædecessore legationem et præsidii provinciam Juliano Cæsarino Cardinali confirmavit. Pro duplici hunc Pontificem inter ac Concilium orto dissidio, et interposita utriusque conciliatione, triplex epocha, non gestorum tantum, sed et adjunctorum differentia numeranda venit.

In epocha 1ª ubi dissolutio Concilii tentabatur a Pontifice, Patres confluxerunt numero non admodum magno, adeo ut Episcopi, ex aliquorum calculo octavum, ex aliorum autem quartum et decimum non superarent; quibus Julianus memoratus præsedit, et ipse ultra primam Sessionem præsidium non tuitus : in 2ª qua Concilio sociabatur Pontifex, inter Patres aderant Prælati centum, non tamen Episcopi omnes : Præsidum autem, Eugenii loco, munus gerentibus Nicolao Cardinali, Juliano jam dicto, Joanne Archiepiscopo Tarentino et Ludovico Abbate S. Justinæ : in 3ª ubi jam decreta erat translatio Concilii, et subin etiam *Ferrariam* facta, numerum faciebant Presbyteri, non autem Prælati; ex quibus unus duntaxat Cardinalis, pauci erant Episcopi; Præsidem ipso Concilio sibi creante Ludovicum Alemannum Cardinalem Arelatensem. Hæsit sub triplici hac vicissitudine Concilium semper Basileæ in Germania ad Rhenum superiorem : et initium quidem habuit 14ª Decembr. A. 1431; finem autem epocha prima, die 5ª Februar. A. 1434; secunda, die 7 Maii A. 1437; tertia, die 16 Maii A. 1443.

II. *Sess.* 1. Lectis Constantiensi statuto et Senensi decreto, nec non MARTINI convocatoria, Eugenii autem confirmatoria bulla, declaratur legitima Concilii congregatio : proponitur multiplex ejusdem finis; commendantur observanda; deputantur officia. 2ª. Cum jam innotuisset EUGENIUM Pontificem de Synodo dissolvenda statuisse, declaratur Basileense Concilium legitime inchoatum : innovantur decreta Sessionis 4 et 5 Concilii Constantiensis, tanquam auctoritatem Synodi generalis supra Pontificem universim statuentia; decernitur *Basileense* esse Concilium ejusmodi, quod repræsentet universalem Ecclesiam, et immediate a Christo potestatem habeat, nec a Papa dissolvi aut transferri possit; cujus etiam sine consensu e Synodo evocari nemo, nemo ab illius accessu prohiberi queat a quocumque. 3ª. Audito EUGENII decreto, quo præsertim ob unionem Bononiæ, in urbe a Græcis delecta faciendam, dissolvebatur Concilium, et illam in urbem indicebatur; declaratur attentata hæc dissolutio nulla et irrita : repetitur prioris Sessionis decretum de auctoritate Concilii : monetur Eugenius revocare suam bullam, et intra trimestre cum Cardinalibus adesse ipse, vel per Legatos. 4ª. Bohemis aliisque ad Concilium venire volentibus, conceditur commeatus liber amplissimus : prohibetur, pro casu electionis Papalis forsan faciendæ, ea alibi fieri quam in loco Concilii : decernitur obligationes quascumque aut censuras, accessum ad Concilium impedientes, nullatenus tenere : Imperatur Pontifici, durante hoc Concilio, abstinere a creatione Cardinalium. 5ª. Constituuntur judices in causa fidei aliisque negotiis : decernitur nullum ex

Patribus aut Concilio assistentibus, invitum Basilea evocari ad qualemcumque judicem Ecclesiasticum posse : audiuntur Oratores Pontificii ; et disceptatur de Concilii auctoritate. 6ª. Accusatur Pontificis et Cardinalium absentium contumacia. 7ª. Repetitur decretum de non eligendo Pontifice extra locum Concilii ; pro quo casu electionis tempus ampliatur : beneficia Cardinalium contumacium permittuntur Ordinariis. 8ª. Prorogatur veniendi terminus Pontifici citato ; Præsules autem sub pœna privationis beneficiorum sine mora adesse jubentur : decernitur unicum tantum esse posse Concilium generale : statuitur excommunicationem incurrere eos qui Bononiæ congregare se tentarent. 9ª. Sigismundi Imperatoris et Wilhelmi Bavariæ Ducis protectio acceptatur ; qui contra censuras muniuntur, iis autem adversantes excommunicatione terrentur. 10ª. Accusatur iterato Eugenii contumacia ; et instituendæ in eum actionis judices deputantur. 11ª. Proponitur explicatio intentioni Patrum accommoda decreti Sess. 4 a Conc. Constantiensi editi. 12ª. Repetitur decretum de auctoritate Concilii suprema : dantur Eugenio alteræ veniendi inducæ : jus sacrarum electionum confirmatur ; reservationes Pontificiæ restringuntur ; simoniacæ electiones irritantur. 13ª. Eugenius tertio postulatur contumaciæ : datur nihilominus eidem prorogatio termini. 14ª. Interventu Imperatoris et Caroli VII Francorum Regis, Pontifice ad cedendum inclinato, præscribitur formula qua conciliatio fieri possit ac debeat. 15ª. Decernitur Synodum Diœcesanam quidem quotannis, Provincialem singulis bienniis esse celebrandam. 16ª. Eugenius, litteris per Oratores oblatis, revocat decretum de Concilio dissolvendo ; abolet censuras, suspensiones et privationes tribus bullis hactenus latas ; declarat Concilium ab initio legitime continuatum et porro continuandum, ac si nullum unquam dissolutionis decretum emanasset : Synodus e contra suæ postulationi satisfactum declarat ; ipsas litteras approbat, et in acta refert.

Sess. 17ª. Legati Pontificii, nomine, vice ac loco Eugenii, admittuntur in Concilii præsides. 18ª. Quasi ex Concilii Constantiensis decretis renovantur sæpius jam statuta de superioritate Concilii et subjectione papæ ; sed absentibus Legatis Pontificiis et præsidibus Concilii. 19ª. Agitur de loco Concilii pro Græcorum unione celebrandi : vetatur communicatio cum Judæis : decreta de eorum compulsione ad verbum Dei audiendum, et de docendis ac discendis linguis Orientalibus renovantur : monentur Ordinarii ad curam Neophytorum habendam ; fideles omnes ad subsidia iisdem ferenda 20ª. Statuuntur pœnæ in Clericos concubinarios, concubinas, et proles ex illis natas : nominatim vel notorie excommunicatos tantum vitandos esse decernitur : vetatur locum subjicere interdicto ob culpam privatæ personæ, nisi hæc nominatim excommunicata a loci domino vel magistratu fuerit retenta : rejicitur appellatio secunda ab interlocutoria vel super gravamine eodem. 21ª. Annatæ pro beneficiorum collatione, electionum confirmatione, postulationum admissione, aut pro præsentatione datæ reprehenduntur ut simoniacæ et abrogantur : statuitur pacifico beneficii per triennium possessori litem moveri non posse ; eduntur decreta de modestia in divinis officiis et reverentia templis debita. 22ª. Damnatur libellus Augustini de Roma ord. Erem. S. Aug. de Christo et Ecclesia ; in quo præter alia dicebat Christum quotidie peccare, intelligendo tamen id de ejus membris seu fidelibus, quos cum capite unum Christum facere dicebat. 23ª. Decreta circa electionem Pontificis lata, variæque eidem leges præscriptæ innovantur : numerus Cardinalium ad 24 restringitur ; qui de omnibus nationibus assumendi et

Theologiæ vel Canonum Doctores esse decernuntur. 24. Pacta conventa cum Græcis de celebrando in Occidente pro unione Concilio confirmantur : publica iisdem fides datur : plenissimæ indulgentiæ conceduntur iis qui pro Græcorum subsidio darent tantum quantum ipsi una hebdomada consumerent. 25ª. Oritur dissidium inter Patres de loco futuri cum Græcis Concilii, Pontificiis Legatis et præsulibus plerisque decretum ferentibus pro Florentia vel Utino, aliis plerisque secundi ordinis Sacerdotibus, duce Ludovico Arelatensi Cardinali, Basileam aut Avenionem deligentibus. Dissidio ad Pontificem delato, is postea parti priori et saniori accessit.

Sess. 26ª. Pars numero quidem major sed auctoritate minor, ubi certior facta fuit de Pontificia approbatione sibi contraria, multorum criminum immerito accusat Eugenium, et in jus vocat pro arrogata Concilii superioritate, intercedente incassum parte contraria. 27ª. Ab eadem interdicitur Eugenio nova Cardinalium creatio : decretum nomine Synodi a parte saniore, pro designanda Florentia aut Utino in Concilii cum Græcis celebrandi locum, editum declaratur falsum : prohibetur venditio aut oppignoratio urbis Avenionis, quam pro Græcorum subsidio tentari a Pontifice erat suspicio. 28ª. Accusatur et declaratur Eugenius contumax. Is eadem die 31ª Julii A. 1437 edito diplomate Concilium Basilea Ferrariam transfert; dierum tamen 30 spatium adhuc concedit pro causa Bohemorum Basileæ terminanda. 29ª. Translatio Concilii a Pontifice facta declaratur irrita; quam revocare Eugenius jubetur sub pœnis intentatis : vetatur ne quis Eugenium audiat vel sequatur. 30ª. Declaratur fidei dogma de præsentia Christi in qualibet specie Eucharistica, neque præcepto ullo divino adstringi non sacrificantes ad communionem sub utraque specie. 31ª. Eduntur decreta quibus rejiciuntur frivolæ ad Romanam Curiam appellationes, revocantur et prohibentur gratiæ exspectativæ ac reservationes Pontificiæ, imperatur præbenda Theologica in Ecclesia Cathedrali, ordinatur de tertia parte beneficiorum graduatis conferenda : Eugenius declaratur contumax, et suspenditur ab omni jurisdictione. Ab hoc tempore seu initio anni 1438, profecto Ferrariam Juliano Cardinali, Ludovicus Arelatensis Concilii præsidem agit.

Sess. 32. Damnatur Concilium Ferrariense cum Eugenio; omnia ejus acta et agenda irritantur; qui ei intersunt, excommunicantur. 33ª. Tanquam veritates fidei statuuntur : Concilium generale habere potestatem supra Papam; nec hunc posse prorogare, transferre aut dissolvere Concilium hujusmodi legitime congregatum; qui contrarium sinserint hæretici declarantur. 34ª. Pronuntiatur depositionis sententia contra Eugenium, cum gravissimis calumniis. 35. Agitur de Concilii stabilitate, et electione novi Pontificis. 36ª. Doctrina de Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis tanquam pia, consona cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi et sacræ Scripturæ declaratur; contrarium prædicare seu docere prohibetur; ejus solemnitas secundum Romanæ Ecclesiæ aliarumque morem celebrari præcipitur : indulgentiæ hanc celebrantibus erogantur. 37ª. Designantur locus, dies, et electores pro novo Pontifice eligendo. 38ª. Nominantur Officiales pro Conclavi, et 17 Novembr. A. 1439 a Cardinali Arelatensi Præside ac 32 viris ex diversis Nationibus ad id deputatis eligitur in Papam *Amedeus* Sabaudiæ Dux, ante quinquennium Ripalliæ Eremita factus. 39ª. Confirmatur electio Amedei. 40ª. Promulgatur obtentus tandem ab Amedeo consensus, illoque sub Felicis V nomine tanquam Papa omnibus honorandus proponitur, excommunicatione renuentibus intenta. 41ª. Sententia Eugenii contra

Felicem ejusque sectarios damnatur. Felix altera post hanc Sessionem die in Concilio consecratur ab Arelatensi Episcopo et coronatur. 42ª. Pro habenda Felicis sustentatione in quinquennium designatur quinta pars proventuum Ecclesiasticorum. 43ª. Festum Visitationis Beatissimæ Virginis, jam a Bonifacio IX tempore schismatis institutum, decernitur celebrandum. 44ª. Deliberatur de actorum et personarum Concilii securitate : decernitur ab Eugenio beneficiis privatos esse restituendos. 45ª. Decernitur Concilium post triennium Lugduni continuandum : ne tamen dissolutum jam penitus censeretur, Lausanam nunc translatum declaratur.

Nec Lugdunense Concilium effectum habuit, nec Lausanense quidpiam memorabile gessit, nisi quod Felix hortatu Friderici Cæsaris ad pacem Ecclesiæ dandam Antipapatu suo A. 1449, consentientibus etiam olim Basileensibus, se abdicarit, et Nicolaum V. Eugenio ante biennium mortuo substitutum agnoverit Papam legitimum. Hic contra triplici constitutione, et *Amedeum* renuntiavit Sabinensem Episcopum, Cardinalem primum et in Sabaudia alibique Legatum perpetuum, additis aliis honorum testificationibus, et omnia ab eodem acta tam justitiam quam gratiam spectantia confirmavit; et adhærentes eidem in integrum restituit; et omnia contra illos dicta vel scripta, nulla et irrita declaravit.

III. A documentis hujus Concilii referendis tanto facilius abstinemus, quanto minus illa auctoritatis habent; cum decretorum nulla approbatio Pontificia extet, Germania post Concilium divisum partes neutras sit secuta, Gallia vero sanctionem pragmaticam ex illis compilatam commutari in Concordata aut voluerit aut sustinuerit. Pro notitia tamen Theologica breviter annotare juvat quæ a Concilii Legatis in Bohemorum reducendorum causa fuerunt gesta.

Damnatione per Conc. Constantiense in *Wicleffi* ac *Hussi* errores lata, sumptaque de postremo ac *Hieronymo Pragensi* pœna, adeo Bohemiæ pax non est reddita, ut potius Religionis dissidium in bellum tristissimum eruperit. In eo cum sub antesignano *Joanne Zisca* primum, dein sub *Procopio Raso* hæretici plerumque victores, non jam frangendi armis, sed pacis artibus expugnandi viderentur; tum litteris tum legationibus honore et charitate plenissimis ad Concilium tentandamque in eo unionem invitabantur. Accepta fide publica, suffragio Nobilitatis vincente vota populi, ineunte. A. 1433, advenerunt a Bohemis missi Oratores, pacem ac unionem polliciti, siquidem de quatuor articulis sibi satisfieret : nempe : 1. in concedendo calicis usu; 2. in asserenda homini privato facultate plectendi publica scelera; 3. in permittenda cuilibet libertate prædicandi; 4. in prohibenda Clericis bonorum temporalium possessione. Actum est de singulis in Congregationibus Basileensibus; pro illis articulis, et quidem pro primo, Joanne Rokisana Legationis Hussiticæ Principe et Pseudo-Archiepiscopo Pragensi; pro secundo, Wenceslao Taboritarum oratore, pro tertio, Widarico Orphanorum presbytero, pro quarto, Petro Payne Anglo perorantibus : contrarias ex ordine orationes per plures dies eloquentibus Joanne de Ragusio FF. Prædic. Procuratore generali, Ægidio Carlerio Decano Cameracensi, Henrico Kalteisen FF. Præd. Doctore Coloniensi, Joanne de Polemar Archidiacono Barcinonensi. Disputationibus nihil proficientibus, cum Bohemi reditum ad suos urgerent, Concilium Legatos suos adjunxit, qui tractatus cœptos continuarent, eventu haud feliciori forsan polituros, nisi cæso ad Pilznam Procopio, et Nobilitate prævalente, Taboritarum et Orphanorum audacia cecidisset. Abhinc enim mollius jam auditis

Legatis, prope finem. A. 1433, scribi Pragæ cœperunt Compactata : quibus dum plura addi aliaque concedi, per litteras subin ac missos Basileam rursus Legatos, frustra esset postulatum, ea tandem. A. 1436. Iglaviæ consummata sunt et firmata. In his Legati quidem Concilii usum calicis, adjecta tamen cautela, indulserunt; et de capitibus reliquis Catholicam doctrinam a postulatorum mente alienam exposuerunt : Bohemi autem declarationem doctrinæ datam se recepturos, et dispensatione ad præscriptam normam usuros pollicebantur. Ex his compactatum de Eucharistia integrum hic damus, simulque adjicimus de eadem decretum fidei, juxta communiorem opinionem sessioni 30æ insertum, ab Augustino tamen Patricio ad 25am relatum, et hinc communi Patrum consensu conditum. Compactatum de Eucharistia sic habet : *Ut Bohemis ac Moravis suscipientibus Ecclesiasticam unitatem ac pacem realiter et cum effectu, et in omnibus aliis, quam in usu communionis utriusque speciei, fidei et ritui universalis Ecclesiæ conformibus, illi et illæ, qui talem usum haberent, communicarent sub duplici specie, cum auctoritate Domini nostri Jesu Christi et Ecclesiæ sponsæ ejus. Et hunc articulum in sacro Concilio discussum iri quoad quæstionem de præcepto, et constituendum quid circa illum articulum pro catholica veritate sit tenendum et agendum ad utilitatem et salutem populi christiani. Et omnibus mature pertractatis, si nihilominus in desiderio communionis sub duplici specie perseveraverint, sacrum Concilium Sacerdotibus dictorum Regni et Marchionatus, communicandi sub utraque specie populum, eas videlicet personas, quæ in annis discretionis constitutæ reverenter et devote postularent facultatem in Domino pro eorum utilitate et salute concessurum. Hoc semper observato, quod Sacerdotes sic communicantibus semper dicerent : ipsos firmiter credere debere, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integer et totus Christus.* Concilii decretum ita definit ac disponit : *Decernit et declarat eadem sancta Synodus, quod fideles Laici sive Clerici communicantes, et non conficientes, non adstringantur ex præcepto Domini ad suscipiendum sub utraque specie, panis scilicet et vini, sacrum Eucharistiæ Sacramentum. Sed Ecclesia, quæ regitur Spiritu veritatis secum manente in æternum, et cum qua Christus manet usque ad consummationem seculi, ordinare habet, quomodo ipsis non conficientibus ministretur, prout pro reverentia ipsius Sacramenti et salute fidelium viderit expedire. Sive autem sub una specie sive sub duplici quis communicet, secundum ordinationem seu observationem Ecclesiæ, proficit digne communicantibus ad salutem. Nec ullatenus ambigendum est, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integre totus Christus. Laudabilis quoque consuetudo communicandi laicum populum sub una specie, ab Ecclesia et sanctis Patribus rationabiliter introducta, et hactenus diutissime observata, et a Doctoribus divinæ legis sacrarum Scripturarum et Canonum multam peritiam habentibus, jam a longævo tempore commendata, pro lege habenda est; nec alicui licitum est reprobare, aut sine auctoritate Ecclesiæ ipsam immutare.* Quid porro superiore indulgentiæ promissione effectum fuerit, narrat Jacobus Card. Papiensis, dum l. 6. Commentariorum scribit, Bohemos ex illo tempore non petiisse Calicem, non indulsisse Synodum ultro, a Romano etiam Præsule tale quidquam nec postulatum esse, nec comprobatum : ipsos etiam, qui Compactatis se defendere solebant, illa eadem contempisse verius quam non servasse : siquidem pueris passim et dementibus, non de pane tantum, sed et de Calice mini-

strasse; invitos quoque et non postulantes ad Calicem adegisse; Sacramenta Ecclesiæ et sepulchra publicosque honores iis qui illum non vellent, per injuriam ademisse; de mysterio etiam tam panis quam vini nihil plebibus juxta condictum annuntiasse : postremo nec Romanæ Sedis institutis, a qua longe errabant, in cœteris assensisse, compertum habetur.

ARTICULUS II.

PENES QUEM JUS SIT CONVOCANDI CONCILIUM GENERALE, ET CONVOCATO PRÆSIDENDI?

139. *Nota.* Convocare non tantum dicitur is, qui voce aut litteris indicit locum diemque Concilii, atque ad id invitat aut evocat; sed qui jure hæc agendi pollens, consentit aut petit indici ab alio, vel indictionem saltem ratam habet. Similiter præsidentis quidem munus est, præter honorem sessionis et suffragii præcipuum, dirigere conventum, proponendo tractanda, concludendo determinata, et pronuntiando ac promulgando conclusa : neque tamen aut per seipsum, aut hæc omnia simul necessario præstat; sed satis est vel per Legatos ea facere, vel quædam tantum præstare, aliis aliorum industriæ permissis. De gemino hoc munere una agimus : quia sicut utriusque eadem sunt fundamenta; sic diverse licet sentientium eadem est responsio. Et Catholici quidem plerique Pontifici Romano utrumque officium tribuunt; posteriorum autem temporum sectarii seculari Magistratui, præsertim Imperatori delatum volunt; quibus se jungunt nonnulli politici, qui religionis negotia supremæ Reipublicæ potestati non tantum protegenda, sed et judicanda subjiciunt.

Agitur autem hic unice de Concilio generali : quia utraque pars facile convenit, Synodi Diœcesanæ Episcopum, Provincialis Archiepiscopum, Nationalis Patriarcham vel Primatem esse auctorem ac præsidem; altera autem potestatem in generale Concilium ex illa in minores cœtus, vel vicissim, deducit.

140. *Dico I.* **Jus convocandi generale Concilium ordinarie spectat ad summum Pontificem.**

Prob. Qui ex auctoritate Christi habet curam et providentiam universæ Ecclesiæ, præpositus est pascere oves et agnos, h. e. jurisdictionem exercere in fideles et pastores, omnes denique Ecclesiastica potestate cogere valet; ad eumdem spectat jus convocandi Concilium generale : tum quia hoc est juxta Matth. 18. *In nomine Christi congregare* universam Ecclesiam, quam Concilium generale repræsentat; tum quia sicut politica potestas convocandi comitia Regni aut Reipublicæ pertinet ad supremum inter omnes aut primum; sic Ecclesiastica potestas congregandi fidelium Concilium ad Ecclesiæ Primatem aut Principem spectat. Sed solus Pontifex Romanus, nullus autem politicus magistratus, ex auctoritate Christi hanc curam, præfecturam ac potestatem tenet; ut ex Cap. seq. constat : ergo et solus Pontifex Romanus jus possidet convocandi Concilium generale.

Conf. 1. Ex Conciliorum actis. Chalcedonense Act. 1ª prohibet Dioscorum sedere inter Episcopos, pro ratione afferens : *Quia Synodum ausus est*

facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est. Constantinopolitanum III. Act. 6ª irritum declarat Iconoclastarum Concilium, quod sine consensu Pontificis indixerat Constantinus Copronymus. Lateranense V, Sess. 11ª in Decreto *Pastor æternus*, declarat ex monumentis Ecclesiasticis *manifeste constare, quod solus Romanus Pontifex, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habens, tam Conciliorum indicendorum, quam transferendorum ac dissolvendorum, plenum jus et potestatem habeat.*

2. Ex Ecclesiasticis documentis. Julius I in epist. ad Orientales apud Cassiodor. in Hist. Tripart. scribit : *Canon Ecclesiasticus est non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Hunc Canonem *Apostolicum* vocat Marcellus in epist. ad Episcopos Antiochenos; *Renovatum in Conc. Nicæno* scribit Synodus Alexandrina in epist. ad Felicem Papam; Socrates, l. 2, hist., c. 13, et Sozomenus, l. 3, hist., c. 9 referunt. Pelagius II in epist. ad Joannem Constantinopolitanum et ejus Synodum scribit : *Generalium Synodorum convocandi auctoritas Apostolicæ Sedi B. Petri singulari privilegio est tradita; et nulla unquam Synodus rata legitur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta.*

3. Ex Imperatorum confessis. Valentinianus apud Sozom., l. 6, c. 7, inquit : *Mihi, qui sum in sorte plebis, fas non est talia curiosus perscrutari : Sacerdotes vero, quibus ista curæ sunt, quocumque voluerint loco conveniant.* Theodoricus Rex convocans Romanam Synodum contra Symmachum, ut Episcopos audientes haberet, ostendere debuit litteras, queis Papa ipse voluntate sua Synodum convocatam testabatur. Idem circa Symmachi causam consultus a Patribus, respondit in Synodi esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere; nec aliquid ad se, præter reverentiam, de Ecclesiasticis negotiis pertinere.

4. Ex factis frequentibus. Œcumenica enim Concilia occidentalia omnia a Pontifice sunt indicta : Orientalium autem indictio vel consensu vel ratihabitione Pontificum fuit firmata; ob alterutrius defectum Ephesinum Eutychianorum, Constantinopolitana sub Leone et Copronymo Iconoclastarum, Pisanum Schismaticorum, et alia sunt reprobata.

141. *Objic.* Concilia œcumenica Orientalia omnia convocata sunt ab Imperatoribus, ut in C. VIII. Vicarii Sedium Orientalium asserunt : *Scitis quia in præteritis temporibus Imperatores erant qui congregabant Synodos, et ex toto terrarum orbe ad dispositionem hujusmodi causarum colligebant :* Singillatim vero convocatum esse Nicænum I a Constantino Magno, testatur Euseb. in vita, l. 3, c. 6; Socrat., l. 1, c. 6; Rufin., l. 10, c. 15; Constantinopolitanum I a Theodosio Seniore, Theodoret., l. 5, c. 9 et Socrat., l. 5, c. 8. Ephesinum a Theodosio Juniore, Evagr., l. 6, c. 3. Chalcedonense a Marciano, Leo epist. 43 et Act. 1ª. Constantinopolitanum II a Justiniano, Evagr., l. 4, c. 37, et Nicephor., l. 17, c. 27. Constantinopolitanum III a Constantino Pogonato, epist. Imperatoris, altera ad Donum Papam, altera ad Georgium Constantinopolitanum, et Patres in Act. 1ª. Nicænum II a Constantino IV, ejusque matre Irene, epist. Augustorum ad Adrianum. Constantinopolitanum IV a Basilio, Act. 1ª. Ergo jure aliquo convocatio Conciliorum debetur Imperatoribus.

R. ad Arg. 1. — *T. A.* — *D. Conf.* Ergo jure aliquo majestatis, aut jurisdictionis in Concilia et Ecclesiastica negotia Imperatoribus debetur convo-

catio, N. jure aliquo advocatiæ et protectionis Ecclesiæ, aut superioritatis in loca conventus, aliaque ad illum necessaria, T. quia hi tituli jam sunt antiquati : aut si qui restant, non visi sunt sufficere, pro Occidentalium convocatione Imperatoribus permittenda. *R.* 2. *D. A.* Concilia œcumenica Orientalia convocata sunt ab Imperatoribus summo jure et auctoritate propria, N. ex dispensatione Pontificum, per assensum vel ratihabitionem concessa, C. Equidem non assensus quilibet vel ratihabitio dici potest dispensatio; si tamen qui solus auctoritatem rei faciendæ habet, idem fieri ab alio consentit, aut factum probat, recte dicitur ejus dispensatione vel auctoritate fieri. Atqui penes Pontificem solum auctoritatem esse convocandi generales Synodos, ostendimus supra; et eorum interventu aliquo omnes Orientales congregatas esse, non tantum ex missis eo Legatis, sed et ex aliis monumentis demonstrabimus.

De Nicæno I. Rufin. l. 1 Hist., c. 1, ait, illud a Constantino *ex Sacerdotum sententia* esse convocatum; et in Conc. VI, Act. 18ª in Serm. acclamatorio dicitur : *Arius insurgebat, et continuo Constantinus semper Augustus ac Sylvester laudabilis magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant.*

Constantinopolitanum I. Actione non fuisse œcumenicum constat tum ex dictis, tum ex ipsa convocatione, qua Theodoreto, l. 5, c. 7, teste, Orientales tantum Episcopi jussi fuerunt convenire. Nihilominus Patres iidem Constantinopolitani anno altero Romam evocati a Damaso, quamvis profectionem excusarint, tres tamen obedientiæ Legatos illuc miserunt.

De Ephesino constat tum ex Evagr., l. 1, c. 4, illud a Cyrillo Cœlestini Vicario ad sententiam contra Nestorium exequendam fuisse postulatum : tum ex Cœlestini ad Concilium epistola, illius convocationem a Pontifice esse approbatam.

De Chalcedonensi res patet ex epist. Marciani ad Leonem : *Superest ut, si placuerit tuæ beatitudini in has partes advenire et Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur* : ex epist. Leonis ad Marcianum : *Litteras dedimus ad Coepiscopos nostros, iisque Concilium generale indiximus* : ex epist. Episcoporum secundæ Mœsiæ : *In Chalcedonensium civitate multi Episcopi convenerunt per jussionem Leonis Romani Pontificis.*

Pro Constantinopolitano II cogendo, consensum Vigilii Pontificis petitum fuisse constat tum ex Eutychii libello fidei ad Vigilium dato, tum ex hujus ad illum litteris et constituto.

Ad Constantinopolitanum III invitatum esse Pontificem, præter allatas in objectione epistolas, Epiphanius ab Imperatore missus, et Agathonis Synodica Constantinopolin scripta, et Act. 4ª perlecta confirmant.

De Nicæno II idem docent tum Tarasii et Augustorum ad Adrianum litteræ, tum hujus ad Augustos responsoriæ, Act. 2ª recitatæ.

Constantinopolitanum IV non tantum consensu, sed Imperio Pontificis coactum, ostendit Adriani ad Basilium epistola actioni 1ª inserta his verbis : *Volumus autem per vestræ pietatis industriam Constantinopoli numerosum celebrari Concilium.* Item Anastasii præfatio Synodi hujus ad Adrianum directa : *Missisque cum auctoritate Apostolica Vicariis et Epistolis decretalibus, jussisti fieri Constantinopoli Synodum.*

Inst. 1. Euseb. in vita Constantini l. 1, c. 37 : scribit : *Constantinum magnum, velut communem Episcopum, ut pacem Ecclesiis redderet ac disciplinam Ecclesiasticam sanciret, Synodos convocasse.* 2º Theodoret., l. 2,

c. 16 narrat Liberium concessisse, ut in Imperatoris potestate sit convocare Concilia. 3° Hieron. l. 2, Apolog. adv. Rufin. de quadam Synodo loquens ait : *Dic quis Imperator hanc Synodum jusserit evocari.* Ergo asserunt et tribuunt hoc jus Imperatori.

R. ad 1. — *D.* Constantinus velut communis Episcopus eorum quæ intra Ecclesiam geruntur, N. quæ geruntur extra Ecclesiam, *subd.* convocavit Synodos jure proprio, N. analogico tantum, et protectionis ergo, C. qua ratione Constantinus se dixerit Episcopum, declaravit ipse ap. Euseb. in vita l. 4, c. 24 : *Cum Episcopos aliquando convivio exciperet, se quoque Episcopum esse dixit, his fere verbis usus : Vos quidem in iis quæ intra Ecclesiam, ego vero in iis quæ extra geruntur, Episcopus a Deo sum constitutus.* Reliqua constant ex dictis.

Ad 2. *R.* Liberium apud Theodoretum nec concessisse, nec agnovisse potestatem Synodos convocandi Imperatoribus propriam; sed a Constantio postulasse ut fieret Synodus : quod prudentiæ et necessitatis erat; cum invito Imperatore, rerum potente, Synodus congregari non posset : et infensi alias Ariani voluntas precibus facilius, quam jussioni cessura videretur.

Ad 3. *R.* Hieronymus sine sententiæ nostræ præjudicio sic quærere poterat; cum quæstio esset de facto, tum solito; nullatenus de jure.

Inst. 2. Ante imperatores christianos nullum Concilium generale fuit celebratum : *Ex quo tempore Imperatores Christiani esse cæperunt,* Socrates in præfat. l. 5 inquit, *maxima Concilia de eorum sententia convocata sunt :* Pontifices ipsi, ut Leo epist. 24, ad Theodosium scribens fecit, apud Imperatores pro cogendo concilio supplicarunt : ergo.

R. ad 1. Verum est assertum; non tamen quod deficeret auctoritas, sed quia defuit opportunitas; assiduis scilicet persecutionibus Episcopales ex multis provinciis unum in locum conventus prohibentibus, ut patet ex historia.

R. ad 2. Ratio multiplex prioribus seculis interventum Imperatorum in conciliorum coactione necessarium reddebat : nempe imprimis Lex Imperialis, l. 1, *ff.* de *Colleg. illicitis et* l. 15, C. *de Episcopis et Clericis* relata, prohibens frequentes hominum conventus sine auctoritate Imperatoria; deinde necessitas celebrandi Synodum in urbe Imperiali, utique ab Imperatore designanda; tum sumptus ex publico in vecturam itinerantium, et in victum commorantium in Synodo Patrum expendendi : defensio denique contra Paganos ac hæreticos præstanda; tandem Pontificis æque ac Episcoporum res omnis dominio Imperatoris obnoxia.

R. ad 3. Ex iisdem rationibus postulavit Leo ab Imperatore Synodum convocari : et captanda etiam erat gratia Marciani; ne, quod in latrocinio Ephesino evenerat, Imperatoris aut Comitis missi adversa studia spem eventus perderent. Cæterum adversariorum rationem jam ante excluserat Athan. in epist. ad Solitar. quærens : *Quando unquam judicium Ecclesiæ ab Imperatore auctoritatem habuit?*

142. *Dico II.* **Jus præsidendi Concilio generali regulariter ad Pontificem Romanum pertinet.**

Prob. Qui in Concilio generali habet præcellentiam respectu congregationis, superioritatem respectu congregatorum, auctoritatem respectu repræsentati, potestatem respectu causæ; ad eum jus præsidendi Concilio generali pertinet : cum his comprehendantur, quæ in Præside Conventus

desiderari queunt. Sed Pontifex omnia ista complectitur; quia ut Primas et Pater ab ipsis Constantinopolitano et Chalcedonensi Conciliis appellatus, præcellit in congregatione : ut Successor Petri et Pastor supremus, est superior Congregatis : ut Vicarius Christi et Caput visibile, auctoritatem obtinet Ecclesiæ per Concilium repræsentatæ : ut Doctor, Judex et Papa œcumenicus, causarum omnium in Synodo tractandarum potestatem habet, quemadmodum in seqq. declarabitur : præter ipsum autem nec ulli potestati seculari, nec personæ Ecclesiasticæ saltem singulari, hæc competunt : ergo.

Conf. Conciliis œcumenicis, actione talibus, hactenus præsedit semper Romanus Pontifex, vel per se, vel per Legatos : ergo præsidendi jus illi competit; cum constans adeo factum sine jure obtineri haud potuisset. *Antecedens*, exceptis Constantinopolitanis I et II quæ scilicet actione non erant œcumenica, quoad 1um patet in Lateranensibus, Lugdunensibus, Viennensi et Florentino; quibus ipsos Pontifices præsedisse, nemo in dubium vocat. Quoad 2um patet similiter ex Actis reliquorum Conciliorum per ordinem sedendi, loquendi et subscribendi. De his (abstinemus a Tridentino, quod vel ideo respuebant Protestantes quia Pontificium ex omni parte dicebant) ulterius adhuc ex monumentis aliis demonstratur.

De Nicæno I. Gelasius Ep. Cyzicenus l. 2, Conc. Nicæni, ait : *Osius Sylvestri Episcopi maximæ Romæ locum obtinuit una cum Romanis Presbyteris Victore et Vincentio.* Adrianus Papa, in epitome Canonum ad Carolum M. missa, *sciendum est*, inquit, *Osium inter Patres Concilii Nicæni honorabilem fuisse, atque ab Apostolica Sede cum Victore et Vincentio Presbyteris destinatum.* Gregorius VII in Apolog. c. 3 scribit : *Osius Cordubensis, Victor et Vincentius Presbyteri Romanæ Ecclesiæ, ex parte Sylvestri Concilio Nicæno præfuerunt.* Idem de Episcopo testatur Athanasius in epist. ad Solitarios; de Presbyteris, Socr., l. 1 Hist., c. 5, Theodoretus, l. 1 Hist., c. 7, et Photius, lib. de septem Synodis.

De Ephesino. Actio 3^a^ hujus Concilii dicitur habita, *Considentibus Cyrillo Alexandrino, qui Cœlestini quoque Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat, et Arcadio Episcopo Romanæ Sedis Legato, et Projecto Episcopo, qui et ipse quoque Romanæ Ecclesiæ Legatus erat, et Philippo Presbytero et Legato, et Juvenale Hierosolymitano, etc.* Mennas in professione fidei, constituto Vigilii inserta, de hac Synodo loquens ait : *In qua in Legatis suis atque Vicariis, id est, Cyrillo Alexandriæ Episcopo, Arcadio et Projecto Episcopis, et Philippo presbytero, Cœlestinus Papa Senioris Romæ præsedit.* Idem Evagrius, l. 1 Hist., c. 4. Liberatus in Breviar., c. 5. Nicolaus I in epist. ad Michaelem Imp. et alii testantur. De Cyrillo speciatim dicitur in Act. 1^a^ *Considentibus Episcopis, Cyrillo Alexandriæ, qui et Cœlestini locum obtinebat;* et in Relatione ad Imperatorem missa : *Ne sancta nostra Synodus suo destituatur capite* : de reliquis scribit Cœlestinus in epist. ad Synodum : *Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres Consacerdotes nostros Arcadium, Projectum et Philippum, qui iis quæ aguntur intersint, et quæ a nobis antea statuta sunt, exequantur;* quibus similia ait in epistolis ad Imper. et Cyrillum.

De Chalcedonensi. Leo Papa in epist. ad hanc Synodum : *In his fratribus, Paschasino et Lucentio Episcopis, Bonifacio et Basilio presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo Fraternitas vestra æstimet præsidere* : hujus tenoris plura habentur in epp. ad Imper. et Julianum. Pascha-

sinus suo et aliorum Legatorum nomine Act. 3ª inquit: *Nostram parvitatem huic Concilio pro se præsidere Papa Leo præcepit.* Concilium in epist. ad Leonem : *Quibus quidem* (Episcopis congregatis) *sicut membris caput præeras in his qui tuum tenebant ordinem.*

De Constantinopolitano III. Act. 1ª dicitur : *Conveniente sacra Synodo id est, Theodoro et Gregorio presbyteris et Joanne diacono, vicem agentibus Agathonis Archiepiscopi antiquæ Romæ, Georgio Archiepiscopo magnæ Constantinopoleos, etc.* Idem habetur in reliquis, præsertim Act. 18ª in Synodica autem ad Papam Concilium ait : *Perlectis vestræ confessionis litteris a vestra paterna beatitudine ad Imperatorem missis, quas ut a summo Apostolorum vertice divine præscriptas agnoscimus.* In diurno Romanæ Ecclesiæ scribitur : *Sextum Concilium generale, cui Agatho Papa per Legatos suos et responsales præfuit :* Similia refert Zonaras in vita Constantini IV.

De Nicæno II. Act. 1ª, 5ª et 7ª. Petrus Archipresbyter Romanus, et Petrus Abbas S. Sabæ dicuntur tenere locum Sedis Apostolicæ : unde et ante Tarasium et omnes Episcopos sic subscripserunt : *Petrus vices agens Adriani Papæ veteris Romæ, definiens subscripsi;* et Nicolaus Papa ad Michaelem Imper. scribens inquit : *Quasi non et ipsi in Nicæa collectæ Synodo nostra fides præsederit.*

De Constantinopolitano IV. Adrianus in epist. ad Basilium Imp. scribit : *Volumus per vestræ pietatis industriam illic numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque missi præsidentes, nempe Donatus et Stephanus Episcopi et Marinus diaconus, etc.;* qui Act. 1ª rogati exhibere mandatum Papæ pro præsidentia, has litteras legi jusserunt : unde Act. 10ª prior sic subscripsit : *Ego Donatus, Dei gratia Episcopus Ostiensis, locum obstinens Adriani universalis Papæ, huic sanctæ et universali Synodo præsidens, omnia, quæ superius leguntur promulgavi et manu propria subscripsi.*

Quamvis vero Constantinopolitana I et II quæ sine interventu Romani Pontificis celebrata diximus, exceperimus; tamen de *primo* testatur Photius l. de septem Synodis : *Haud multo post et Damasus Episcopus Romæ eadem confirmans et sentiens accessit;* qui accessus, cum altero mox anno factus videatur in Concilio Romano, ad hoc autem missi fuerint tres orientales Episcopi, saltem in confirmatoria œcumenici II Synodo præsidium Pontificis habemus : de *secundo* autem seu œcumenico V docet Synodi epistola, ad Vigilium a Patribus missa, Concilii præsidium ad Pontificem pertinere, his verbis exarata : *et ideo petimus, ut præsidente nobis vestra beatitudine, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda et quæri et consummari, et finem quæstioni imponi.*

143. *Objic.* Imperatores in plerisque CC. œcumenicis Orientalibus præsederunt : et quidem Constantinum in Nicæno I *præsidentem* Caus. 11, Q. 1, Can. 5 et Caus. 12, Q. 1, Can. 15 enuntiant; Chalcedonensi *Imperatores fideles ad ordinandum decentissime præsedisse*, hujus Concilii epistola ad Leonem significat; Constantinum Pogonatum Constantinopolitano III *pro Dei ministerio præfuisse,* edicunt act. 1ª, et epist. Leonis; Generali C. VII. Irenem cum filio, C. VIII. Basilium *præfuisse,* illud ex octava, hoc ex septima actione colligitur. In reliquis Conciliis per missos ad ea Comites et Magistratus idem ab iisdem præstabatur.

R. ad Arg. — *D.* Imperatores plerisque Orientis Conciliis præsederunt loco et honore, C. auctoritate et potestate N. vel *subd.* ad Concilium protegendum, servandum ordinem, impediendam vim et turbas, C. ad definien-

dum vel statuendum in rebus fidei et Ecclesiæ, N. Audiendus est hac de re Concilii VIII œcumenici Canon 17 : *Illud autem tanquam perosum quiddam ab auribus nostris repulimus, quod a quibusdam imperitis dicitur, non posse Synodum absque Principali præsentia celebrari; cum nusquam sacri Canones convenire seculares Principes in Conciliis sanxerint, sed solos Antistites.* Præterea quid sua aut suorum missorum præsentia intenderint Imperatores, ipsi declarant. Et quidem Constantinus, ut nuper dictum, Episcopum se tantum eorum, quæ extra Ecclesiam geruntur, agnovit; et teste Rufin., l. 10, c. 2 ac Ambros. epist. 32 fassus est judicari se ab Episcopis debere.

Theodosius Jun. et Valentinianus dum ad Ephesinam Synodum Candidianum Comitem præfuturum mitterent, id significarunt fieri *ea lege et conditione, ut cum quæstionibus et controversiis quæ circa fidei Dogmata incidunt nihil quidquam commune habeat; verum ut eos submoveat qui aliquod obstaculum afferre possunt; ut diligenter prospiciat, ne qua gravior dissensio veritatis indagationem obturbet; tum denique quo operam det sedulam, ut omnibus et singulis quæ dicuntur rite perceptis, singuli inoffense quod visum fuerit in medium proponere, vel ab aliis propositum, si opus fuerit, refutare queant.*

Marcianus Act. 6ª. Concilium alloquens : *Nos enim,* inquit, *ad fidem confirmandam, non ad potentiam ostendendam, exemplo religiosi Principis Constantini, Synodo interesse voluimus :* in cujus etiam Synodi Act. 3ª. Cecropius edixit, *quando quædam regularia, h. e. Ecclesiastica negotia examinantur, secundum canones neque judices alios vel Laicos interesse oportet.*

Constantinus Pogon. in epist. ad Gregorium Papam inquit : *Neque enim cum illis* (Episcopis) *tanquam Imperator sedebo aut imperiose loquar, sed tanquam unus ex illis : et prout statuerint Pontifices, ego exequar.*

Basilius demum in VIII Synodo longa oratione testatur, *non esse suum, nec ullius Laici, misceri Ecclesiasticis judiciis;* subscribit post omnes Patriarchas, non definiens, sed *suscipiens et consentiens;* præfatus antea se debuisse subscribere post omnes Episcopos, ut olim Constantinus, Theodosius et Marcianus fecerant; hoc tamen ordine se usum, quia tali eum honore Episcopi afficere voluerint.

Inst. 1. Nec minus honorem ac munus præsidentiæ tuebantur Imperatores. Nam. 1. Constantinus in Nicæno sedebat *medio et primo* loco; Marcianus in Chalcedonensi et Pogonatus in Constantinopolitano eminebant *altiore et summo* loco. 2. Joannes Palæologus in Florentino contendit sedere ante ipsum Eugenium; eo quod Imperatores olim ante Patriarchas omnes et Legatos Pontificios locum in Conciliis semper obtinuerint. 3. Senatores a Marciano missi in Chalcedonensi, Act. 1ª, tulerunt primi depositionis in Dioscorum sententiam; Act. 2ª, petierunt examinari Leonis epistolam, etc.

R. — *D. A.* Tuiti etiam sunt Imperatores honorem et munus præsidentiæ cum præjudicio Ecclesiasticæ potestatis, N. sine præjudicio, C.

Ad 1. De Constantino Euseb. in vita, l. 3, c. 10 rem ita narrat : « Post- » quam Imperator ad caput subselliorum venit, primus medius stetit, posi- » taque ante eum humili sella ex auro fabrefacta, non prius assedit quam » Episcopi ei annuissent. » Sedes altior et summa Marciani et Pogonati dignitatem Imperatoriam designabat, minime autem jurisdictionis Ecclesiasticæ prærogativam, fatentibus contrarium, ut audivimus, iisdem.

Ad 2. Acta græca hoc factum ita exponunt : « Interea lis et controversia orta « est de sedibus occidentalis et orientalis Ecclesiæ. Postulabat enim

» Papa ut ad unum latus Ecclesiæ sui omnes Ecclesiastici considerent, ad » alterum vero Imperator et Patriarcha cum suis omnibus, in medio porro » atque ad caput Pontifex ipse. Contra Imperator id potius Imperatoris » esse quam Papæ aiebat. Qua de re magna quæstio habita est, et lecta sunt » acta Synodorum. Tandem hoc inter eos convenit, ut Papæ quidem ac » Pontificiis ea pars templi daretur, quæ læva esset ingredienti ; altera vero, » dextera scilicet, Imperatori et suis. Atque ita sedes in hunc modum col- » locatæ sunt ; Pontificis quidem sedes ad partem illi assignatam, distans a » sacro altari passus fere quatuor : infra illam uno fere passu sedes Impera- » toris Alemaniæ.... similiter e regione sedes Imperatori (Græco) parata » fuit, deinde Patriarchæ, etc. »

Ad 3. Senatores non tulisse sententiam juridicam, sed mentis tantum suæ declaratoriam, nec postulasse examen epistolæ Leoninæ ut judices, sed ut pacificatores, et pro Ægyptiis facilius reducendis, patet quoad prius ex eorum verbis, queis *justum sibi videri* declarant, et ex conditione *si Imperatori placeret* adjecta rem suspendunt : quoad posterius autem ex indulgentia Concilii erga Ægyptios iis etiam argumentis hic contestata.

Inst. 2. Saltem Patriarchis debuerant in Conciliis Orientis cedere Legati Pontificii. Nam 1° in Nicæno I Eustathium Antiochenum fuisse *primum* vel *præsidentem* scribunt Facund. Hermianens., l. 11, c. 1, et Felix in epist. 5 ad Zonaram : sedisse *primum in dextro ordine*, Euseb. in vita Constantin., l. 3, c. 2 et Theodoret, l. 1, c. 7 testantur. 2° Alexandrum Patriarcham Alexandrinum *rebus in Nicæno decisis præfuisse*, scribunt ipsi Nicæni Patres in Synodica ad Eccles. Alexandrinam. 3° Anatolius Constantinopolitanus, Concilii Chalcedonensi compars, a Photio l. de septem Synod. numeratur primo loco inter præsides; a Tarasio in Synod. VII dicitur *primus Concilii Exarcha;* Actione 12ª, sententiam dicit ante Legatos Pontificis. 4° Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus in Nicæno II initiali oratione, agendorum propositione, decretorum confessione, et actorum relatione, omnia præsidis munia obivit. Ergo.

R. — *N. Ass.* 1. Quod Eustathium attinet, dicitur is primus doctrina et eloquentia, non vero auctoritate : dicitur præsidens, non quasi primus foret ordine, sed quia inter primos, scilicet Patriarchas, qui omnes juxta Cedrenum in Compend. hist. et Nilum Rhoditum in libello de Synodis dicebantur præesse, sedebat. Ordinem et partem dextram non fuisse honoratiorem patet tum ex nupera narratione de Florentina Sessione, tum ex actione 1ª Concilii Chalcedonensis. Quod vero in Sessionibus Conciliaribus pars sinistra haberetur magis honorifica, inter alias videtur hæc esse ratio. præcipua, quia in medio consessus Episcopalis sancta Evangelia, quæ Christi typum gererent, sublimi loco collocabantur; adeoque parte sinistra sedentes ad Christi dexteram videbantur.

2. De Alexandro, originalis seu græca epistolæ Synodicæ lectio non dicit eum rebus decisis præfuisse, sed fuisse *gestorum auctorem et participem* : quin et præfuisse dici poterit, tum ex nuper dictis, quia Patriarcha Alexandrinus erat, tum ex *multo ejus labore*, ut eadem epist. asserit, ad tranquillitatem per Arianos et Meletianos turbatam Ecclesiæ Alexandrinæ reddendam impenso ; quarum turbarum, utpote domesticarum, optime gnarus, proponere pericula et media suggerere ipse præ cæteris poterat.

3. Anatolio locum primum tribuit Photius, sive ordini non admodum attentus, sive Constantinopolitanæ sedis proedriæ maligne studiosus et Ro-

manæ injuriosus, ubique monumentorum fidei contrarius. Item à Tarasio vocatur primus Exarcha, non quidem respectu Romani Pontificis, sed aliorum Patriarcharum respectu; cum Actio ipsa Pontificios Legatos præponat. Denique is Act. 12ª dixit primus sententiam, permittentibus id facile Legatis Pontificiis, quia spectabat causam particularem Episcoporum Constantinopolitano subjectorum; non tamen jure ad alias etiam causas extenso: unde diversitas etiam apparet in actionibus aliis.

4. Tarasio memorata fuere permissa a Legatis præsidentibus, ob eloquentiæ græcæ copiam, agendorum peritiam et prudentiam, apud Augustos gratiam, apud Orientales omnes auctoritatem; ob quas postremas rationes, etiam volentibus Legatis, omissa inter legendum fuit pars Pontificiarum litterarum, Tarasii irregularem ordinationem ac tituli usurpati arrogantiam reprehendens.

144. *Observa.* Assertio utraque his vocibus *ordinarie* vel *regulariter* restricta est ob casus quosdam singulares, quibus convocatio et præsidium Conciliorum aliis permittenda videntur: cujusmodi sunt: 1. Si sedes Romana vacet vel morte, vel renuntiatione, vel amentia aut captivitate perpetua Pontificis: 2. Si dubius sit Pontifex legitimus: 3. Si Papa notorie sit hæreticus: 4. Si idem esset suspectus de hæresi, aut gravi scelere infamatus: 5. Aut si etiam maxime Catholicus et bonus, rogatus tamen congregare Concilium, pertinaciter id facere recusaret. Circa hos casus, supposita Ecclesiæ necessitate aperta et urgente, maloque aliud quam conciliare remedium non admittente, communior sententia est, non tantum in quatuor prioribus, sed in postremo etiam Concilium convocari a Cardinalibus, aut ad horum repugnantiam a Primatibus, imo ab Episcopis mutuo hortatu in unum locum confluentibus constitui posse; cum Pontifex hujusmodi, ut Bellarminus l. 1 de Conc., c. 14 ex Turrecremata ait, de hæresi suspectum se redderet, juxta Dist. 83, Can. 3 et sequentes.

Cæterum, eodem Cardinali monente, Concilium hoc: 1. Non foret nisi imperfectum, utpote capite destitutum: 2. Posset in casu altero deponere, in sequentibus jam depositum declarare Pontificem, ubique autem sibi providere de certo aut novo Ecclesiæ capite: 3. Ante tamen capitis hujus constitutionem non posset auctoritate summa ac infallibili alia decernere: 4. Pontifex de crimine accusatus a jure præsidendi non excideret; cum nec Princeps supremus desinat esse judex, licet cum ipso litigetur. Pro jure hoc exempla extant non tantum in causa Marcellini, quæ a Criticis repudiatur, sed et in Sixti III et Symmachi judicio: quin et in Conc. Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi et Constantinopolitano Alexander, Cyrillus, Leo et Ignatius, Arii, Nestorii, Dioscori et Photii fuerunt judices legitimi, quantumvis ab his accusati et damnati.

ARTICULUS III.

QUINAM SINT CONVOCANDI AD CONCILIUM GENERALE?

145. *Nota.* Concilia, maxime Generalia, habere formam judicii, adeoque standum esse Conciliari sententiæ, non autem facere meram inquisitionem, nec decreta eorum esse æquiparanda Doctorum decisionibus, quæ tantum

valent quantum ratio probat, unanimis est Catholicorum assertio : patetque ex obedientia decretis Conciliorum necessario præstanda, quam imposuit Christus, Matth. 18, v. 17. Ecclesiam audiendam præcipiens; exegerunt Apostoli, A. 15 et 16, decreta Hierosolymitani Concilii observari imperantes; postularunt Patres plurimorum Conciliorum, definitiones aut canones sub anathematis pœna custodiri jubentes. Sicut autem in aliis, ita et in Conciliaribus judiciis, possunt intervenire alii ut judices, qui gerunt suffragium decisivum; alii ut consultores, qui votum doctrinale seu consultativum habent; alii ut ministri vel adjutores, qui quamvis officia quædam vel in Concilio vel circa illud præstent, suffragium tamen pro decisione causæ non edunt. Ex his, munus arcendi vim, impediendi turbas, servandi ordinem et exequendi decreta Conciliorum, Laicis æque ac Clericis facile tribuunt omnes : concedunt similiter Notariorum, Custodum aut Procuratorum aliaque officia hujusmodi iisdem posse conferri : denique nemo contradicit, quin eruditi quicumque ad discutiendas, antequam decidantur, controversias atque ad doctrinale votum ferendum tanquam consultores admitti, adeoque pro ejusmodi præstandis ad Concilium evocari, invitari aut rogari queant.

Quod itaque quæritur, ad id tantum spectat : Quinam ad Concilium generale vocandi sint ut judices, seu ita ut in Concilio suffragium decisivum ferant? Ut hic Brentii aliorumque errorem Cap. jam superiore refutatum prætereamus, quo ad Concilium Electi duntaxat admittuntur; Protestantes cum Luthero l. de Concil. plerique præter Principes evocari ad Concilium postulant etiam populum, aut saltem viros doctos, quantumvis Laicos : Catholici e contra excludunt Laicos omnes, inter Clericos autem distinguunt, voluntque Episcopos solos interesse Conciliis jure ordinario sive ex officio proprio; quosdam vero non Episcopos, scilicet Cardinales, Abbates exemptos, et Religiosorum Ordinum Præpositos generales ex privilegio et consuetudine.

146. *Dico.* **Ad Concilium generale vocandi sunt Episcopi jure ordinario; quidam Clericorum ex privilegio et consuetudine; Laicorum etiam doctorum nemo ullo titulo.**

Prob. 1ª *p.* Jure vocandi sunt ad Concilium generale, qui Ecclesiam tum regunt, tum repræsentant, et tractandarum causarum potestatem ac jurisdictionem competentem habent : sed Prælati majores sive Episcopi jure proprio Ecclesiam tum regunt, tum rite repræsentant, et potestatem ac jurisdictionem competentem possident : ergo. *Major* patet ex paritate cum generalibus Comitiis Regni ac Reipublicæ cujuslibet, ubi legitima regiminis forma viget; et ex ipsa sive Concilii sive judicii natura ostenditur, quandoquidem hic definiuntur dogmata, condemnantur hæreses, statuuntur canones, disciplina reformatur pro universa Ecclesia; præterea autem non tantum Ecclesiarum jura et Episcoporum controversiæ deciduntur, sed et damnantur et absolvuntur rei, infliguntur pœnæ et contumaces compelluntur : quorum priora sine regimine ac repræsentatione Ecclesiæ, posteriora sine jurisdictione in Ecclesiastico foro etiam externo concipi non possunt.

Minor constat similiter : quia ex Act. 20, v. 28 : *Episcopi a Spiritu sancto positi sunt regere Ecclesiam Dei* : juxta Cypr. epist. 69 : *Ecclesia est in Episcopo*, scilicet secundum repræsentationem et jurisdictionem : ex Matth. 18, v. 18 : *Apostoli* Apostolorumque successores *alligandi solvendique* facultatem obtinent.

Conf. 1. Quod usus fuerit solos convenire Episcopos in Conciliis, docet Euseb. l. 5, c. 23 : ubi, loquens de Conciliis supra quæstionem Paschatis tempore VICTORIS, inquit : *Ob quam causam conventus Episcoporum et concilia per singulas quasque provincias convocantur.* Consentiunt reliquorum Conciliorum Acta. 2. Quod accessus ad Concilia solis Episcopis patuerit, probat tum PULCHERIÆ in ep. ad Strategum edictum, de repellendis etiam per vim a Concilio omnibus non Episcopis, tum Patrum Chalcedonensium Act. 4 contra Monachos et Laicos Concilium ingressos exclamatio : *Mitte foras superfluos : Concilium Episcoporum est.* 3. Quod ad Episcopos pertineat judicare in Conciliis, ostenderunt facto Episcopi, hac subscribendi formula in Conciliis plerisque usi : *Ego Episcopus definiens vel statuens subscripsi* : item ad jus provocantes declararunt Osius in ep. ad Constantium ap. Athan. in ep. ad solitarios : *Tibi Deus commisit Imperium ; nobis Episcopis, quæ sunt Ecclesiæ concredidit ;* et Ambr., ep. 32 ad Valentinianum : *Si conferendum de fide, sacerdotum debet ista esse collatio, sicut factum est sub Constantino, qui judicium dedit sacerdotibus,* etc. 4. Quod præsentibus in Concilio solis Episcopis Ecclesia congregata intelligatur, testantur Euseb., l. 3 de vita Constantini, qui conc. Nicænum vocat *conventum orbis terrarum ;* et AUG., l. 1 de Baptismo, consensum eorumdem Patrum *Ecclesiæ totius consensum* dicit.

Prob. 2ª *p.* Qui nec per se qualitatem convocandis necessariam habent, nec semper vocati sunt, nunc tamen ut judices admittuntur in Concilio, ad id vocandi sunt ex privilegio et consuetudine : sed Cardinales, Abbates exempti et Generales Ordinum per se non habent qualitatem necessariam, scilicet jurisdictionem spiritualem pro foro externo, quia jure proprio vel nullos subditos habent, vel, *aliquas tantum,* ut D. THOMAS loquitur, *subministrationes sub Episcopis exercens :* nec semper vocati sunt, ut historia antiquorum Conciliorum docet, et testatur Martinus Archimandrita, actione 1ª Conc. Chalcedonensis ad subscribendum invitatus, sed respondens, *id Episcoporum tantum esse, non suum :* Nunc tamen ut judices admittuntur in Concilio, quia in Florentino, Lateranensi et Tridentino subscripserunt definientes : ergo. *Conf.* Ex privilegio et consuetudine habent Cardinales jurisdictionem Episcopalem in Ecclesiis sui tituli : Abbates exempti et Generales Ordinum, quasi Episcopalem in suos Religiosos : ergo supposito hoc privilegio, accedente etiam consuetudine, ad Concilium sunt vocandi ; ut totius Ecclesiæ repræsentatio, suorum etiam fidelium subditorum ratione ac respectu, obtineatur.

Prob. 3ª *p.* Laicorum nullus, cujuscumque sit conditionis aut dignitatis, pastor aut rector est Ecclesiæ, sed ovis ac subditus ; nullus gerit vicem Ecclesiæ docentis aut præcipientis. sed discentis pars est et obsequentis ; nullus habet jurisdictionem in foro Ecclesiastico, utpote spiritualem : ergo nullus conditionem ullam habet ad judicem in Conciliis generalibus agendum : ergo non est vocandus. *Conf.* Jus hoc non competere Laicis IMPERATORES confessi sunt verbis (num. 143) in resp. ad arg. allatis ; confessi sunt factis, dum post Episcopos subscripserunt, non ut definientes, sed tantum ut *suscipientes* aut *consentientes :* confessi sunt silentio, dum locis nuper laudatis objectari sibi permiserunt, Constantinus quidem ab Osio : *Ne te immisceas rebus Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe : sed potius ea a nobis disce ;* et Valentinianus ab Ambrosio : *Quis est, qui abnuat, in causa fidei*

Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare? Ergo.

147. *Objic.* In Concilio Hierosolymitano in causa legalium congregato, Act. 15, v. 6 dicitur : *Convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc;* et v. 22 : *Tunc placuit Apostolis et senioribus cum omni Ecclesia.* In decretis autem Conciliorum posteriorum sæpe legitur : *Sacro approbante Concilio,* vel *de Fratrum nostrorum consilio :* ergo vel Laici etiam vocandi sunt, vel nec Episcopi sunt judices in Concilio.

R. ad Arg. 1. — *N. Cons.* In utroque versu per *seniores* intelligi possunt Episcopi, acceptione etiam alibi in nov. Test. usurpata; in postremo autem interventus Ecclesiæ seu populi non spectabat definitionem aut decretum Concilii, sed electionem tantum nuntiorum, cum Paulo et Barnaba Antiochiam mittendorum.

R. 2. — *D. A.* Convenerunt videre de verbo, et placitum sibi ostenderunt diversimode, scilicet Apostoli tanquam judices ad et per definitionem, seniores seu sacerdotes tanquam consultores ad et per discussionem ac consultationem, Ecclesia seu populus tanquam auditores ad et per acclamationem et acceptationem, C. æqualiter, ita ut omnes tanquam judices controversiam definiverint et dederint legem, N. Patet res ex ipso contextu. 1. Enim Apostolos ac seniores tantum vocatos esse ad Concilium constat ex priore versu, nullam populi mentionem faciente : 2. Apostolos tantum egisse judices inde liquet quod Petrus, postea Paulus et Barnabas, tandem Jacobus soli dixerint sententiam, tacentibus reliquis : 3. Seniores discussioni duntaxat adhibitos fuisse, colligitur ex v. 7 : *Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos;* et post interpositam Petri orationem ex subjuncto v. 12 : *Tacuit autem omnis multitudo :* demum 4. Populum ad neutrum suffragii genus admissum esse deducitur tum ex solo ejus concursu ad electionem nuntiorum memoratam, tum quia in litteris mox subjectis et decretum proponentibus mentio nulla fit populi, sed Apostolorum; ubi licet addantur etiam seniores, id tamen de interventu consultativo secundum dicta exponendum est.

Quod *formulam* in Conciliorum Occidentalium decretis posterioribus usurpatam attinet, ea consuetudo imprimis cœpit primum in Conc. Lateranensi III : dein ob præsentiam Papæ ad demonstrandam ejus in judicando eminentiam inducta est, demum non excludit judicandi in Episcopis facultatem et usum, sed subordinatum Pontifici exercitium indicat.

Inst. 1. Cap. 19 de R. J. in 6 : *Quod tangit* (qualis est res fidei ac disciplinæ) *omnes, ab omnibus debet approbari :* Ex ep. Nicolai I ad Michaelem Imp : *Ubinam legistis Imperatores synodalibus interfuisse, nisi forte in quibusdam, ubi de fide tractatum est, quæ ad omnes pertinet Christianos?* Ex Ambros., ep. 32 : *Causam fidei in Ecclesia agendam quis abnuat? Si quis confidit, huc veniat..... Iste populus judicat, cujus in corde lex divina est.* Ergo summi infimique laici jus ad Concilium habent.

R. Quoad 1. — *D.* Quod tangit æqualiter omnes, C. quod inæqualiter tangit, *subd.* debet approbari a singulis, vel singulis eadem ratione agentibus, N. a singulis, vel qua omnibus seu a repræsentantibus communitatem, vel singulis propria cuilibet ratione agentibus, C. paritas cum exercitu vel republica datam illustrat distinctionem, secundum quam, ex dictis, Episcoporum tanquam repræsentantium Ecclesiam solorum negotium

est concilium; id porro geritur quidem a pluribus, sed ab Episcopis ut judicibus definientibus; a viris doctis ac rerum Ecclesiasticarum peritis ut inquirentibus, disputantibus et consulentibus; a reliquis ut audientibus, acquiescentibus et exequentibus.

Ad 2. R. Similiter, a Nicolao assertum esse interventum Imperatoris, non ut judicis, sed ut adjutoris, defensoris et executoris.

Ad 3. — *D.* Ad fidei causam in Concilio, maxime generali, agendam convenire potest quilibet, et hic populus judicat simpliciter, aut judicio definitionis, N. Ad fidei causam in concertatione quadam agendam convenire potest quilibet, et populus hic judicat judicio electionis, T. Agit hic Ambrosius de Disputatione cum Auxentio Ariano, quam Imperator itidem Arianus volebat institui in palatio, ille vero suscipiendam contendit in Ecclesia, pro more majorum, et a sacerdotibus; quandoquidem certamen penitus declinare circumstantiæ non sinerent. Cœterum non aliud quam assignatis a nobis judicium permitti ab Ambrosio probant verba mox subjecta : *Non ut quisquam judex resideat, sed unusquisque de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur;* alludendo ad l. 3. Reg. 18, v. 24. Eliæ dictum.

Inst. 2. Nisi laici etiam vocentur, Concilium generale non repræsentat Ecclesiam universam : quin ex Gratiano Caus. 36, Q. 2, Can. 11, unius Hieronymi auctoritas, sacris litteris munita, præjudicavit Concilio generali : denique privatum resistere posse toti Concilio, et illius sententiam melius fundatam esse proponendam, docent Gerson de Doctrin. examin., p. 1ª et Panorm. in Cap. *Significasti* de Electionibus.

R. Ad 1. — *N. seq.* Sicut enim Princeps suum populum, sic pastor suas oves et Episcopus Ecclesiam suam repræsentat : quia ergo aliqua multitudo Episcoporum repræsentat universitatem pastorum, eadem etiam repræsentat universitatem ovium, et sic Ecclesiam universam.

Ad 2. — *N. Ass.* Gratianus non loquitur comparative ad Concilium generale, sed ad particulare, nempe Aquisgranense; et adducit textum, qui vel non extat in Hieronymi operibus, vel antiquatam legem refert, atque hinc oppositionem non facit.

Ad 3. *R.* Panormitanum et Gersonem vel hæc enuntiare tantum conditionate, ad morem Pauli ad Galat. 1, v. 8, loquentis, quin ex hypothesi liceat transire ad statum absolutum, illum asserendo : vel loqui de resistentia, quæ aut ante decisionem et tempore discussionis, aut post decisionem in casu Concilii illegitimi fieri potest.

148. *Observa.* Quod numerum Episcoporum pro Concilio generali attinet, requiritur quidem ut convocatio facta innotescat omnibus, saltem Provinciis majoribus, reipsa conveniant absolute multi, et nullus ex toto orbe Episcopus, jurisdictione propria gaudens, non excommunicatus, excludatur : Non requiritur tamen 1. ut omnes omnino totius orbis Episcopi adsint, etiam per Procuratores; cum hoc fere impossibile sit, nec unquam factum : nec 2. numerus eorum certus aut definitus requiritur; cum illum neque Scriptura, neque Traditio, neque lex aut usus determinaverit : nec 3. ut insigniter aut eminenter multi sint Episcopi; cum ætate eadem Nationale præ Generali, ut tempore Augustini Carthaginense præ Constantinopolitano I inveniatur numerosius : nec 4. ut æquali aut proportionato numero ex Oriente et Occidente Episcopi confluant; cum Conciliis Orientalibus pauci tantum Occidentalium Legati, Occidentalibus pauci Orientales adfuerint : nec 5. ut Patriarchæ vel Primates compareant; cum Ephesinum sine Patriarcha

Antiocheno Nestorium, Chalcedonense sine Alexandrino Eutychem damnarint : nunc autem Orientales omnes schisma aut hæresis ab Ecclesia Catholica abstraxerit.

ARTICULUS IV.

QUANDO, ET QUANTAM AUCTORITATEM HABEAT CONCILIUM GENERALE?

149. *Nota.* Proposita quæstio versatur non tam de Concilii causa seu Patribus quam de ejus effectu seu Actis. Neque tamen sermo est de Actis quibuscumque, quales sunt sive collationes, disputationes aut deliberationes Patrum in communi; sive allegationes, probationes, dicta aut facta Patris alicujus in singulari : sed de conclusis, statutis ac decisionibus, quocumque nomine, seu symboli, seu definitionis, seu sententiæ, seu decreti, seu canonis, seu termini, seu anathematismi propositis. Neque rursus de his omnibus, ad quamcumque materiam diffusis, agitur; sed quemadmodum in Cap. de Ecclesia feceramus, prout restringuntur ad materiam fidei, morum et factorum dogmaticorum.

Tandem ne omnes quidem decisiones etiam hujus generis ac materiæ huc referuntur, sed illæ duntaxat quæ sunt perspicuæ, positivæ et certæ, h. e. rem pro certa enuntiantes : quandoquidem si aut ambiguus sit sensus, aut res ipsa esse vel non esse haud affirmetur, aut intra opinionis vel probabilitatis limites sententia se contineat, auctoritate summa, de qua hic quæritur, hujusmodi decisiones pollere non posse, per se est manifestum. Atque hinc tanta cum auctoritate definitas a TRIDENTINO non esse quæstiones sive de immediata Episcopatus institutione Sess. 23, Can. 6, sive de Matrimonii per adulterium indissolubilitate Sess. 24, Can. 7, statuunt plures : neque a Viennensi Decr. 1 quæstionem de efficacia Baptismi parvulorum terminatam fuisse, concedunt omnes.

Porro quantitatem auctoritatis ad mensuram certitudinis comparamus, ut adeo summa auctoritas sit certitudo talis, qua Concilium infallibile, decisiones ejus irrefragabiles et irreformabiles sint ac audiant. Tò *quando* non tam ad temporis durationem quam factum confirmationis refertur, sic nempe ut quæstionis per hanc particulam formatæ sensus sit, an ad auctoritatem Concilio generali propriam tribuendam requiratur Conciliares decisiones a Pontifice confirmari? Potest autem confirmationis nomine intelligi 1. vel mera accessio ad Patrum judicium, qua Pontifex ut pars Concilii consentit decisioni; 2. vel declaratio legitimi Patrum judicii, qua idem ut præses aut judex Patrum exponit decisionem esse legitime factam; 3. vel corroboratio seu impertita Patrum judicio auctoritas, qua Pontifex ut caput supremum et Ecclesiæ Princeps decisioni tribuit vim obligandi.

De postrema confirmationis specie hic necdum agitur, sed de alterutra ex præcedentibus, an una saltem ad auctoritatem Conciliis generalibus conciliandam requiratur; cum *confirmatio auctoritativa* ad superioritatem sive Concilii sive Pontificis spectet, quæ Cap. seq. examinabitur.

150. *Dico I.* **Ut auctoritatem sibi propriam habeat, Concilium generale debet esse a Pontifice confirmatum.**

Prob. Concilium generale propriam sibi auctoritatem non habet, nisi qua-

tenus repræsentat Ecclesiam universam : sed nisi aliquo ex prædictis modo Concilium a Pontifice confirmetur, id Ecclesiam universam non repræsentat : cum corpus Ecclesiæ hic esset sine capite, utpote nec per accessionem nec per declarationem, nec per corroborationem præsente aut concurrente : ergo.

Conf. I ex Jure. Necessarium esse auctoritatis Pontificiæ interventum, ut Conciliis firmitas ac vis concilietur, declarant Julius I apud Socrat., lib. 2, c. 13 dicens : *Canon Ecclesiasticus vetat ne decreta absque Romani Episcopi sententia Ecclesiis sanciantur*; Gelasius I, l. de Anathem. : *Quod firmavit in synodo sedes Apostolica, hoc robur obtinuit : quod refutavit, habere non potuit firmitatem*; Sixtus III in ep. ad Epp. Illyr. : *Nec his constitutis, quæ præter præcepta nostra Orientalis synodus decernere voluit, credatis vos teneri præter id quidem quod de fide nobis consentientibus judicavit*; Pelagius II in ep. 4 ad Epp. cum Joanne Constantinopolitano non congregatos : *Multis Apostolicis et Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari*; Nicolaus I in ep. 8 : *Non ergo dicatis non eguisse vos in causa pietatis sedis Romanæ, quæ collecta Concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit; unde quædam eorum quæ consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt.* Testatur idem Ferrandus in ep. ad Anatolium : *Sed quo iret, aut ubi majores in Ecclesia judices reperiret, ante se habens in Legatis suis sedem Apostolicam qua consentiente quidquid illa definivit synodus, accepit robur invictam?* Hincmarus, l. de divor. Lothar. et Theut. : *Apostolica sedes et comprovincialium et generalium synodorum retractat et confirmat judicia, sicut epistolæ Leonis atque Gelasii, cæterorumque Romanorum Pontificum et Sardicensis synodus evidenter ostendunt.* Ratramnus, l. 4 adv. opposita Græcorum : *Quæcumque Concilia Sedis Apostolicæ sententia roborata sunt, rata manserunt : quæ vero damnavit, pro nihilo reputata fuerunt, nec auctoritatem ullam habere potuerunt.* Similia reperies apud alios.

Conf. II ex factis. Ecclesia non admisit tanquam generale legitimum, nisi quod Romanus Pontifex confirmarit; ut patet ex historia Conciliorum œcumenicorum : reprobavit tanquam illegitimum, quod Pontifex reprobavit; ut liquet in Ariminensi a Damaso, et Ephesino latrocinio a Leone, indeque ab Ecclesia reprobatis : partim approbavit, partim improbavit, pro diversa ratione Pontificis ad Concilii canones se gerentis; ut constat ex Greg. M., l. 6, ep. 31 de Conc. Constantinopolitano loquentis : *Romana autem Ecclesia eosdem canones vel gesta synodi illius hactenus non habet nec accipit : in hoc autem synodum eam accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum*, etc. Ergo.

Conf. III ex Conciliis de jure et facto testantibus. De Concilio I testatur epistola Syn. Romanæ an. 484 sub Felice III scripta : *Trecenti octodecim Patres apud Nicæam congregati, sequentes dominicam vocem, confirmationem rerum in ea gestarum atque auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt.*

De C. II. Photius supra laudatus : *Quibus haud multo post et Damasus Episcopus eadem confirmans atque sentiens accessit.*

De C. III. Relatio Concilii actioni 5ᵃ adjecta sic loquitur : *Quia autem necesse est, ut omnia, quæ consecuta sunt, sanctitati tuæ significentur, non potuimus non scribere.*

De C. IV. Epistola Patrum ad Leonem missa : *Rogamus, et tuis decretis*

honora nostrum judicium. Omnium gestorum vim vobis insinuavimus ad probationem nostræ sinceritatis, et ad eorum, quæ a nobis gesta sunt, firmitatem et consonantiam

De C. V. Legatio synodi missa ad Vigilium, et præfatio sententiæ contra tria capitula, ad consensum Vigilii provocans : *Quia contingit Vigilium religiosissimum, in hac Regia urbe degentem, omnibus interesse, quæ his tribus capitulis annotata sunt, et tam sine scriptis, quam in scripturis, ea sæpius damnasse*, etc.

De C. VI. Epistola ad Agathonem data : *Orthodoxæ fidei splendidam lucem vobiscum clare prædicabimus, quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam sanctitatem.*

De C. VII. Epistola Tarasii ad Adrianum I qua, præter gesta Concilii, narratur Pontificem ad petitionem Imperatorum misisse legatos ad faciendam Synodum universalem, Patres per suas litteras tanquam spiritualia edulia in regalibus cœnis refecisse, et ad rectitudinis et veritatis semitam ostendisse.

De C. VIII. Epistola synodica ad Adrianum II : *Omnium nostrum conventum et universalis hujus synodi consensum ad consonantiam recipiendum prædica : eum magis ac magis veluti proprium solidius confirma evangelicis præceptionibus et admonitionibus vestris.*

De Occidentalibus Conciliis res aperta est; cum iis omnibus ipsi Pontifices præsederint, excepto Tridentino, sed cujus Patres in sessione ultima confirmationem a Papa petendam disertis verbis edixerunt.

151. *Objic.* Concilium generale, quam habet, auctoritatem 1. derivat immediate a Christo, ut ipsa Concilia asserunt : 2. pro more aliorum cœtuum eamdem nanciscitur ex majore parte suffragiorum : 3. eamdem statim exercet definiendo sub anathemate doctrinam, et exequitur etiam, deponendo, aut aliis pœnis afficiendo discrepantes : ergo confirmatio Pontificis, quocumque modo considerata, non est necessaria.

R. ad Arg. quoad 1. — *D.* Concilium generale completum et perfectum, quale est illud quod unitur et consentit cum Pontifice, habet et derivat auctoritatem immediate a Christo, C. incompletum et imperfectum, quale est Concilium vel diversum aut dissentiens a Pontifice, vel necdum confirmatum, N. Ejusmodi enim Concilium vel moraliter vel physice est acephalum; in quorum casu priore nunquam, in posteriore autem raro duntaxat et in eventibus num. 144 expressis auctoritatem Christi et Spiritus sancti assistentiam promissam habet.

Ad 2. — *D.* Nanciscitur auctoritatem ex majore parte suffragiorum cum Pontifice conjuncta, C. disjuncta a Pontifice, N. Quamvis Concilii Patres sint vere judices, subordinati tamen sunt Pontifici; atque hic non ut primus inter pares, sed ut Princeps et tanquam caput et pars præcipua ad constituendum generale Concilium concurrit : unde sine eo constitui nihil pro summa auctoritate potest; atque vel discrimen a communibus cœtibus elucet, vel translata ad Procerum cum Rege conventum paritas rem nostram declarat.

Ad 3. — *D.* Exercet et exequitur auctoritatem tum independenter tum infallibiliter, N. vel dependenter vel fallibiliter, C. Nisi præcesserit jam sententia aut definitio Pontificis, decreta Concilii, quoad vim et efficaciam errare nesciam, pendula sunt ab auctoritate Pontificis, et ad ejusdem con-

firmationem referuntur, sicut judicis inferioris sententia in reum mortis dicta ad superioris judicis provocati sententiam confirmatoriam. Hoc tamen non impedit quominus in rebus disciplinæ, aut aliis assensum fidei haud exigentibus causis, jam ante confimationem Pontificiam debeat Concilio præstari obedientia; cum etiam judicis sententiæ et magistratus legitimi mandato, quantumvis fallibili, teneantur parere partes ac cives, et refractarii possint puniri.

Inst. 1. Concilium generale, saltem cum Legatis Apostolicis, vices Pontificis gerentibus, celebratum repræsentat universam Ecclesiam : ergo hoc ipso juxta promissum Christi, quod portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam, decreta ejusdem rata sunt et firma, nec indigent confimatione Pontificia.

R. — *D.* Conc. generale saltem cum Legatis Apostolicis et vices Pontificis gerentibus, instructione etiam ejus munitis et secundum illam judicantibus, celebratum repræsentat universam Ecclesiam, T. cum Legatis vel instructione Pontificia carentibus, vel eam non sequentibus celebratum, N. Legatos Apostolicos ad Concilium aliquando missos sine instructione plena et ad omnium definitionem sufficienti, maxime ubi plura decidenda erant, aliquando autem cum illa singulis quæstionibus correspondente, ubi scilicet pauciora decernenda fuerant, eosdem etiam subinde prævaricatos esse, et contraria suæ instructioni judicasse, ex historia et Conciliorum actis manifestum est.

In primo et tertio casu, cum ut Legati vel auctoritate ac nomine sui Principalis non agerent, nec unire Concilium cum Pontifice, nec repræsentare universam Ecclesiam poterant : in secundo autem, quamvis Pontificem expresse Concilio consentientem habeamus, et sic requisito a nobis modo confirmatum sit Concilium, ideoque videatur repræsentare universam Ecclesiam, sunt tamen non pauci qui ratihabitionem Pontificis adhuc exigant : vel ut Ecclesiæ innotescat rite omnia et juxta Pontificis mentem fuisse acta; vel ut definitio infallibilis habeatur; cum Pontifex Legatis conferre nequeat infallibilitatis privilegium, quod dignitati supremi Ecclesiæ pastoris et Pontificatui summo est annexum : unde primum distinctionis membrum datum duntaxat fuit. Atque eodem sensu intelligenda est promissio Christi, quæ etiam Ecclesiam non qualemcumque, sed in Petra ædificatam et junctam cum suo capite afficit.

Inst. 2. Concilium Constantinopolitanum I in epist. Synodali Theodosium Seniorem, Ephesinum Act. ult. Theodosium Juniorem, Constantinopolitanum III, Act. 17, Constantinum Pogonatum rogarunt confirmationem actorum; præterea Constantinus Magnus, Marcianus, Justinianus et Basilius confirmationem Conciliorum ediderunt; quin tamen inde inferri possit necessitas confirmationis Imperatoriæ : ergo ex factis similibus statui nil potest pro confirmatione Pontificia.

R. — *N. Cons.* Eadem disparitas est, quam supra dedimus de convocatione ab Imperatoribus facta. Consensum enim illi ac confirmationem cum rogati sunt, tum dederunt, ad firmitatem canonum externam procurandam, executionem urgendam, violationem prohibendam aut plectendam; minime autem ad valorem, vim jusque obligandi illis tribuendum.

152. *Dico II.* **Concilium generale a Pontifice confirmatum habet aucto-**

ritatem summam, qua ipsum est infallibile, ejus autem decisiones irrefragabiles.

Prob. Congregatio multorum auctoritate Christi collecta, corpus Pastorum ac Rectorum Ecclesiæ, cœtus constitutorum a Christo Doctorum, ipsaque Christi Ecclesia habet auctoritatem summam, infallibilis est secundum se, et irrefragabilis secundum suas decisiones.

1. Etenim patet ex Matth. 18, v. 20 : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum;* quæ verba secundum contextum afferuntur pro ratione cur audienda sit Ecclesia in correctione peccantium, nec contemnenda sententia Prælatorum Ecclesiæ condemnatoria, vel absolutoria, nempe propter assistentiam divinam; ideoque pro auctoritate Conciliorum generalium usurpata sunt a Conc. Chalcedonensi in ep. ad Leonem, a Constantinopolitano III, Act. 17 et Toletano III, item a Cyrillo Alex. in expositione symboli, a Cœlestino I in ep. ad Conc. Ephesinum, et Dist. 20, Can. 3, qui tribuitur Innocentio I Pontifici : sive facto argumento a minori ad majus, pro obtinenda ad congregatorum preces sapientia negotiis commensurata et necessaria; sive usurpato nomine Christi non pro fine et animo bono, sed pro auctoritate ac potestate.

2. Colligitur ex Luc. 10, v. 16 : *Qui vos audit me audit : et qui vos spernit me spernit;* et ad Hebr. 13, v. 7 : *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei;* ac v. 17 : *Obedite præpositis vestris et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri;* quorum doctrinam ac fidem dum sequi sub salutis periculo jubemur, certam ac infallibilem illam esse oportet.

3. Constat ex Matth. 28, v. 19 et 20 : *Docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis : et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi;* Item Joan. 14, v. 16 : *Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum;* et 16, v. 13 : *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem;* rursus ad Ephes. 4, v. 11 : *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos... alios autem pastores et doctores;* et v. 14 : *ut jam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.*

4. Ex num. 107 demonstratum patet.

Atqui Concilium generale, a Pontifice confirmatum, est imprimis congregatio multorum auctoritate Christi collecta; quia Pontifex ut Christi vicarius hanc auctoritatem, si non per convocationem aut præsidium, saltem per confirmationem communicat, adeo ut Concilium ejusmodi etiam usurpare possit illud Act. 15, v. 28 : *Visum est Spiritui sancto et nobis :* Tum est corpus Rectorum et Pastorum Ecclesiæ juxta Act. 20, v. 28 : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;* et 1. Petr. 5, v. 2 : *Pascite qui in vobis est gregem Dei :* Tandem est cœtus constitutorum a Christo Doctorum quia Episcopis ex epist. 1. ad Timoth. 6, v. 20 et epist 2. cap. 1, v. 13 : *Custodia depositi boni, forma sanorum verborum, devitatio vanarum novitatum et oppositionum falsi nominis scientiæ* a Paulo est demandata; a Christo autem positi illi sunt Pastores et Doctores ad Ephes. 4, v. 12 et 13 : *Ad consummationem sanctorum in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei :* Demum est ipsa Christi Ecclesia, sicut congregati cum Salomone Principes Tribuum et Duces familiarum Israel 3. Reg. 8, v. 14, dicuntur *Omnis Ecclesia Israel,* et Status Imperii

cum Imperatore collecti repræsentant Imperium : unde et Martinus V in decreto Episcopis et Inquisitoribus inscripto, et sub finem Concilii Constantiensis inter alia ad tentandam suspectorum fidem quærenda dato, hanc interrogationem proposuit : *Utrum credat, teneat et asserat quod Concilium generale quodlibet universalem Ecclesiam repræsentet.* Ne quid repetam de Patribus, qui sicut Ecclesiam in Episcopis, ita Concilium generale conventum orbis terrarum, et consensionem totius Ecclesiæ dixerunt. Ergo.

Conf. I. Ex PATRIBUS. Concilium generale 1. est *judicium irretractabile*, ex Leonis epist. 50, 61, 62, 65 ex Conc. Ephesino circa finem, et Chalcedon. Act. 5, Can. ultimo : *Omnem dubitationem removet* ex Augustino, l. 1 de Bapt. contra Donat., c. 7 et 11, ac l. 2, c. 7 : *Ab eo appellari non potest* ex Athanasio in epist ad Epictet. et Marciano, l. 4, Cod. de summa Trinitate : *Ab eo damnati aut diversi habentur hæretici* ex omnium Conciliorum actis, Nazianzeno epist. ad Clidonium, Leone epist 17 et 78, Basilio epist 28, etc.

2. Concilium generale est *congregatum a Spiritu sancto* ex Nazianzeno Orat. in Athan. Leone ep. 37 et ipsorum Conciliorum effatis : edit decreta *a Spiritu sancto inspirata* ex Leone epist 53 et Nicolao I in epist ad Imper. Michaelem : habet *auctoritatem divinam et Evangeliis parem* ex Athanasio in epist. ad African. Cyrill., l. 1 de Trinit. Gregor. M., l. 1 epist. 24 ; *pro eo moriendum potius quam ab eo discedendum* ex Ambrosio epist. 32 ; Hieron. l. cont. Lucifer. et Victore Afric. in libris de Vandal. persecutione.

Conf. II. Ex RATIONE. Si Concilia generalia non pollerent summa auctoritate, deficeret providentia Christi in gubernanda sua Ecclesia ; nullum esset firmum Ecclesiæ judicium ; tolleretur medium decidendi controversias fidei, componendi schismata, tradendi doctrinam necessariam ; abesset certitudo de Scripturæ libris pluribus et traditionum auctoritate ; plures fidei articuli jam non constarent ; damnatæ hæreses redirent ad suum dubium prius ; omniaque Concilia hactenus errassent, usurpando auctoritatem sibi minime competentem : hæc autem omnia aut absurda sunt aut incredibilia. Ergo.

153. *Objic.* Dicta PATRUM detrahunt auctoritati Conciliorum. Gregor. Nazianzenus enim in epist. ad Procop. scribit, *se nullius Concilii vidisse lætum faustumque exitum :* Augustinus l. 3 contr. Maxim., c. 14 ait : *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, proferre Concilium : nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris.* Idem l. 2 de Bapt., c. 3 asserit *Concilia plenaria priora a posterioribus emendari :* Isidorus contra l. 3 Prolegom., c. 13 statuit, *in discordia Conciliorum, illius Concilii magis tenendam sententiam, cujus aut antiquior, aut potior extat auctoritas :* demum Leo in epist. 35 ad Pulcher. : *Ambitionis ac superbiæ* notat Chalcedonense, quantumvis illud pro legitimo agnoscat.

R. ad Arg. — *N. Ass.* Ad textus Patrum R. GREG. NAZ. Orat 21 et 49 in laud. S. Athanas. magni facere Conc. Nicænum, interfuisse etiam lubentem Constantinopolitano I ut ex oratione 32ª ibidem dicta apparet : unde manifestum fit allata verba non pertinere ad Concilia generalia, sed ad particularia et illegitima ac Arianorum, quæ plurima omne illud tempus memoratis duobus generalibus interjectum turbarunt.

Priora AUG. verba præteritionem argumenti in disputatione efformant, assertum non negant. Cum enim is Nicænum ibidem laudasset, Maximinus autem Ariminense opponeret, ne in veritate illius et falsitate hujus ostendenda tempus tereretur, Augustinus per compendium acturus, hac dispu-

tatione, omissis Conciliis, ad argumenta ex Scripturis proferenda transivit.

Posteriora Aug. dicta vel pertinent ad Concilia tantum nationalia, quibus nomen plenarii alias etiam tribuitur; vel in Conciliis quidem generalibus ad judicia solum in factis particularibus et rebus meræ disciplinæ, non autem in quæstionibus fidei et morum. Additur enim emendationem priorum a posterioribus fieri, *cum aliquo experimento aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat*: conferunt autem experimenta ad declarandas res facti aut disciplinæ, non item ad fidei et morum dogmata.

Isidorus etiam de Conciliis particularibus, quorum unum Ancyranum nempe affert, ac de rebus disciplinæ pœnitentialis loquitur. Neque tamen antiquiora præferens omnino repugnat Augustino posteriora anteponenti: quia non ad solam temporis differentiam Concilia confert, sed et ad confirmationem, vel usu, vel illatione in codicem canonum factam, quæ antiquis plerisque, signate autem Ancyrano hic in controversiam adducto, convenit.

Quod Leo improbaverat in Conc. Chalcedonensi, erat canon de proedria Patriarchæ Constantinopolitani, nec consciis Legatis Pontificiis factus, nec a sede Apostolica tunc confirmatus; cujusmodi error infallibilitati a nobis assertæ non adversatur.

Inst. 1. Facta plures Conciliorum errores demonstrant. Nam Concilium Judæorum Marc. 14 et Joann. 9 memoratum circa Christi divinitatem, ac in re ad finem pertinente erravit: Nicænum I, Can. 11 male damnavit eos, qui ad militiam redibant: In Constantinopolitano I decernitur secundus locus Constantinopolitano Patriarchæ contra canonem 6um Nicæni præcedentis: Canones Concilii sexti plures vitiosi sunt et ab omnibus improbantur: Nicænum II circa definitum sanctorum cultum prædamnatum est a priore Constantinopolitano sub Copronymo, et reprobatum a posteriore Francofordiensi.

R. — *N. Ass.* quod illata exempla haud probant: nam Concilium hoc *Judaicum*, tametsi liberaliter permittatur fuisse generale et Synagogæ etiam tribuatur infallibilitas, errasse tamen haud mirum videri debet; cum desineret tum Synagoga, et Christi Ecclesia cœpisset: præterea vero Christus se esse Messiam, non infallibili Synagogæ testimonio, sed apertis miraculis demonstratum venerat.

Nicænum non damnat absolute militiam aut hanc sequentes, sed vel eos tantum qui signo militiæ deposito signum conversionis ad fidem dedissent, resumpto autem ad idololatriam se reverti indicabant: vel eos pœnitentiæ novæ laboribus subjiciebat, qui cingulo, quod in aditu pœnitentiæ posuerant, rursus accepto ad militiam redibant, ut molestiis pœnitentiæ inchoatæ eximerentur.

Constantinopolitanum non minus, ac alia in similibus circumstantiis, sine detrimento theseos nostræ errare posse, ad Leonis textum respondentes, jam declaravimus. Canones *Quini-sexti* seu Trullani vel confecti sunt sine ullo interventu Pontificio, adeoque ad œcumenicum Concilium non pertinent: vel illorum editioni interfuerunt Legati Pontificii, tum in Oriente versantes, ut Anastasius Bibliothecarius innuit; aut saltem Basilius Gortyrensis tanquam locum tenens Synodi sanctæ Romanæ Ecclesiæ reipsa subscripsit, ut aliqua acta ostendunt; sed tunc factum id fuit sine mandato Pontificis, quin contra ejus voluntatem, quam teste Beda, l. de sex Ætat. et Platina in Vit. Pontif. Sergius I statim, Joannes VIII postea contrariam declararunt; ideoque rursus œcumenica auctoritate hi canones carent. Cæterum canones hos

addici Concilio sexto, cum sint proprii Trullano duodecim annis posteriori, error est ex historicis aliunde patens.

Nicæni II dogma circa imaginum cultum verum est et sacrum, Constantinopolitani autem sub Copronymo doctrina est hæresis, Francofordiensis discrepantia error ex sinistra interpretatione ortus est : unde nec posteriorum oppositio cum priori, nec horum tanquam nationalium aberratio infallibilitati œcumenicorum Conciliorum obest.

Inst. 2. Ratio auctoritatem Conciliorum fluxam ostendit. Sic enim arguitur : Ut Concilium generale auctoritatem habeat legitimam, debet esse cœtus Episcoporum fidelium : congregatis adesse oportet Spiritum Sanctum ; decreta legitime fieri est necesse : sed 1um plane incertum est : cum constare nequeat de oratione, baptismo, et fide interna Episcoporum : 2um valde dubium est ; cum congregati magnam partem sæpius fuerint impii aut vani, quibus Spiritus Sanctus adesse haud solet : 3um controversum est, cum ex sola historia, eaque multis crisibus obnoxia, habeatur ; ergo.

R. — *N. A.* — Ad prob. quoad 1. *D. M.* Ut Concilium generale legitimam auctoritatem habeat, debet esse cœtus Episcoporum fidelium, vel reipsa, vel apparenter talium, C. necessario reipsa talium, N. M. et similiter distincta minore, consequentiam. Equidem ob curam, quam Ecclesiæ Deus habet, et providentiam, qua suaviter omnia disponit, credimus nunquam permittendum, ut generale Concilium confletur vel omnino, vel pro majori parte, ex illegitimis aut infidelibus Episcopis, edatve contra propriam sententiam decreta omnino catholica : facto tamen hujusmodi supposito, certi sumus ex eadem Dei cura, providentia et pollicitatione assistentiam Spiritus sancti, principaliter in Ecclesiæ commodum promissam, nec isti fictorum Antistitum congregationi defuturam, quo minus, velit nolit, verissimam fidem fideli populo proponat. Unde ut legitimæ auctoritatis Concilium habeatur, id solum requiritur, ut Episcopi conveniant, qui ordinarie præsident, et palam ab omnibus pro veris et catholicis Præsulibus habentur : hoc autem incertum esse nequit, quantumvis de ordinatione, baptismo et fide interna nihil constet.

Quoad 2. — *D. M.* Congregatis adesse oportet Spiritum Sanctum, quantum ad gratiam gratos facientem, N. quantum ad gratiam gratis datam, C. Transmissa temeritate asserti de impietate et vanitate congregatorum, sub simili distinctione nego minorem ; cum hanc recte docendi gratiam injustis etiam Episcopis impetret justorum Ecclesia, et ut Augustinus loquitur, *gemitus columbæ* ; id præterea exigat publica Ecclesiæ necessitas, et certum faciat divina pollicitatio.

Quoad 3. — *N. M.* Decreta enim non minus legitime facta, quam Concilium esse legitimum, habemus certum. Certitudo hæc tametsi fundetur in fide historica, æque tamen excludere potest omne dubium prudens, ut aliis de factis, Ciceronis scilicet consulatu, dictatura Cæsaris et pugna Actiaca præstant similia historiæ monumenta. Criticorum dubia vel rei substantiam non attingunt, vel fidei possessionem non elidunt.

154. *Observa.* Sunt qui pro obtinenda Conciliis generalibus auctoritate propria requirunt acceptationem Episcoporum qui illis non adfuerunt, adeo necessariam ut ante hanc negent sive decreta fidei et morum esse infallibilia, sive canones disciplinæ habere vim legis. *Primum* quidem quia sine absentium acceptatione Ecclesia universa per Concilium non repræsentatur perfecte : *alterum* quia leges non obligant, si ob discrepantiam a moribus

populorum perniciosæ potius sunt quam utiles; adeoque canones hanc semper conditionem includunt, si Episcopi, qui convenientiam ejusmodi norunt, acceptent : utrumque, quia id ipsum praxis circa Concilia generalia videtur declarare.

Nam Toletan. XIV, Can. 2, de Leone Acta Constantinopolitani III mittente sic loquitur : *In cujus etiam gratioso epistolæ tractu ad hoc omnes Præsules Hispaniæ invitati sunt, ut prædicta synodalia instituta quæ miserat, nostri etiam vigoris auctoritate manerent suffulta, omnibusque per nos sub regno Hispaniæ consistentibus patescerent divulganda.*

Nicæni II acta sunt translata ad Conc. Francofordiense, et ab eodem hujus inscriptione dicuntur confirmata :

Constantinopolitanum IV epistolam ad omnes Episcopos circularem misit, in qua relatis contra Photium actis et definitione cum canonibus rogantur Præsules ut recipiant utraque :

Basileense nuntios ad Carolum VII Galliæ Regem legavit pro suorum decretorum acceptatione in Galliis;

Tridentinum Sess. 25, monet Principes ut sua decreta devote recipi et ab omnibus observari curent : denique plures Conciliorum generalium canones sunt qui, quoniam acceptati non fuerant, certas provincias nunquam obligarunt.

Sed refutantur isti facile ex monumentis pro assertione nostra allatis, ipsique non leviter cedunt, dum daturi discrimen synodos particulares inter et universales, acceptationem posteriorum necessariam, priorum liberam Episcopis extraneis denuntiant. Nequicquam autem argumentis productis se tuentur. -

1um enim, præterquam quod num. 110 postremis paragraphis sit confutatum, ultra essentialem, etiam integralem perfectionem et conspirationem singulorum exigit, quam divina ordinatio adeo non imperat, ut prudens quælibet institutio respuat humana.

2um si valet, populi etiam acceptationem ad quamlibet legem postulat, dogmate satis reprobato : præterea firmitatem cum valore confundit, leges parum distinguit a consiliis, inferiorum arbitrio superiorum potestatem subjicit, ordinem perturbat, patulamque inobedientiæ aperit portam.

3um a primo omnium Conciliorum, Actor. 15 nempe celebrato, falsitatis convincitur; cujus decreta, scripto missa Antiochiam, et Pauli prædicatione divulgata per Orientem, ab omnibus Ecclesiarum Præsidibus exigebant obtinebantque, non inquisitionis judicium, sed observantiæ obsequium.

Nec dicesserunt a suo prototypo Concilia sequentia : Leonis enim invitatio comitatem Pontificis prodidit, Constantinopolitani III majestatem, non diminuit : postulata vigoris auctoritas accessionem extrinsecam præstitit, intrinsecam firmitatem non fecit : divulgatio possibilitatem observantiæ præbuit, non primum constituit decreta. Nicæni II acta (quatumvis leve sit ex inscriptione ductum argumentum) confirmari poterant a Francofordiensibus Patribus, quibus generale illud esse haud constabat.

Cæterum viguisse Nicæni auctoritatem, Francofordiensi ob errorem facti etiam dissentiente, ex historia Conciliorum patet. Constantinopolitani IV epistola encyclica imperium potius quam preces ferebat. En illius verba : *Neque audeat quisquam eorum qui Christiano nomine censentur, sive præsint sive subsint, contra ea quæ magna hæc et œcumenica synodus decrevit, aliquid efficere vel conari; quicumque voluerit januam quam sancta hæc œcume-*

nica synodus clausit aperire, aut claudere tentaverit quam illa aperuit, in Deum ipsum impius pugnabit.

Basileenses Patres assentatoria supplicatione petiisse sibi suffragatores, ut factionem suam oppido diminutam augerent, vitio Conciliis generalibus dari nequit, cum Basileense inter œcumenica non numeremus, atque an. 1438, quo legatio missa est, juxta plerosque legitimum esse desierit.

Tridentini monitio pro Principibus adhortatio officii fuerat, ut qua Ecclesiæ subditi obsequium, qua fidelium præpositi tutelam et vigorem decretis præberent: aliter intellecta non Episcoporum sed Laicorum jus ultra limites exaggerat. Demum non observantia Canonum Concilii generalis quibusdam in Provinciis, benignius dispensationi, vel privilegio Pontificis, aut consuetudini legitimæ tribuitur, quam immorigeræ recusationi.

CAPUT III.

DE SEDE APOSTOLICA SEU SUMMO PONTIFICE.

Equidem *aliud*, ut Leo ep. 53 ad Anatolium inquit, *sunt sedes, aliud sedentes*, si vim vocis et significationem grammaticalem attendamus; cum *sedes* nomen sit auctoritatis, dignitatis officii, *sedens* autem nomen personæ, auctoritatem, dignitatem et officium obtinentis: si tamen ex auctoritate et officio agat sedens, theologicum discrimen nullum inter sedentem ac sedem intercedere, vel ipsa in politicis loquendi ratio declarat. Contrarium ea in re quorumdam Gallorum sensum reprobarunt non tantum celebres in Gallia Theologi, Thomassinus, Turnelius, Serry, aliique permulti; sed Præsules etiam amplissimi tum in comitiis Cleri Gallicani sæculo præcedenti congregatis, tum in documentis Pastoralibus quibus monuerunt « non immorandum in distinctione ejusmodi abstracta et ab hæreticis ad illudendam ipsorum damnationem inventa, quam Cyprianus nunquam agnovit, cum pronuntiarit *quamlibet Ecclesiam in suo esse Episcopo*, quamque S. Petrus Damiani proscripserit, qui Romano Pontifici olim scribebat *: Tu ipse es sancta sedes, tu es Ecclesia Romana : non recurro ad Petri fabricam, sed ad eos in quibus illius Ecclesiæ residet auctoritas.* » Explosa igitur hujusmodi differentia, de Romana Ecclesia seu sede Apostolica æque ac de Romano seu summo Pontifice præsens caput inscripsimus; in quo de Primatu, Superioritate et Infallibilitate Romani Pontificis agere proposuimus.

ARTICULUS I.

AN S. PETRUS HABUERIT PRIMATUM ECCLESIÆ?

155. *Nota.* Auctorem et caput Ecclesiæ veræ fuisse Christum diximus sub hujus disputationis initium : non abdicasse eumdem ad cœlos ascendentem suam in Ecclesia potestatem, adeoque non habere verum in terris successo-

rem, ex ep. ad Hebr., c. 7 aliisque Scripturæ locis supponimus subtrahendo fidelibus corporalem suam præsentiam, eum tamen non sic retinuisse hanc potestatem, ut illam cum nemine communicarit, nec vicarium sui visibilem in terris reliquerit pro Ecclesiæ regimine, rursus tum ex dictis ad Disputationis ingressum, tum ex sacris litteris patet. Cum porro potestatis a Christo relictæ participes facti sint omnes Apostoli, an omnes ex æquo fuerint, aut inter eos a Christo constitutus sit unus qui emineret cæteris, haberet primatum, essetque visibile totius Ecclesiæ caput hic quæritur.

1um communius asserunt Novatores, ut primatu Petri sublato, successorum Pontificum auctoritatem facilius evertant : prodierunt circa seculi præteriti medium duo libelli, coæquantes Paulum Petro in Ecclesiæ regimine, duoque capita, quæ in unum coalescerent, constituentes : nostri etiam temporibus editæ sunt Theses, quæ qualicumque prærogativa Petro concessa, jurisdictionem universæ Ecclesiæ in solidum ab Apostolis possessam, unumque omnium ac indivisum Episcopatum affirmabant.

2um et contrarium his omnibus statuit dogma catholicum, unum nempe et solum Petrum a Christo constitutum esse caput visibile Ecclesiæ, et accepisse primatum inter Apostolos. Est autem Primatus duplex, honoris et dignitatis alter, alter potestatis et jurisdictionis : prior est præeminentia præcisa auctoritate, quæ præcellentia tituli, prioritate ordinis, proedria conventus, et principatu actionis definitur : posterior est præeminentia cum auctoritate, quæ jus summi imperii complectitur, ideoque per generalem episcopiam et superintendentiam, supremam leges ferendi, tuendi, vindicandique potestatem, præcipuam administros et magistratus constituendi, cogendi et dirigendi facultatem, ultimato judicandi personas, decidendi causas, et definiendi controversias auctoritatem, omnemque necessariam ad regimen tum internum tum externum bene constituendum potentiam explicatur.

156. *Dico I.* **Concessus est S. Petro Primatus, non tantum honoris et dignitatis inter Apostolos, sed et potestatis et jurisdictionis in universam Ecclesiam.**

Est de fide.

Id enim declararunt et docuerunt Patres Concilii œcumenici Vaticani et his verbis definierunt in Sessione quarta :

Si quis dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiæ militantis visibile caput; vel eumdem honoris tantum, non autem veræ propriæque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediatè accepisse, anathema sit (Sess. 4, cap. 1).

Si quis dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis, aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatem sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit (ead. sess., cap. 3).

Prob. 1a *p.* S. Petrus præcelluit inter Apostolos titulo, mutato nomine, a Christo compellatus Cephas, quod syriace Petram significat; quam compellationem postremam cum Christo 1a ad Corinth. 4, v. 10 communem

habuit : primo loco nominatur in Apostolorum catalogo Matth. 10, v. 2 et Act. 1, v. 13; solus item, reliquis tantum collectim indicatis, singillatim exprimitur Luc. 8, v. 45 et c. 9, v. 32 : proedriam tenuit Act. 1, v. 15 in conventu ad electionem Matthiæ coacto, et Act. 15, v. 7 in Concilio de Legalium observantia celebrato : principatum actionis exercuit Act. 2, v. 14 in annuntiando Judæis Evangelio, Act. 3, v. 6 in primo miraculo edendo, Act. 4, v. 8 in defendenda Evangelii causa, Act. 10, v. 34 in aperienda gentibus janua fidei, Act. 8, v. 14 in conferendo baptizatis Spiritu sancto, Act. 12, v. 5 in accipiendis Ecclesiæ pro se suffragiis. Ergo omnes conditiones ad honoris et dignitatis primatum requisitas habuit et implevit.

Conf. Idem Apostolus a Cyrillo Alexandr., l. 2 in Joann., c. 64; Cyprian., epist. 57; Hieron., l. 1 adv. Pelag.; Chrysost., Homil. 3 in Act. Apost.; Augustin., l. 1 contr. Julian., c. 4 et Serm. 76; c. 31 ; Gregor., l. 4, epist. 32 et aliis Patribus plerisque vocatur vel *primus* vel *princeps* vel *caput* vel *tenens primatum Apostolorum :* ergo cum principatus hic et primatus nec fuerit ætatis aut vocationis, nec favoris aut gratiæ, utpote quorum prioribus Andreas, posterioribus Joannes Petrum vincebant, saltem debuit esse primatus honoris et dignitatis.

Prob. 2ª *p.* Duplex habetur Scripturæ locus, cujus altero primatus jurisdictionis in Ecclesiam Petro promittitur, altero confertur. Prior legitur Matth. 16, v. 18 : *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* et v. 19 : *Et tibi dabo claves regni cœlorum : et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* : posterior Joann., 21, v. 15 : *Dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis diligis me plus his? dicit ei : etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei : pasce agnos meos;* et v. 17 : *Dicit ei tertio : Simon Joannis amas me? contristatus est Petrus, quia dixit tertio, amas me? et dixit ei : Domine, tu omnia nosti : tu scis, quia amo te. Dixit ei : pasce oves meas.*

Inde sic argumentor : Primatus jurisdictionis in universam Ecclesiam metaphorice significatur et recte intelligitur per fundamentum ædificii spiritualis, clavem regni cœlorum, et munus pastorale gregis ex agnis et ovibus conflati; tum quia Ecclesia priore loco Matth. citato ædificii nomine, pluribus in parabolis Evangelicis nomine Regni cœlorum, Joannis autem 10, v. 16 et 1ª Petr. 5, v. 2 et 3 nomine ovilis ac gregis indigitatur : tum quia primatus jurisdictionis Ecclesiasticæ sub principio stabilitatis ex Luc. 6, v. 4 et 1ª ad Corinth. 3, v. 11 in fundamento, sub Pontificia et Regia auctoritate ex Isa. 22, v. 22 et Apocal. 3, v. 7 in clavibus, sub potestate pascendi et regendi ex Isa. 44, v. 28 et Act. 20, v. 28 in cura pastoritia adumbratur.

Atqui Petro imprimis tribuitur ratio fundamenti, quia datur compellatio Petræ, super quam sit ædificium : cum proprietas nominis, plana verborum series, et antecedentia juxta et sequentia singularem Petri personam indigitent; idque expositio Patrum, Origen. apud Euseb., l. 6, c. 19; Tertul., l. de Præscript., c. 21; Cyprian., epist. 40, 57 et 71; Hilar., can. 26 in Matth.; Epiphan., hæres. 59; Nazianz., Orat. 26; Basilii, ad c. 2 Isai.; Chrysost., Homil. 2 de Pœnit.; Hieron., l. 1 adv. Pelag., c. 4; Aug., in Psal. 69 et Serm. 29 de Sanctis; Cyrill. Alexandr., l. 2 in Joann., c. 12; Leon., Serm. 2 in annivers. Pontif. manifeste declarat.

Deinde promittitur eidem clavium potestas; quia substantia personæ per

nomen proprium nativitatis, relativum Patris, et a Christo recens adjectum, (*Simon Barjona Cephas*), addito etiam pronomine, designatur; idenditas ejusdem personæ, prius Christum confitentis, et postea a passione avocare conantis, cum eadem persona, promissum recipientis et paulo post reprehensi, ex contextu demonstratur; singularitas et proprietas personæ ex defectu commissionis aut mandati ad dandam responsionem et recipiendam nomine aliorum potestatem colligitur; ut Hilar., Hieron., Chrysost., Theophil. in hunc locum Aug., l. 2 contr. epp. Gaudentii c. 23; Ambros., l. de Isaac., c. 3 et alii testantur.

Denique huic ipsi tribuitur cura pastoritia in oves seu Apostolos, in agnos seu fideles, ad Christum spectantes, adeoque in omnes seu universum gregem, appellatione scilicet et interrogatione etiam comparativa amore non minus, quam commendatione de pascendo grege ad Petrum ter directa; quod tum Petri tristitia, sors futura et curiositas in contextu expressa, tum Patrum Chrysostomi, Augustini et Cyrilli in hunc locum, Ambrosii in Luc., c. 24; Leonis in epist. 89; Maximi aliorumque testimonia confirmant. Ergo.

Conf. Petrus exercuit episcopiam generalem peragrando Act. 9 et 10. Syriam et Palæstinam, atque epistolam catholicam geminam ad conversos. ex Gentilibus et Judæis exarando; supremam potestatem legislativam Act. 11 communicationem fidei cum gentibus faciendam tuendo, et Act. 15 observationem Legalium tollendo; præcipuam magistratuum constitutionem, Act. 1 electionem Apostoli ordinando, Sedes Patriarchales tres fundando, similem eorum coactionem et directionem in conventibus Apostolorum celebratis ostendendo; jurisdictionem summam Act. 5 examinando et puniendo Ananiæ et Sapphiræ delicta, ad Galat. 1 vocationem Pauli ad Apostolatum cognoscendo et probando, Act. 15 controversiam de legalibus decidendo : ergo præeminentiam cum auctoritate seu primatum potestatis secundum omnes suas partes habuit et usurpavit.

157. *Objic.* Nullus Scripturæ locus ex allatis demonstrat Petri primatum : ergo jure divino collatum saltem probari non potest. *Prob. Ant.* Per *petram* vel 1° non intelligitur Petrus, sed Christus; tum quia non tantum 1ª ad Cor. 10, v. 4, dicitur : *Petra autem erat Christus*; sed etiam ibid. 3, v. 11, scribitur : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus :* tum quia Aug. hoc sensu petram explicat, Tr. ult. in Joan. inducens Christum sic loquentem : *Super hanc petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam;* et serm. 13, de V. D. : *Super me ædificabo te, non me super te :* vel 2° non intelligitur Petrus tantum, sed et alii Apostoli; tum quia interrogatio Christi, *vos autem, quem me esse, dicitis?* ad omnes Apostolos pertinebat : tum quia Apostoli etiam vocantur fundamenta Ecclesiæ ad Ephes. 2, v. 20 : *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum :* unde Hieron., l. 1 contra Jovin. ait : *Super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidatur :* vel 3° non intelligitur persona Petri, sed fides ejus et confessio; dicente Hilar., l. 6 de Trinit. : *Super hanc confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est : hæc fides est Ecclesiæ fundamentum :* idem affirmantibus Cyrill. Alexandr., l. 4 de Trinit. et Chrysost., Hom. 55 in Matthæum.

R. ad Arg. — *N. A.* Ad Antecedentis prob. *memb. 1. N.* Ad Scripturam *R.* D. Per petram et fundamentum intelligitur Christus alibi, C. hic et in textu controverso. N. vel *subd.* per petram et fundamentum principale ac

primarium, C. ministrale ac secundarium, N. Præterquam quod in laudatis textibus Christo signate tribuatur nomen petræ ac fundamenti, etiam ipsa significatio id exigit; cum in primo per petram indigitetur causa meritoria gratiarum omnium, in secundo auctor et objectum fidei; quæ significata uni Christo congruunt: e contra in textu nostro et nomen petræ aut fundamenti disertis verbis et sensu plano adscribitur Petro, et significatio id patitur; cum illa voce visibile caput, rector ac princeps Ecclesiæ designetur.

Ad AUG. *R.* — *D.* Explicat is petram hoc sensu, quem ipse judicet unicum, quique reapse sit genuinus ac litteralis, N. quem ipse existimet probabiliorem, qui tamen revera sit improprius, C. Sensum hunc non tanquam unicum aut necessarium haberi ab Augustino, ipse declarat l. 1 Retract., c. 21, ubi expendens Librum suum contra Donati epistolam, sic notat: *In hoc libro dixi de Petro quod in eo tanquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus B. Ambrosii: sed scio me postea sæpissime sic exposuisse, ut petra intelligeretur quum confessus est Petrus: petra autem erat Christus, quum confessus Simon dictus est Petrus. Harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector.* Eumdem non esse litteralem et genuinum liquet ex argumentatione ad hunc textum superius producta. Cur tamen AUG. sensum suum præhabuerit nostro, rationem aliqui petunt ex linguæ Hebraicæ seu Syriacæ ignorantia, qua factum sit ut S. Doctor existimarit vocem Cephas et Petrus non significasse saxum et petram, sed derivatum duntaxat ab his, saxeum scilicet vel petrinum; ideoque, cum Ecclesia super petram, non petrinum duntaxat aliquod, fundanda esset, non PETRUM, sed Christum intelligi oportere. Alii volunt eumdem eo tantum spectasse ne putaretur Petrus propria virtute ac seorsim a Christo ædificasse Ecclesiam, neve Donatistis, contra quos hic agebat, relinqueretur præsidium, Ecclesiam stabiliendi supra sanctitatem ministrorum; ut ex verbis objectionem e Serm. 13 desumptam sequentibus colligere est: *Nam volentes homines ædificari supra homines, dicebant: ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ipse est Petrus; et alii, qui nolebant ædificari super Petrum, sed super petram: ego autem sum Christi, etc.*

Quoad *memb.* 2. *N. A.* — *Ad Rat.* 1. *R.* Interrrogatio quidem directa erat ad omnes Apostolos; nulla tamen illis hic facta est promissio, sicut nulla ab iis data est responsio. Nec enim responderunt verbis suis, utpote quorum nihil extat, nec verbis Petri, quia hæc non erant imposita ab Apostolis, sed revelata a Patre cœlesti. Dicit quidem Comment. in Joannem CYRILLUS *per unum qui præerat, omnes respondent;* sed de Petri responso Matth. 19 et Joann. 6 dato loquitur non autem de præsenti.

Ad 2. — *D.* Apostoli etiam vocantur fundamenta ratione doctrinæ et prædicationis, C. ratione auctoritatis et gubernationis, *subd.* æqualiter aut eodem jure, N. diversimode ac minori, C. Notio fundamenti tribuitur: 1. Christo, ut auctori ac institutori Ecclesiæ, et ejusdem Capiti ac Rectori perpetuo, sed invisibili; 2. Petro, ut Ecclesiæ Capiti visibili et gubernatori vicario Christi; 3. Prophetis et Apostolis, ut fidei præconibus, et Ecclesiam vel prænuntiantibus vel sua prædicatione formantibus; in qua postrema acceptione enuntiatur textus sua ad Ephes. laudatus, cum ibid. hæc præmittantur de Christo: *Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis, qui prope: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.* Convenit quidem Apostolis et altera fundamenti

notio ex auctoritate et gubernatione, non tamen æque ac Petro : huic enim promissa est singulariter et collata præcipue, illis autem prædicta communiter et data simpliciter; huic ut potestas ordinaria et ex pastoris officio, illis extraordinaria et ex legationis seu Apostolatus privilegio; huic incircumscripta et nulli obnoxia, illis definita et subordinata, ut ex comparatione utriusque facti historici facile elucet.

Ad Hieron. R. Difficultatem evanescere textus integri recitatione, qui est hujusmodi : *Licet super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio.*

Quoad *memb.* 3. *R.* — *N.* 1 *p. Ass.* — Ad 2 *p. D.* Per petram intelligitur fides et confessio seorsim a Petro, seu in abstracto, N. prout edita ab ipso Petro, seu in concreto, C. sicut, dum Hieron. epist. 61 dicit *super aquam ambulasse Petri fidem*, his verbis designando meritum miraculi, non negat subjectum; sic Patres laudati volunt confessionem fuisse causam meritoriam promissionis, non negando Petrum esse personam cui illa promissio facta est; adeoque Petrum fidelem ac confessum, seu ob fidem et confessionem petram fuisse constitutum insinuant. Ubi adverte explicationem hanc, sicut de prima ostensum etiam est, editam fuisse data tantum occasione, et usurpatam contra *Arianos*, ut doceretur fidem de divinitate Christi esse capitalem articulum, hujusque impugnatores evertere fundamentum Ecclesiæ.

Inst. 1. Claves regni cœlorum nec solus Petrus accepit, cum reliquis quoque Apostolis Matth. 18 fuerit promissa solvendi ligandique potestas, et eadem Joann. 20 tradita : nec singulari acceptione præcellentiam est consecutus, cum eam nomine Ecclesiæ sit adeptus, testantibus id Augustino Tr. 50 et ult. in Joann. alibique, nec non Origen. Tr. 1 in Matth., Hilar. l. 6 de Trinit., Ambros. in Psalm. 38 et aliis.

R. 1. — *N.* 1 *p.* Quia de clavibus regni cœlorum nec Matth. 18 nec Joann. 20 mentio fit ulla, sed tantum de solvendi ligandique potestate; quæ sane minor esse potest, et ultimo etiam loco explicite determinatur ac restringitur ad facultatem peccata remittendi ac retinendi : cum potestas per claves regni cœlorum indicata universalem, principalem et ordinariam facultatem significet.

R. 2. — *D.* 1 *p.* Claves regni cœlorum non solus Petrus accepit simpliciter, C. non solus accepit cum prærogativa, N. Prærogativam ac præcipuum aliquid præ Apostolis cæteris datum fuisse Petro ipsæ facti circumstantiæ denotant. Nam Matth. 16 potestas promittitur diserte Petro soli, post et ob confessionem; Matth. 18 autem non promittitur, sed prædicitur tantum, non solis Apostolis, sed præpositis Ecclesiæ omnibus, neque post vel ob aliquod meritum : Joann. 21 potestas confertur rursus Petro soli, ac prærequisita charitatis præcellentis contestatione, et quidem talis quæ tum includat auctoritatem supra ipsos fidelium patres ac principes, tum tanquam superaddita distinguatur ab illa Joan. 20; rursus non confertur solis Apostolis, sed discipulis omnibus, idque absque præambulo actu meritorio; neque ista collatio omnium postrema, neque suprema fuit, ut ex tempore facti et sensu verborum apparet.

N. 2 *p.* — *Ad* Rat. *D.* Petrus claves accepit nomine Ecclesiæ, h. e. non ut persona privata, sed ut caput Ecclesiæ, non ut personale privilegium, sed ut commune successoribus in Ecclesæ Pontificatu officium, non ut pro-

ficuum tantum sibi aut classi hominum singulari, sed ad commodum totius Ecclesiæ publicum, C. alio sensu, N. Patrum autem sensum a prædictis non esse diversum ex ipsis eorum verbis manifestum alibi fecimus.

Inst. 2. Cura pastoritia reliquis Apostolis æque demandatur tum in epist. 1 Petr. 5, v 2 et Act. 20, v. 28 ; tum apud Aug., l. 6 de Agon. Christian. dicentem : *Cum ei dicitur, ad omnes dicitur : amas me? pasce oves meas;* et Chrysost. qui l. 2 de Sacerd. eadem verba Basilio Episcopo particulari applicat.

R. — *N. A.* Hoc neuter *Scripturæ* textus probat, cum de grege particulari et determinato agat : Dicitur enim : « Pascite, *qui in vobis est*, gregem; et « Attendite universo gregi, *in quo* vos Spiritus sanctus posuit Episcopos. » Quamvis autem Apostolos etiam pastores universales dici permittamus, Petro tamen præeminentiam esse tribuendam ex probatis hactenus et responsis abunde constat. Nec plus aliquid textus *Patrum* probant. Aug. enim sermone directo vel ad solos Petri successores, vel ad omnes quidem Episcopos, ad proprium tamen gregem relatos, loquitur : Chrys. autem dicta ad Petrum applicat pastoribus minoribus, servata nihilominus proportione atque hinc significatione magis restricta.

Inst. 3. In Ecclesia nullus et primatus constitutus; ergo : *Prob.* 1. Luc. 22 orta inter Apostolos contentione, quis eorum videretur esse major, Christus increpans dixit, v. 25 : *Reges gentium dominantur eorum; et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur : vos autem non sic.* Sed nec nata foret hæc contentio, si Petrus fuisset primas : nec reprehensio data, si primatus esset constitutus : ergo. 2. In epist. ad Ephes. 4 : *Christus est caput Ecclesiæ;* et Ecclesia est corpus Christi, non autem Petri aut alterius Apostoli : ergo præter Christum nemo in Ecclesia principatum obtinet. 3. Christus æqualiter dicit omnibus Apostolis Joann. 20 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* et Matth. 28 : *Data est mihi omnis potestas; Euntes ergo docete omnes gentes, etc.* Ergo unus cæteris non est præpositus.

R. ad Ary. quoad 1. — *N. A.* Non equidem Petrus tum jam fuerat primas, aut primatus constitutus : sed ille duntaxat designatus, et hic promissus : nihilominus oriri potuit contentio, et justa fuit reprehensio. 1um quidem quia hoc loco non negatur inter Apostolos futura inæqualitas et alicujus præcellentia; sed potius supponitur his verbis : *Qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcessor est* (græce ἡγούμενος, h. e. dux et princeps), *sicut qui ministrat;* quin et exemplo Christi confirmatur, dum additur : *Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestri sum, sicut qui ministrat.* 2um vero quia de potestate temporali ac mundana et secundum modum vitiosum erat contentio; quod utrumque Christus corrigit his verbis : *Vos autem non sic.* Excludens scilicet dominatum politicum, non spirituale præsidium, reprehendens ambitionem in postulatione, fastum et acrimoniam in exercitio, vanam gloriam et lucrum sordidum in intentione; commendans ex opposito æquabilitatem humilem in aditu, paternam moderationem in usu, laboriosum communis utilitatis studium in fine.

Quoad 2. *R.* — *N. Cons.* Sicut prædicata fundamenti, pastoris, ministri, Doctoris, lucis, imo Dei, in Scriptura communicantur Apostolis, quamvis sint Christo propria; sic et capitis Ecclesiæ nomen convenire potest : præsertim quia Petrus caput duntaxat visibile, vicarium, et subordinatum Christo agnoscitur. Ex hoc ipso autem apparet cur Ecclesia non dicatur

corpus Petri, sed Christi; quia nempe a capite principali et perpetuo sumitur compellatio, sicut regnum a Rege, non a prorege, et Domus a Domino, non ab œconomo compellatur : vel quia Ecclesia corpus Christi dicitur, non tam attendendo ad caput quam ad hypostasin; unde et Christus ipse corpus mysticum dicitur, constans ex multis et variis membris.

Quoad 3. *R.* — *D. Cons.* Ergo hic et vi istorum verborum unus cæteris non est præpositus, C. alibi et vi verborum aliorum, N. Potestas hic collata est Apostolica, non pastoralis.

Inst. 4. Etenim : 1° Apostoli Act. 6 sine Petri mandato eligunt Diaconos; et Act. 8 ipsum Petrum mittunt Samariam : ergo Petrus non fuit Apostolis superior, sed potius inferior. 2° Hier. ubi in Matth. 18 dixerat Apostolos ob solutum didrachma esse suspicatos principatum Petro destinatum, subjungit : *Dominus causam erroris intelligens, gloriæ desiderium humilitatis contentione sanavit*; ergo. 3° Juxta Cypr., l. de unit. Eccl. : *Hoc erant utique cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædíti et honoris et potestatis*; ergo Petrus primatum honoris et potestatis non habuit.

Quoad 1. *R.* — *N. Cons.* 1um enim factum non esse Petro invito ac nolente, sed saltem consentiente, textus ipse demonstrat : fuisse etiam factum eo auctore, non vane colligitur ex factis aliis supra relatis; quorum multitudo facit ne præjudicet auctoritati Petri, tametsi hoc unum communi omnium consilio foret susceptum. Neque 2um obest, cum Petrus ab Apostolis mitti potuerit consulendo, non jubendo, uti Judic. 22. Phinees ab Israelitis ad Tribus Ruben et Gad; Matth. 2. Magi ab Herode in Bethleem missi fuerant, et subin Præpositi a Capitulis, ac Principes a Consiliariis ad negotia tractanda mittuntur.

Quoad 2. — *D. A.* Et error Apostolorum stabat in eo quod Petrum suspicarentur futurum se majorem, N. quod temporalem ac mundanum principatum somniarent, C. habebant nempe Apostoli communem cum Judæis errorem de terreno Messiæ regno, correctum a Christo sæpius et reprehensum.

Quoad 3. *R.* — *D.* Apostoli fuerunt prædíti pari consortio honoris et potestatis, ratione Apostolatus, T. ratione Episcopatus, N. Ratione *Apostolatus* cum dono miraculorum acceperant Apostoli auctoritatem promulgandi Evangelii in universo mundo, docendi verbis et scriptis canonicis omnes gentes, baptizandi credentes, baptizatis Sacramenta conferendi, omniaque præstandi, quæ ex parte sive ordinis sive jurisdictionis ad formandam Ecclesiam pertinebant : ratione *Episcopatus* acceperant potestatem, congregatis secum fidelibus Episcopos et pastores præficiendi, ritus ac disciplinam, leges ac pœnas statuendi, omniaque faciendi quæ ad gubernandam hanc ecclesiam spectabant.

Utraque a Christo, ut plerique conveniunt, immediate omnibus est collata Apostolis. Prior potestas erat *æqualis*, quia ad promptiorem fidei propagationem accommodatior, ac tum quodammodo necessaria; sed tamen *inæqualiter* collata, quia a Petro tanquam ordinario pastore ad successores transferenda, ab Apostolis autem ut delegatis sine novo mandato non transitura. Posterior erat *inæqualis*, quia gubernatrix Petri facultas ad omnes omnino Ecclesias, Apostolorum aliorum autem duntaxat ad eas quas fundaverant protendebatur : *inæqualiter* etiam collata, quia eadem Petri proferebatur supra Apostolos, non item Apostolorum supra Petrum.

Inæqualitatem hanc ad schisma prohibendum necessariam et in primatu ac Imperii unitate fundatam satis demonstrat Cypr. verbis objectionem proxime sequentibus, dum ait : *Sed exordium ab unitate proficiscitur, et prima-*

tus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur. Idem confirmat tum ibidem similitudine solis, radicis et fontis superius allata : tum in epist. ad Jubaian. dicens : *Dominus primum Petro, super quem ædificavit Ecclesiam, et unde unitatis originem instituit ac ostendit, potestatem istam dedit.... Ecclesia quæ una est, super unum qui claves accepit, voce Domini fundata est.*

Inst. 5. Nam 1° Hesychius in orat. de Jacobo Fratre Domini, eumdem vocat *Apostolorum caput et in capitibus verticem* : in Concilio autem Hierosolymitano concedit Petro disputationis tantum laborem, Jacobo jud cii sententiam. 2° Clem. Alex. apud Euseb. l. 2 Hist., c. 1 ait : *Petrus, Jacobus et Joannes post assumptionem Salvatoris, quamvis ab ipso fuerint omnibus pene præluti, tamen non sibi vindicabant primatus gloriam, sed Jacobum, qui dicebatur justus, Apostolorum Episcopum statuunt.* 3° Hierosolyma est mater omnium Ecclesiarum, quia secundum Isa. 2 : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem*; Jacobus autem erat Episcopus Hierosolymæ; ergo et is pater est omnium Ecclesiarum, non Petrus.

R. quoad 1. Hesychii periodum, Rhetoricam potius hyperbolen, quam Theologicam exegesin esse probat tum similis exaggeratio, quam S. Andreæ in alia de ipso oratione adscribit, tum adjecta ibidem confessio qua Petro primatum gratulatur, tum ipsa maxime historia Evangelica quæ Petro prærogativam tribuit, de Jacobo penitus silet.

Quoad 2. *R.* Lectionem illam *Apostolorum Episcopum*, in Basileensi Clementis editione esse corruptam, et his verbis *Hierosolymorum Episcopum*, sive heterodoxi editoris fraude, sive exemplaris vitio suppositam : posterior enim lectio Codicibus pluribus et Nicephori l. 2, c. 3 sententiæ congruit. Quod de *primatu* additur, et simile quid de *solio* a Chrysostomo Hom. 3 in Acta Apost. dicitur, intelligendum est de Sede Hierosolymitana, omnium primo erecta et in urbe tum nobilissima, quam nominati Apostoli reliquerunt Jacobo minori.

Quoad 3. *R.* — *D.* Hierosolyma mater erat omnium Ecclesiarum antiquitate et gestorum initio, C auctoritate et præsidis Imperio, N. Equidem post peracta redemptionis mysteria, præeunte Petro et reliquis adjuvantibus, Hierosolymæ promulgari lex nova et formari prima Ecclesia cœpit, ea tamen in urbe adeo auctoritas non resedit, ut illa Metropoli Cæsareæ subjiceretur primo, postmodum quidem Patriarchatu aucta, dignitate tamen et ordine postrema maneret. Quam vero tribuerat illi Petrus, primum ibidem commorans, eamdem, interim dilatata amplius Ecclesia, idem Antiochiam ad tempus, demum perpetuo Romam transtulit supremam potestatem : quod Bernard l. 2 de Consid. notans scripsit : *Jacobus una Hierosolyma contentus universitatem Petro cedit.*

158. *Dico II.* **Primatus S. Petro concessus est ita ut divisus non fuerit aut communis cum Paulo, multo autem minus unus omnium Apostolorum et indivisus Episcopatus.**

Prob. 1ª *p.* 1. Communicatio primatus a Patribus negatur Paulo, utpote quem illi inferiorem Petro enuntiant : sic enim Aug., l. 2 de Bapt., c. 1, ait : *Commemorat Cyprianus Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quam veritas postulabat de circumcisione agere solitum, a posteriore Apostolo Paulo esse correctum.* Similiter in expositione epist. ad Galat Paulum vocat *posteriorem Pastorem* : in epist. 82. ad Hieron. autem hæc addit : *Petrus, quod a Paulo fiebat li-*

bertate charitatis, pietate humilitatis accepit; atque ita posteris præbuit exemplum, etiam a posterioribus, quam Paulus, corrigi : quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda Evangelica auctoritate, salva fraterna charitate, resistere. Greg., l. 2 super Ezech. Homil. 18 de eadem reprehensione loquens scribit : *Ecce a minori suo reprehendi non dedignatur : non ad memoriam revocat quod claves regni cœlorum acceperit : minori fratri se ad consensum dedit, et factus est sequens, ut jam et in hoc præiret; quatenus qui primus erat in Apostolatus culmine, esset et primus in humilitate.* Theodoret. de Paulo Petrum invisente in epist. ad Galat. sic commentatur : *Etenim cum Paulus humana doctrina non indigeret, ut qui ab universorum Deo eam accepisset, Apostolorum Principi, quem par est, honorem tribuit :* Hugo Victorin. Serm 64 ita disserit : *Petrus cæteris eminentior excellentia potestatis, Paulus excellentia Prædicationis; Petrus sol, Paulus luna; Petrus sol per collatam sibi divinitus potentiam, Paulus luna per collatam sibi divinitus sapientiam, etc.*

II. Eadem communio primatus 1. caret figura et exemplo, cum Synagogæ Primas unicus semper fuerit Pontifex summus : 2. caret institutione et initio, cum nec Petro promissus aut datus sit suæ potestatis socius, nec Paulo ullibi concredita æqualis aut socia potestas : 3. caret successione et progressu, cum duplex supremum Ecclesiæ caput post utriusque Apostolorum Principis mortem hactenus numeratum non fuerit, nec ullus Pauli successor æquam aut eamdem cum successoribus Petri potestatem usurparit : 4. caret necessitate et commodo, cum prioris nullum sit vestigium, posterioris autem, si quod est, nulla videatur habenda ratio.

III. Hæc potestatis participatio imprimis incongrua est S. Paulo, utpote qui destinatus ad disseminandam Christi fidem per universum orbem, et ad parturiendas Ecclesiæ oves, occupari minus apte poterat in gubernandis fidelibus et ovibus pascendis. Dein injuriosa est S. Petro ; cujus scilicet auctoritas a Christo data sine exceptione et consortio, et administrata sine abusu ac demerito, foret revocata et translata in Paulum ex dimidio, ob jus præventionis et æqualitatem. Demum est perniciosa Ecclesiæ; cujus unitatem divisio capitum tollit, et schismati, discordiæ ac perturbationi proximam occasionem præbet : Tandem est fidei contraria ; cum Innocent. X in Bulla 24 Januar. A. 1647 « hanc propositionem : S. Petrus et S. Paulus sunt duo » Ecclesiæ Principes, qui unum efficiunt, vel sunt duo Ecclesiæ Catholicæ » coryphæi summa inter se unitate conjuncti, vel sunt geminus Ecclesiæ » vertex, qui in unum divinissime coaluerunt, vel sunt duo Ecclesiæ summi » pastores ac præsides, qui unicum caput constituunt; ita explicatam, ut » ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum et S. Paulum, sine subor» dinatione et subjectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema et » regimine universalis Ecclesiæ, hæreticam censuit et declaravit. »

Prob. 2ª *p.* I. S. Petrus in potestate Ecclesiastica fuit aliis Apostolis prælatus. Ita Nazianz. Orat. 26 : *Vides, quemadmodum ex discipulis Christi, magnis utique omnibus et excelsis, hic* (Petrus) *petra vocetur et Ecclesiæ fundamenta in fidem accipiat, ille* (Joannes) *impensius ametur et supra pectus Jesu requiescat; ac reliqui discipuli eos sibi præferri æquo animo ferant.* Chrysost., l. 2 de Sacerd., c. 1 : *Ea agis, quæ cum Petrus ageret, illum Christus auctoritate præditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longe præcellere.* Maximus Constantinopolitanus in epist. ad Orient : *Petrum ex cæteris mortalibus de toto orbe conditor orbis elegit, cui cathedram ma-*

gisterii principaliter possidendam tenere perpetuo privilegii jure concessit.

II. S. Petrus etiam supra Apostolos potestatem accepit. Eucher. enim in Serm. de SS. Petro et Paulo inquit : *Non solum pastorem, sed pastorum pastorem constituit : pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit et matres, regit subditos, regit et prælatos : omnium pastor est; quia præter agnos et oves in Ecclesia nihil est.* Chrysost., homil. 3 in Act. Apostol. agens de Petro electionem Matthiæ ordinante ait : *Merito primus omnium usurpat auctoritatem in negotio, ut qui omnes habeat in manu.* Leo, Serm. 3 de Assumpt. sua : *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur : ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus.* Cyril. Alexandr., l. Thesaur. : *Petro omnes jure divino caput inclinant, et Primates mundi tanquam ipsi Domino Jesu obediunt.*

III. A Petro profluxit potestas in reliquos. Optat. Milevit., l. 1 contr. Parmen. : *Petrus præferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni cœlorum communicandas cæteris solus accepit* Patres Milevit. in epist. ad Innocent. : *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes Coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris auctorem deferre debere.* Innocent. I, in epist. ad Conc. Carthag. : *A Petro ipse Episcopatus et auctoritas nominis hujus emersit.* Leo, Serm. cit. : *Si quid cum Petro commune cæteris Christus voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.*

IV. Soli Petro datus est Ecclesiæ primatus. Chrysost., homil. in c. 21 Joann. : *Aliis omissis, Petrum duntaxat affatur, fratrum ei curam committit.* Cyril. Alex., in Thesaur. : *Petro plenissimum commisit; et nulli alii Christus, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit.* Theophyl. in C. ult. Joann. : *Præfecturam ovium totius mundi Petro commendabat; non autem alii, sed huic tradidit.* Bernard., l. 2 de Consid. : *Cui, non dico, Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute et indiscrete totæ commissæ sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas : quas? illius vel istius populi, civitatis aut regionis, aut certi regni? oves meas inquit : cui non planum non designasse aliquas, sed designasse omnes? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

Cons. utraque p. Regimen Ecclesiæ a Christo institutum est *perfecte monarchicum* : ergo unus et solus supremam in Ecclesia potestatem ex Christi institutione habuit : ergo cum Petrum obtinuisse hanc potestatem ex dictis constet, ille unus et solus illam habuit : ergo nec cum Paulo, nec cum Apostolis omnibus primatus fuit communis aut indivisus.

Antecedens *Prob. I.* Monarchicum regimen distinguit unitas imperii in capite, universalitas subjectionis in membris, facilitas pacis in corpore, et felicitas perfectionis in toto : sed Christus instituit regimen Ecclesiæ his notis distinctum; siquidem

De 1ª testantur Optat. Milev., l. 2. contr. Parmen. : *Cathedra una est, et negare non audes scire te, Petro primum in urbe Roma cathedram esse collocatam, ubi sederit omnium Apostolorum caput Petrus, inde Cephas appellatus*; et Cyprian., l. de unit. Eccles. : *Quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suum parem potestatem tribuat..., tamen ut unitatem manifesturet, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio*

præditi honoris et potestatis : sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur.

De 2ª profitetur Leo, epist. 84 : *Magna dispositione provisum est ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in provinciis singulis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia : et rursus quidam in majoribus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis Ecclesiæ cura conflueret, et nihil unquam a suo capite dissentiret;* et Greg., l. 4, epist. 32 : *Cunctis Evangelium scientibus liquet quod Beatissimo et omnium Apostolorum principi Petro Dominica voce totius Ecclesiæ cura commissa est..... Ecce claves regni cœlestis accepit, potestas ei ligandi atque solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ et principatus tribuitur*

De 3ª asserit Optat. Milevit. loc. supra cit. pergens : *In quo uno cathedræ unitas ab omnibus servaretur, nec cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderet; ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram collocaret alteram : ergo cathedra una est;* et Hieron., l. 1 contr. Jovin. : *Inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio;* Item Cyprian., epist. 55 : *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt aut nata schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos et ad tempus judex vice Christi cogitatur.*

De 4ª enuntiat Cyprian., l. de unit. Eccles. : *Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo solis radii multi, sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi diffluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore; divisionem lucis unitas non capit : ab arbore frange ramum; fructus germinare non poterit : a fonte præcide rivum; præcisus arescit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur : ramos in universam terram extendit, profluentes rivos latius expandit; unum tamen caput est, origo una, et una mater fœcunditatis;* et Bernard., l. 2 de Consid., c. 8 : *Præsentes cæteri condiscipuli erant, cum committens uni unitatem omnibus commendaret in uno grege et in uno pastore, secundum illud : una est columba mea, una perfecta; ubi unitas, ibi perfectio : reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem, recedentes ab unitate.* Ergo.

Prob. II. Figura, exemplar, comparatio, similitudo, usus et notio propria Ecclesiæ ostendunt Ecclesiasticum regimen esse perfecte monarchicum. Nam 1º Synagogam fuisse figuram Ecclesiæ Christi docet Apostolus 1ª ad Cor. 10, v. 6 scribens, antiqua omnia contigisse nobis in figuram; eam autem monarchice constitutam ex Deuter. 17 testatur Joseph., l. 2 contr. Appion. docens : *Lex Sacerdotibus in communi quidem res præcipuas dispensare permittit; summo autem Pontifici aliorum Sacerdotum primatum competenter injungit.* 2º Hierarchia Angelorum seu Ecclesia triumphans ex Greg., l. 4, epist. 12, et Bernard, l. 2 de Consid. est idea et exemplar Hierarchiæ fidelium seu Ecclesiæ militantis : sed illam monarchicam primum in Lucifero, nunc in Michaele censeri, Greg., l. 32 Mor., c. 24 et 25, ac Hieron. in Job. 40, aliique docent : ergo. 3º Ecclesia Christi comparatur Cant. 6 exercitui ordinato, 1ª Petri 3 navi, 1ª ad Timoth. 3 domui : sed juxta Hier., epist. 4 : *In quamvis grandi exercitu unius signum exportatur;* ex

eodem in epist. ad Rustic. : *In navi unus est gubernator* ; domus etiam omnis secundum Luc. 12, unus est *fidelis dispensator et prudens*. Domus autem Dei, juxta Ambr., in loc. Timoth. *hodie rector est Damasus*. 4° Eadem est ac dicitur Joann. 10 *unum ovile;* sed additur, *et unus pastor :* Eadem ad Rom. 12 *corpus unum in Christo;* sed corpori unum caput convenire, et mystici corporis caput fuisse Petrum aliunde constat. 5° Præsese unum Episcopum Parochis in diœcesi, unum Archiepiscopum Episcopis in provincia, Patriarcham unum Archiepiscopis in Natione, jus sacrum exigit, et consuetudo inveterata probat : ergo et unum Pontificem sufficere omnibus in universa Ecclesia convincit. 6° Notio demum Ecclesiæ qualiscumque, modo catholica sit, præter Christum vel unius capitis visibilis duntaxat meminit, vel si alios etiam pastores exprimit, eos tamen supremo uni subjicit.

Prob. III. Præter Ecclesiæ regimen perfecte monarchicum cogitari potest vel democraticum, vel aristocraticum, vel democratia aut aristocratia temperatum; idque vel cum diminutione auctoritatis monarchicæ, vel absque ejusmodi diminutione. Sed regimen Ecclesiæ a Christo ordinatum imprimis non est democraticum, ut in Tr. de Legibus contra Richerium probatur, et hactenus est ostensum : deinde non est simpliciter aristocraticum, ut rursus ibidem, et tum in hoc, tum in superiore Capite est declaratum : præterea non est democratia aut aristocratia temperatum cum diminutione auctoritatis monarchicæ, quatenus supremi capitis Imperium aut a populi optimatumve suffragiis sit pendulum, aut sine horum adstipulatione inefficax vel invalidum; quia neutrum congruit sive cum notis et documentis monarchicis proxime assertis, sive cum primatu jurisdictionis uni solitarie stabilito; multoque minus cum superioritate Pontificis inferius stabilienda conciliari potest : tandem temperatum sine diminutione, stans in eo quod Optimates Ecclesiæ eligi queant ex fidelium aut Clericorum cœtu, electi autem, non vicario tantum nomine, sed auctoritate propria principatum gerant in designata sibi Ecclesia, neque ut consiliarii duntaxat, sed ut judices ferant sententiam in Conciliis, utrobique tamen cum inferioritate ac dependentia a supremo capite, principe ac judice ; hoc, inquam, temperamentum perfectæ monarchiæ non officit, nec plenitudinem potestatis, sed solitudinem duntaxat excludit. Ergo regimen Ecclesiæ est perfecte monarchicum.

159. *Objic.* Scriptura, testimonia, et facta docent unum ac indivisum esse Episcopatum, eumque primo ab Apostolis, dein ab eorum successoribus Episcopis in solidum esse possessum : ergo. *Prob. Ant.* 1° Christus unus in se habuit totam ac integram Episcopatus potestatem : sed idem eamdem totam et indivisam Apostolis suis indivisibiliter contulit; tum quia Joann. 20 ait : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos;* tum quia Matth. 28 dicit : *Euntes in mundum universum*, etc., non assignando partes in orbe, nec in Episcopatu : ergo. 2° Potestas Apostolis et Episcopis collata in epist. 1ª ad Tim. 6, v. 20, et 2ª ad eumd. 1, v. 14, est *depositum;* iidemque dicuntur et sunt Tutores Ecclesiæ : sed deposito pluribus commendato, juxta l. 1, § 43 ff. *Depositi*, singuli tenentur in solidum; et secundum l. 51, ac 54 ff. *de admin. et peric. Tutor.* tutela una et indivisa manet, quamvis tutores rem dividant : ergo licet jure humano factæ sint Episcopatus divisiones, potestas tamen una est ac indivisa. 3° Sicut Ecclesia est una, sic unus est Episcopatus, cum illa in hoc speciali quadam ratione consistat : et quilibet Apostolus generalem Ecclesiæ curam gessit; ut Paulus labores suos recensens 2ª ad

Cor. 11, v. 28 : *Sollicitudinem omnium Ecclesiarum* inter eos refert : ergo.

R. 1. *ad Arg.* — *N. Cons.* Eadem argumentandi forma sequitur etiam Sacerdotium esse unum ac indivisum, a presbyteris singulis ac Episcopis in solidum possessum. Quamvis enim, qui tamen ipso hoc argumento evertitur, statuatur ordo hierarchicus, is nihilominus cum sacerdotio uno ac indiviso componeretur eatenus, si, ut de Episcopis respectu summi Pontificis adversarii loquuntur, diceretur : Sacerdotes certis duntaxat stringi vinculis, ne a centro ad peripheriam excurrant, eorumque jurisdictionem, cæteroquin parem omnino et æqualem, obnoxiam tantum esse Episcopis, indeque arctioribus limitibus teneri. Quod quam dictu est absonum, tam accommodum est ad instantiam præsenti objectioni ubique faciendam.

R. 2. — *N. A.* Non unitatem hujusmodi, sed inæqualitatem ac in diversos gradus sectionem regiminis hierarchici Scriptura et antiquitas novit, ut supra ostensum est. Quod ad vim faciendam Episcopi hic dicantur Apostolorum successores, admitti potest, quantum in Apostolis spectatur dignitas Episcopalis et ordinaria potestas pastoralis in Ecclesiam particularem sibi subjectam ; negatur autem, si transferatur ad dignitatem Apostolatus et amplissimam hujus muneris jurisdictionem personalem, de quo superius.

Ad *Prob.* quoad 1. *N. m.* secundum id, quod *indivisibiliter* traditam potestatem enuntiat. Eam haud probat textus prior, qui similitudinem duntaxat missionis, non æqualitatem indicat : facturus alias Apostolos etiam auctores Sacramentorum : neque textus posterior; utpote qui in Apostolatum, non in Episcopatum cadit : quo etiam si pertineret, facto legitimo evenisset divisio Episcopatus, ut per prædicationem distributio orbis. Episcopatuum enim discretionem, saltem generatim, ex jure divino ipsius Christi descendere, Pallav., l. 6, Hist. Trid., c. 3 autumat; propterea quod Christus eam utique reipublicæ formam videatur præscripsisse, quæ infirmitati humanæ sit accommodatior, et a dissidiis ex præventione concurrentis jurisdictionis facile orturis remotior.

Quoad 2. — *T. M.* — *D. m.* Tenentur in solidum singuli, depositarii quidem, si deponens omnium in solidum fidem sit secutus; tutores autem, si tutelam susceperint pro indiviso, C. si neutrum fuerit factum, N. Ut in casu, tum hic concesso, tum in lege de utriusque depositarii fraude expresso, justa est singulorum in solidum obligatio; sic æquitati naturali et sanæ rationi maxime convenit, ne diviso inter plures deposito, nullaque singulorum in solidum postulata fide, teneantur omnes : præsertim cum hæc ipsa lex comparationem cum tutoribus faciat, qui ex l. 3, § ult. de *Admin. et peric. Tutor.* audiendi sunt, si dividi inter se tutelam velint; et ex l. 4, ac 47, § 2, *ibid.* unusquisque exceptione submovebitur pro ea parte vel regione quam non administrat; si nempe res divisa fuerit. Probari autem nullatenus potest Christum, demandando Apostolis depositum Ecclesiæ, singulorum in solidum fidem esse secutum, aut tutelam illis pro indiviso commisisse.

Quoad 3. *R.* Imprimis Ecclesia una est unitate doctrinæ et capitis, non indivisionis; cum constet aliam dici ac esse Ecclesiam Gallicanam, Germanam et aliarum Nationum : unde quamvis Ecclesia in Episcopatu specialiter consistat, hunc esse individuum non sequitur. Deinde Apostolus quilibet gessit Ecclesiæ universæ curam vi forsan Apostolatus, vi Episcopatus minime. Textus littera, non curam a Paulo Ecclesiis impensam, sed ipsarum Ecclesiarum vel jactationem ab hostibus, vel hostilem coitionem de-

clarat; communiore tamen acceptione permissa, indicat vel spontaneo zelo vel necessitate urgente susceptam curam, non item auctoritatis propriæ officium; qua scilicet ratione Tribunum subinde totius exercitus curam gessisse legimus.

Inst. 1. Etenim : 1° Auctor opusc. de Dign. Sacerd., l. 2, c. 3 scribit : *Quas oves et quem gregem tunc B. Petrus suscepit, nobiscum suscepit, et cum eo illas nos suscepimus omnes.* 2° Hormisdæ dictum est : *Thronos omnes Apostolicos sedesque Episcopales unam esse sedem Apostolicam*; et Symmachus Papa, epist. 1 ad Eonium inquit : *Dum ad Trinitatis instar, cujus una est atque indivisa potestas, unum est per diversos Antistites sacerdotium*; *quomodo priorum instituta a sequentibus convenit violari?* 3° Cypr., l. de unit. Eccles. aperte enuntiat : *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur*; Item : *Quam ecclesiæ unitatem tenere et vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus; ut Episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus.* Ergo.

R. quoad 1. Nec To *omnes* ad oves seu obliquum refertur, sed ad nos seu rectum : nec, si aliter accipiatur, oves omnes cuilibet subsunt Episcopo; cum singuli quidem sint vocati in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

Quoad 2. *R.* Uterque verum enuntiat : Hormisdas quidem, Apostolorum et Episcoporum thronos unam dicendo sedem Apostolicam, et Symmachus docendo in Pontificibus sibi ex ordine succedentibus idem sacerdotium haberi et manere; sicut nempe plures cathedræ unam constituunt Academiam, et successores in eodem regno eadem qua antecessores pollent auctoritate : æque parum autem ex illis probatur una ac indivisa pro Apostolis et Episcopis omnibus potestas; ac parum ex his sequitur, Academiam in solidum possideri a singulis Doctoribus, aut potestatem regiam, quam Regni possessores habent, etiam a Proceribus teneri, qui cum illis curiam conflant.

Quoad 3. — *D.* A singulis in solidum pars tenetur, servata proportione potestatis cuilibet propriæ, C. æqualiter ac omnimode, N. Quamvis permittatur hic agi non tantum de potestate ordinis, sed et jurisdictionis, constat tamen ex relatis num. 157 Cypriani verbis et scopo, in ipso uno Episcopatu haberi æqualitatem partium et graduum diversitatem : adeoque Episcopo quolibet suam partem et gradum possidente, una tota et in ratione etiam totius indivisa possessio constitui potest, quin Pontifici tamen detrahatur primatus et suprema potestas, aut quilibet totam possessionem habeat; præsertim cum non dicatur Episcopatus unus totus, sed pars tantum a singulis in solidum teneri : præterea etiam *radii, rami et rivi* singuli lumen solis, robur arboris, ac fontis ubertatem neutiquam in solidum obtineant; qua tamen comparatione ibidem S. Doctor utitur.

Inst. 2. Non Apostoli tantum, sed et Episcopi alienis provinciis succurrerunt, proque tota Ecclesia laborarunt. Sic Chrys. de Eustathio scribens inquit : *Edoctus prope fuerat a Spiritus gratia, Ecclesiæ antistitem non de illa solum quæ ipsi a Spiritu sancto sit commissa curam debere gerere, verum etiam de universa quæ per orbem terrarum degit :* Theodoret. autem l. 4 Hist., c. 12 de Eusebio tempore Constantii sub militari veste Ecclesias perlustrante notat : *Tum presbyteros et diaconos creabat, tum alia obibat officia Ecclesiastica; ac si quando in Episcopos secum doctrina consentientes incidebat, eos Ecclesiis, quæ carebant Pastoribus, præfecit :* ergo.

R. quoad. 1. — *D.* Etiam Episcopi alienis provinciis, suo scilicet Episcopo destitutis aut aliter periclitantibus, succurrerunt, ex charitatis tum erga Ecclesiam, tum erga proximum officio, C. ex auctoritatis ac jurisdictionis titulo, N. vel *subd.* titulo auctoritatis propriæ et jurisdictionis ordinariæ, N. delegatæ et extraordinariæ, C. Urgente etiam necessitate et periculis postulantibus, Episcopi tamen propriam et ordinariam auctoritatem in alienas provincias nec habent ex vi suæ ordinationis, qua scilicet certis duntaxat Ecclesiis regendis præficiuntur; nec ex jure, cujus quidem canon nullus laudari potest, sed oppositum potius cap. 1 de *præscript.* docetur; nec ab usu, qui alias etiam titulum universalis Pastoris his auxiliatoribus, idemque jus Sacerdotibus et Laicis simile sæpius feliciter ausis tribuisset; nec immediate a Christo, utpote de cujus commissione nullum adest vestigium. Unde si quid in his auctoritate factum est, id contigit auctoritate tantum delegata, et eatenus extraordinaria, quam scilicet Romanus Pontifex dedit, vel dedisse optime etiam juxta l. 46, § 7 ff. de *Furtis* præsumebatur.

Nec aliud evincunt exempla. Dictum enim Chrysost. de Eustathio rem factam ex charitate indicat, cum *edoctum* a *Spiritus gratia* asserat : factum Eusebii vel eamdem originem habet, vel profectam a Pontifice auctoritatem declarat; cum alias jure proprio, non autem Eusebii subdelegatione, Episcopi alii ad viduas Ecclesias regendas accedere potuissent.

Inst. 3. Saltem S. Paulum æqualem et socium fuisse S. Petro probant Scripturæ monumenta; ergo. *Prob. Ant.* Nam 1° Paulus per Antonomasiam vocatur Apostolus, h. e. Princeps Apostolorum. 2° Ipse se æquiparat Petro, ad Gal. 2, v. 7 et 8 scribens : *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis; qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes.* 3° Idem dicit ibid., v. 5 : *Se neque ad horam cessisse subjectione;* et v. 11 : *Cephæ in faciem restitisse;* quod juxta Caus. 2, q. 7, Can. 28 non licuisset Paulo, si Petro inferior fuisset.

R. Ad Arg. — *D. A.* Faciunt hæc S. Paulum æqualem et socium Petro in eo quod est proprium Apostoli, C. in eo quod est Episcopi et præsidis Ecclesiæ, N. utriusque dignitatis officia num. 159 in resp. ad prob. 2 breviter recensuimus, atque ad illa Apostolatus munera pertinere pleraque hic objecta, constabit ex dicendis.

Itaque ad *prob.* quoad 1. *D.* Paulus vocatur per Antonomasiam Apostolus seu Apostolorum princeps præcellentia potestatis, N. præcellentia operis; C. Antonomasiam certe hoc sensu accipit Aug., l. 3 ad Bonif., c. 3 ita scribens : *Apostolus cum dicitur, si non exprimatur quis Apostolus, non intelligitur nisi Paulus; quia pluribus epistolis est notior, et plus omnibus laboravit.*

Quoad 2. *R.* — *D.* Æquiparat se Petro quoad destinationem primariam prædicationis, confirmatæ miraculis et coronatæ fructibus, adeoque quoad Apostolatus munus et effectum, C. quoad auctoritatem et pastoralis officii primatum, N. Hi enim Apostoli *partiti sunt non potestatem sed opera*, ut ad hunc locum scribit Hier. Cæterum ex Apost. Actis patet Judæis etiam Paulum, Gentibus Petrum prædicasse.

Quoad 3. *R.* Textus prior non de Petro, sed de falsis fratribus agit; ut versus præcedens docet : similiter nec posterior; quia Cephas hic reprehensus secundum probabiliorem sententiam alius est et a Petro Apostolo : permissa vero Cephæ hujus ac Petri identitate, non tamen probatur Pauli æqualitas; tum quia Patres, num. 157 in prob. 1æ part. relati, reprehenso-

rem aperte pronuntiant inferiorem : tum quia citatus Canon de Seniore, non de Majore loquitur.

Inst. 4. Nam 1° Petrus et Paulus ab Irenæo, l. 3 adv. hær., c. 3 : *Ecclesiæ Romanæ Institutores et fundatores*, a Chrys., hom. 32 in epist. ad Rom. : *Romæ oculi*, a Leone, Serm. 1 de nat. Apost. : *Romanæ urbis patres ac pastores* compellantur. 2° Iidem dicuntur ad Epiphan., hær. 17 : *primi omnium Apostoli pariter, et Episcopi Romæ*, a Cyrill. Hier., Catech. 6. Illumin. *Capita Ecclesiæ*, a Chrys., l. c. : *Chori sanctorum coryphæi*, Maximo Taurin., Serm. 5 : *Principes Ecclesiarum et fidei christianæ*. 3° Paulus specialim asseritur a Greg., l. 1 Dial., c. 12 : *Petri in principatu Apostolico frater*, ab Ambrosiastro *primatus gratiam, sicut Petrus consecutus*, a Petro Dam., Opusc. 33, c. 4 : *Omnibus præsidere, et in omnibus jus præsidentis tenere* : ergo.

R. Quoad 1. Paulum dici posse fundasse docendo, illustrasse agendo et patiendo, genuisse instruendo et tingendo, pavisse verbo et exempla edendo Ecclesiam Romanam, quin plus aliquid quam Apostoli, operarii aut præconis ageret : præsertim cum Leo ibid. dicat *per* solam *Petri Sedem Romam caput orbis effectum*. Præterea aliud est memorata omnia agere cum Petro, aliud eadem cum illo auctoritate præstare et principaliter; quia illud coadjutori, hoc proprio pastori congruit.

Quoad 2. *R.* Petrus et Paulus ab Epiphanio dicuntur primi Apostoli et Episcopi Romæ, D. spectando maxime doctrinam, C. potestatem, *subd.* uterque æquo jure, N. diverso, C. Scopus S. Patris erat ostendere, doctrinam illibatam Romæ perstitisse, usque ad Marcellinæ feminæ cujusdam pestilentis ætatem; quod ut præstaret, initium hic a doctrinæ fonte et institutione fidei ab utroque Apostolo profecta facit. Ratione communis hujus operæ uterque dicitur Episcopus Romanus; Petrus quidem ordinarius ac vi gubernationis et respectu Ecclesiæ Romanæ, ut hæc quoque origo et centrum est universalis et Catholicæ : Paulus autem extraordinarius, et vi tantum fundationis, ac respectu Ecclesiæ Romanæ, ut hæc particularis est et muris urbis comprehensa. A Cyrillo iidem non *Capita*, sed *Prostatæ* seu præsides compellantur, Petro etiam nomine *Protostatæ* seu primi præsidis Catech. 2 concesso. Titulus Coryphæi a Chrysost. datus superiorem sanctitate, auctoritate non item exprimit; ut ex conjuncto substantivo apparet. A Maximo commune elogium cum discrimine tamen tribui, verba hæc adjecta declarant : *Ambo igitur claves a Domino perceperunt, scientiæ iste, ille potentiæ.*

Quoad 3. *R.* Paulus a Gregorio Petri appellatur frater, D. natu et auctoritate minor. C. par, N. Christus ipse Apostolos vocavit fratres, et Reges sæpe fratres numerant, ubique tamen sine potestatis æqualitate. Ab Ambrosiastro seu auctore Commentarii in Pauli epistolas sub Ambrosii nomine laudari solito, qui juxta criticos vel Luciferi vel Pelagii erat sectarius, tribuitur Paulo primatus prædicationis, non auctoritatis, ipso auctore sic loquente : *Ut dignus esset habere primatum in prædicatione gentium, sicut habebat Petrus in prædicatione circumcisionis.* Demum Petrus Dam. rursus de præsidentia per doctrinam et prædicationem duntaxat loquitur, ideoque Paulo in omnes Ecclesias, quas edocuit, tribuit præsidium, sed cum hac modificatione : *Videtur aliquatenus præsidere.* Cæterum ibidem asserit primum Ecclesiæ Romanæ locum ex Petri privilegio, nulla Pauli facta mentione.

Inst. 5. Nam : 1° In Officio legitur : *Petrus Apostolus et Paulus Doctor*

gentium ipsi docuerunt nos legem; in precibus autem dicitur *Ecclesia per ipsos sumpsisse religionis exordium;* in Sacramentario Gregorii tandem recitatur : *Deus, qui tuis Apostolis ligandi solvendique licentiam contulisti, etc.* 2° Pontifices scribunt se *successores Petri et Pauli;* imperant *auctoritate Apostolorum Petri et Pauli;* minantur *indignationem Beatorum Petri et Pauli.* 3° In diplomatum Pontificiorum sigillis exprimuntur imagines utriusque Apostoli : in iisdem Paulus etiam obtinet plerumque dextram, ad significandam scilicet auctoritatem, quandoque mutato tamen apparet latere, ad designandam forte perfectam utriusque æqualitatem.

R. Quoad 1. Ecclesia in Officio et Precibus recte veneratur duos Apostolos, ut fundatores, patres et magistros, non tamen tanquam primatus æquo saltem jure participes. Ligandi solvendique *licentia,* in Sacramentario Apostolis tributa, vel extraordinariam tantum potestatem vel minorem significat præ illa, quam per ligandi ac solvendi *Pontificium* Petro cum clavibus traditum oratio propria eidem vindicat.

Quoad 2. *R.* Pontifices se dicunt successores etiam Pauli, D. quoad successionem localem, quatenus Paulus Romæ prædicavit; item quoad realem etiam, quatenus Pontifices omnia tum Pauli, tum Apostolorum reliquorum jura sibi vindicare possunt, C. quoad successionem personalem, obeundo ejus officium, gradumque tenendo, N. Sic enim vero successores majores sunt solius Petri. Auctoritas Apostolorum sub qua imperatur, et indignatio quæ minando proponitur, non tam est officii potestas quam potentia patrocinii, quæ tum pro negotiis, tum contra hostes Ecclesiæ his formulis imploratur; unde et Sanctorum omnium auctoritatem et indignationem in similibus Pontificum scriptis usurpatam legimus.

Quoad 3. *R.* Effigies utriusque Apostoli exprimitur in sigillis diplomatum, quia Paulus in fundanda et regenda Ecclesia juvit : cumque cathedra et potestas Coadjutoris distincta et alia non sit ac quæ est Ordinarii et Pastoris; hinc uterque in sigillo exprimitur, et utriusque successores se scribunt Pontifices : in annulo tamen Piscatoris, quo Brevia signantur Apostolica, unius Petri imago apparet. Dextera Paulo data auctoritatem haud indicat; ex Petro Dam. enim l. c. c. 1. D. Thoma lect. 2, ad c. 1, epist. ad Gal. et Conciliorum Actis supra notatis sinistra honoratior est præ dextra. Nec variatio subinde occurrens æqualitatem auctoritatis prodit, sed potius vel imperitiam sculptoris, vel nullam situs hujusmodi habitam aut habendam rationem.

160. *Observa.* Monarchia secundum triplicem sensum accipi potest : 1. In sensu alieno, pro regimine quo unus omnia potest vel exercet pro lubitu ac libidine; hæc *Anomarchia* seu exlex imperium dicitur, et tyrannidem sonat : 2. In sensu stricto sed minus communi, pro regimine quo unus habet omnem potestatem, et exercet per se ipsum vel per meros vicarios; hæc *Autarchia* seu imperium proprium et autocraticum vocatur, et Exod. 18, in Moyse apparuit : 3. In sensu proprio et communi, pro regimine quo unus imperans habet supremam potestatem, præscindendo an subjecta alia potestas proprio vel vicario nomine ab inferioribus exerceatur; hæc *Monarchia* simpliciter audit, vigetque in multis hodie regnis.

Simili sensuum numero Aristocratia usurpari potest : 1. In sensu alieno, ubi optimates potestatem quidem propriam, sed nec supremam, nec independentem habent; hæc *Elacharchia* seu Principatus obnoxius aut inferior potestas appellatur : 2. In sensu et minus proprio et minus communi, ubi

Optimates seorsim et pro sua quilibet portione potestatem supremam ac liberam obtinent; hæc *Polyarchia* potius, et multorum singulares monarchiæ, quam unius reipublicæ regimen in pluribus residens vocari meretur : 3. In sensu proprio et communi, ubi optimates conjunctim, seu aliqua eorum collectio et cœtus ; supremam potestatem indivisam possident, quantumvis unus aut aliqui præsint, prærogativa meri ordinis aut dignitatis; hæc *Aristocratiæ* simpliciter dictæ nomine intelligitur. Porro ex geminis politiæ formis, Polyarchia et Aristocratia, cum nullo Monarchiæ genere, neque Elacharchia cum Autarchia conciliari, integræque una in imperio stare possunt; quia utrobique unitas vel solitudo pluralitatem aut consortium imperantium excludit. Quo minus tamen Elacharchia cum Monarchia simpliciter dicta in unum regimen confluere possint, nulla obest contradictio; cum suprema potestas in uno non prohibeat minorem et obnoxiam reperiri in multis propriam.

Demum quæ ex speciebus hujusmodi conjungi una nequeunt, amittere aliquid proprii debent, ut miscelam ac temperamentum faciant, et prodeat aliquod tertium : quæ vero conciliari non repugnat; in conjunctione quidem detrimentum haud patiuntur, sed nec attemperari proprie dicenda sunt. Quodnam ex tam variis sive simplicibus sive mixtis formis regimen Ecclesiæ a Christo fundatæ conveniat, quantumvis ex hactenus dictis facile colligatur; breviter tamen omnes classes percurrendo annotare hic juvat.

161. Et 1° quidem : nefas est cogitare conditam in Christi Ecclesia Anomarchiam. Disposuit enim hic Deus omnia in mensura et numero et pondere : Christus edidit leges fundamentales suæ Ecclesiæ; atque ab ejus gubernatoribus tyrannidem, dominatum et arbitrarium regimen, mandatis Matth. 20. 1ª Petr. 5 alibique datis, dimovit. 2° Autarchiam quidem in Ecclesia observare licet, si ad regiminis Ecclesiastici auctorem et caput invisibile, Christum scilicet, illam referamus. Christus enim omnem a Patre potestatem traditam obtinet : Christus dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam vero Prophetas aut Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores : Christus imperat, regnat, baptizat et omnia agit per Ecclesiæ præpositos, tanquam Legatos, ministros et dispensatores suos. Si vero ad subjecta potestatis visibilia traditamque hominibus regiminis formam attendatur; hæc monarchiæ species nec præsto est, ut manifeste patet; nec exigi etiam potest : quia Ecclesia regnum Christi est, non autem hominis imperantis; et quicumque præsidet, Christi nomine imperat, ejusque est Vicarius. 3° Superest Monarchia simpliciter dicta; quam in Ecclesia a Christo esse institutam probat tum Primatus Petri hactenus assertus, tum rationes núm. 158 in Confirm., utr. part. deductæ.

162. Hanc vero Monarchiam suo in genere esse perfectam, nec admixtione *regiminis Aristocratici* diminutam aut alteratam, patet : 1° quia stante Ecclesiæ unitate alibi probata, nequit admitti *Polyarchia;* cum ipse præsens Articulus satis ostendat, potestatem cujuscumque ecclesiasticam Primatui Petri subditam esse et obnoxiam : 2° quia nec Aristocratia simpliciter dicta locum in Ecclesia habet, cum præter proxime opposita pateat, nullum Optimatum cœtum aut a Christo fuisse institutum, aut collectum hactenus durasse, a quo suprema Ecclesiæ potestas administretur; omnis etiam celebratus adhuc in Ecclesia conventus jure et facto pendulus fuerit a Petro aut

ejus Primatum tenente, ut et supra dictum est, et infra uberius demonstrabitur. 3° Quia quæ est in Ecclesia Elacharchia, nihil proprietatis aut perfectionis detrahit ex Monarchia. Quantumvis enim Episcopatus sit ab ipso Christo institutus, Episcopi etiam Principes sint Ecclesiæ suæ proprio et non vicario nomine, veri itidem judices nec consiliarii tantum; hæc tamen prærogativa sicut eos non eximit a subordinatione et dependentia, qua Capiti Ecclesiæ et Christi vicario sunt obnoxii, sic nec hujus potestatem ab eorum auctoritate, sententia, aut concursu facit aut supponit suspensam : adeoque istud Aristocratiæ genus formam regiminis haud afficit, nec Monarchiam attemperat.

Quare qui ob hanc qualemcumque conjunctionem regimen Ecclesiæ mere monarchicum negant, vel monarchicum Aristocratia temperatum appellant, minus accurate minusque proprie loqui convincuntur; cum aut Monarchiam aut Aristocratiam alieno vel improprio sensu intelligi oporteat, temperamentum autem suo effectu spoliare sit necesse.

Quæres : *An et quamdiu Sanctus Petrus sederit Romæ?*

163. *Nota.* Quæstio de Petri commoratione et Episcopatu Romano non tam appendix est prioris, quam prologus galeatus posterioris Articuli, quo summos Pontifices in Primatu successores Petri statuemus. Hanc ut iis prærogativam prodroma inficiatione eripiant Heterodoxi, post Guillelmum quemdam Wicleffi præceptorem, Udalricum Velenum Lutheranum, et Calvinum, l. 4 Inst., c. 6, § 15, pro varia sua eruditione, negant alii quidem Petrum unquam venisse Romam; alii, quamvis venisse Romam eum concedant, negant tamen Romæ eumdem vel fuisse Episcopum, vel ibidem obiisse, vel ad mortem usque Episcopatum Romanum retinuisse. Licet autem ad assertionis futuræ defensionem, ut necessarium, sic sufficiens sit ostendere quod Petrus Romanum Episcopatum semel susceptum nunquam dimiserit; quoniam tamen singulæ negationes falsæ sunt, ad uberiorem rei satis utilis cognitionem, oppositam veritatem distinctis assertionibus demonstrabimus. Pro faciliori porro dicendorum intelligentia præmittere juvat brevem gestorum a Petro huc spectantium chronotaxin, in qua efformanda ad aliquot capita tanquam vel supposita vel postulata nobis attendendum putamus.

Eorum 1. est Salvatorem nostrum passum esse anno æræ communis 29 sub consulatu duorum Geminorum; ut docent Tertull. adv. Judæos, Lactant. l. 4 de vera sap., Chronicum Liberianum in Procem.; Aug., l. 18 de Civ. Dei, c. 54 et alii.

2. Apostolos, antequam dividerentur in universum orbem, duodecim annis perstitisse in Palæstina; ut Clem. Alex., l. 6 Strom. et Apollonius apud Euseb., l. 5 Hist., c. 28 indicant.

3. Facta Apostolorum divisione, Petrum Antiochiæ fundasse Ecclesiam; ut Chronicon Eusebii et Alexandrinum docent : quibus accedens Greg., l. 6, epist. 37 solus pro mansione Antiochena assignat septennium. Verum, si salvum ac integrum velis caput præcedens, legi oportet triennium, emendando scilicet mendum, quod hic numero III. in VII. facile mutato exortum videtur.

4. Diversimode assignari Petro 25 annos; a Lactantio quidem l. de Mort. persecut., c. 2 et a Chronico Liberiano a Tiberii tempore usque ad initia Neronis, quos scilicet numerari oportet pro Vicariatu Christi Petrino : ab

Eusebio autem in Chronico et Hieron de Script. Ecclesiasticis usque ad mortem, quos sumere decet pro Petri cathedra seu Episcopatu Romano.

5. Petrum et Paulum, elapsis post passionem Domini annis 37, fuisse martyrio coronatos ; ut Hieron., Chrysost., Pontificale Romanum, Isidorus et alii apud Henschenium et Pagium testantur.

Habita harum epocharum ratione sequitur hæc Chronologia.

Æræ Christi communis Anno 27, initium duodecim annorum ab Apostolis prædicationi in Palæstina impensorum. — An. 29. Salvatore in cœlum assumpto, PETRUS suscipit vicariatum Christi, et annos 25. a Lactant. et Chronico Liber. numeratos inchoat. — An. 30. conversio S. Pauli. — An. 33. Paulus Hierosolymam primo veniens videt Petrum et Jacobum. — An. 37. Tiberio succedit Caius Caligula. — An. 39. divisio Apostolorum : Petrus Antiochiam delatus, ibidem sedem erigit. — An. 41. Occiso Caio, Claudius ad Imperium vocatur. — An. 42. Jacobo jussu Herodis Agrippæ interempto, affligitur Ecclesia, accurrens Antiochia Petrus etiam ipse occidendus carceri datur : sed liberatus ab Angelo discedit Romam.

Inde initium Episcopatus Romani et 25 annorum a Scriptoribus Ecclesiasticis magis celebratorum. — An. 44. Paulus secundo appellit Hierosolymam; qui adventus in ep. ad Galat. relatus congruit cum illo Actor. 11 descripto. — An. 49. Judæis, sub quibus et Christiani veniebant, Roma expulsis, Petrus primo discedens ex urbe Hierosolymam abit. — An. 50. Concilio ibidem de Legalibus celebrato præest. — An. 54. Defuncto Claudio, sub Neronis initia, eodem et sequenti Judæi Romam redeunt, et cum Christianis Petrus. Clauditur hic *prima* 25 annorum epocha. — An 56. S. Lino constituto Romæ vicario seu coadjutore, Petrus seu primis seu repetitis vicibus excurrit in Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam et Bithyniam. Subin redux, An. 67. Martyrium sub Nerone patitur, socium passionis nactus Paulum, finiente hic et *secunda* 25 annorum epocha, et 37 post Christi mortem jam ante completis.

164. *Respondeo I.* **S. Petrus fuit Romæ, quorsum primo venit anno 2 Claudii.**

Prob. 1ª p. Petrus in epist. 1, c. 5, v. 13 hæc scribit : *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, et Marcus filius meus.* Ex his certum est 1° Petrum fuisse Babylone : 2° Hanc Babylonem non fuisse urbem sub hoc nomine historicis alias notam ; cum juxta Josephum, l. 18 Antiq., c. 12 tempore Caii in Babylone Assyriorum Judæi omnes vel occisi vel expulsi fuerint; Babylon autem Ægyptiorum juxta Strabon., l. 17 castellum duntaxat et locus obscurus fuerit : adeoque neutro in loco potuerit Ecclesia esse electa et collecta : 3° Hinc nomen hoc urbis non fuisse proprium et historicum, sed alienum et symbolicum; atque a Petro ad tegendam suam commorationem aliaque incommoda evitanda usurpatum.

Sed sub hoc *Babylonis* schemate designatam fuisse urbem Romam, probat 1° similitudo hujus urbis tum idololatræ, tum dominantis, cum priore, quam Tertull., l. 3 contra Marc., Aug., l. 18, de Civ., c. 22 et Leo, Serm. 1 de Natal. Apostol. exponunt : 2° Usurpatio similis a Joanne, c. 17 Apocalypsis, quam Tertull., l. contra Judæos, c. 9 declarat : 3° Aperta antiquorum interpretatio ; sic enim Euseb., l. 2 Hist., c. 15 testatur : *Papias et hoc dicit, quod Petrus in 1ª epistola sua, quam de Urbe scripsit, meminerit Marci, in qua tropice Romam Babylona nominavit, cum dicit : salutat*

vos, etc. HIERON. de Script. Eccl. in Marco ait : *Petrus in epist. 1ª sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans, salutat, inquit, vos Ecclesia, etc.* Ergo.

Conf. S. PETRUM baptizasse Romæ, testatur Tertull. l. de Baptismo : ibidem obvium habuisse Christum, narrat Ambros. in. orat. contra Auxentium : edidisse miracula plura universim Caius in disp. cum Proclo, et Oros. l. 7 Hist. enuntiant : vicisse speciatim Simonem magum; Arnob., l. 2 adv. Gent.; Euseb., l. 2 Hist., c. 14; Cyrill. Hieros. Catech. 6, § 15; Epiphan., Hær. 21; Aug., Hær. 1; Hieron., de Script. Eccl. in Petro; aliique memorant : MARCUM denique Romæ Evangelium scripsisse, prout ibidem a Petro prædicatum audierat; Clem. Alex., l. 5 Hypoth.; Euseb., l. 2 Hist., c. 15; Hieron., de Script. Eccl. in Marco annotant.

Prob. 2ª *p.* Fidem faciunt EUSEB., l. 2 Hist., c. 13 scribens : *Sub ipso Claudii Imperio, benigna et propitia Dei erga humanum genus providentia reliquorum omnium Apostolorum principem Romam versus quasi manu deduxit;* OROSIUS, l. 7 Hist., c. 6 : *Exordio regni Claudii Petrus Apostolus Romam venit, et salutarem cunctis fidem populum docuit;* HIER., de Script. Eccl. in Philone : *Aiunt Philonem, cum secunda vice venisset ad Claudium, in eadem urbe locutum esse cum Petro, ejusque habuisse amicitias;* ibidem autem in Petro ait : *Simon Petrus post Episcopatum Antiochensem secundo Claudii anno ad expugnandum Simonem magnum Romam pergit.* Ergo.

Conf. Annus, completos a passione Domini 37 annos excipiens, est annus Æ. C. 67; quia anni 37 additi anno 29 in æra communi vitam Christi finienti reddunt 66 annos cum aliquot mensibus : sed ab hoc 67 anno retrograde 25 annos, queis Petrus Romæ sedit, decerpendo, initium captæ sessionis incidit in æræ com. annum 42, qui est annus Claudii 2 : ergo adventus Petri Romanus, cum initio hoc congruens, in eumdem annum incidit.

165. *Respondeo II.* **S. Petrus martyrium subiit Romæ sub Nerone, anno hujus 13.**

Prob. 1ª *p.* Patres tum Græci, tum Latini, in hoc facto conspirant; ex quibus a Bellarm. de Rom. Pontif., c. 3 relatis, aliquot duntaxat laudasse sufficiat. DIONYS. Corinth. ap. Euseb., l. 2 Hist., c. 25 sic de Petro et Paulo loquitur : *Ambo in hac urbe simul docentes, etiam martyrio pariter uno eodemque tempore coronati sunt;* ipse autem Eusebius id Chron. ad an. 17 inquit : *Primus Nero super omnia scelera sua etiam persecutionem in Christianos fecit, in qua Petrus et Paulus gloriose Romæ occubuerunt;* TERTUL., l. de Præscript., c. 36 : *Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est : ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt! ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur.* ATHANAS., in Apolog. pro fuga de Petro et Paulo scribit : *Cum audissent oportere se Romæ martyrium subire; non abjecerunt eam profectionem, sed potius cum gaudio abierunt,* etc.

Conf Ex corporibus PETRI et PAULI Romæ sepultis, quin extet nullum historiæ aut testimonii vestigium de posthuma illorum huc translatione; ex confluxu Nationum ad Apostolorum limina peregrinantium; ex omnium ætatum ac populorum persuasione et consensu circa hoc factum : nnde Euseb. l. Hist. cit. testimonia scriptorum seponens inquit : *Horum testimonium quærere extrinsecus superfluum puto; cum rem gestam insignia usque in hodiernum et splendidissima eorum monumenta testentur.*

Prob. 2ª *p.* Similiter hoc Patres nonnulli indicant. Nam Orosius, l. 7 Hist. cit. de Nerone ait : *Primus Romæ Christianos suppliciis et mortibus affecit; ipsumque nomen extirpare conatus, beatissimos Apostolos, Petrum cruce, Paulum gladio occidit.* Hieron., de Script. Eccl. in Petro de eodem scribit : *Ibique* (Romæ) *annis cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum Neronis, id est, 14 annum, a quo et affixus cruci martyrio coronatus est, capite ad terram verso.* Hoc in textu, cum Nero ultimum suum annum ad nonam tantum Junii perduxerit, Τὸ *usque* sumitur exclusive; vel indicatur annus Æ. C. 67 qui usque ad Octobrem 13, ab hoc mense 14 Neronis annus fuerat. Isidor., in vita Petri ait : *Septimo et tricesimo anno post passionem Domini a Nerone Cæsare in urbe Roma crucifixus est.* Vid. Reliquos num. 163 laudatos.

Conf. Præter argumentum ex suppositis chronologicis manifestum, accedit aliud ex Chronologia Lini. Huic Chronicon Damasi sedis annos tribuit undecim, cum mensibus aliquot; Epiphan., Hær. 27. annos duodecim, ultimo scilicet tantum inchoato; Chronicon Liberianum Pontificatus initium sub Saturnino et Scipione, finem sub Capitone et Rufo consulibus; unde sequitur annum Lini 1 cum 2 Neronis et 56. Æ. C.; annum postremum cum 13 Neronis et 67. Æ. C. concurrere. Atqui Baronius cum aliis Petrum fuisse passum sub Capitone et Rufo docet, Kerkherdere aliique Linum aliquot duntaxat mensibus solum gessisse Pontificatum volunt : ergo Petrus fuit mortuus anno Neronis 13. Æ. C. 67.

166. *Respondeo III.* **S. Petrus fuit Romæ Episcopus, ad mortem usque.**

Prob. 1ª *p.* Petrus Romæ prædicasse fidem, scribitur ab Euseb., l. 2 Hist., c. 13 et 14, ab Orosio, l. 7 Hist. cit., a Clem. Alex. l. 4 Inst. c. 21 a Theodos. Imp. l. *cunctos* C. *de Sum. Trinit.* fundasse Ecclesiam Romanam asseritur ab Irenæo, l. 3 adv. Hær., c. 3 et Theodoreto in epist. ad Leonem : Primus Romæ Episcopus nominatur ab Epiphanio hær. 27, a Sulpit., l. 2 Hist. sac. et ab Ambros., l. 3 de Sacram., c. 1 tenuisse sedem vel cathedram Romæ legitur apud Optatum Milev., l. 2 contra Parmen.; Hieron., de Script. Eccles.; Aug., l. 2 cont. lit. Petil., c. 51 et Prudent., in Hymn. de S. Laurentio. Ergo.

Conf. Ex Act. c. ult. et epist. ad Rom. c. 1, v. 8 et 11 : constat ante Pauli adventum floruisse Romæ Ecclesiam fidelium : hæc autem fundata ab alio non fuit quam a Petro, cum Judæorum conversorum nullus prædicare gentibus sit ausus, antequam Act 10 Petrus ad hoc munus cœlesti visione est excitatus : Barnabas autem, quem præcursorem Petri quidam tenere fingunt, ab hoc tempore diu comes Paulo iudividuus adhæserit : ergo.

Prob. 2ª *p.* Qui in Episcoporum Urbis serie constanter laudatur ut primus, cuthedræ urbis suum tribuit nomen, Episcopo ac sedi ejusdem hæreditariam communicat auctoritatem sibi soli propriam, is non institutor tantum, sed et absque mutatione constans Episcopatus possessor, atque hinc ad mortem usque detentor censeri debet : sed Petro hæc omnia respectu Episcopatus Romani ad amussim conveniunt. Nam 1º Is in Romanorm Episcoporum catalogo a Tertul., l. de Præscript., c. 32; Optat. Milev., l. 2 contra Parmen.; Aug., epist. 261 ad Generosum; ab Epiphan. hær. 27,, a Dorotheo in synopsi aliisque nominatur primus : idem 2º tribuit Romanæ cathedræ suum Petri nomen, quo illa apud Cyprian., epist. 55 ad Cornel.; Hieron.,

epist. 57 ad Damas.; Aug., l. 2 contra lit. Petil., c. 51; Prosp. in carm. de ingratis, alibique tum in Conciliis tum in historicis compellatur : Is idem 3° principalem auctoritatem ac primatum Romana in sede successoribus communicatum reliquit, ut Iren., l. 3 adv. hær., c. 3; Cypr., l. 4, epist. 2 aliique Art. seq. referendi testantur : ergo.

Conf. Petrus ex dictis Romæ fuit Episcopus, ibique est mortuus : ergo Romanus Episcopus fuit ad mortem usque, nisi vel Episcopale munus penitus dimiserit, vel sedem alio transtulerit, vel particularem curam in universalem episcopiam mutaverit. Atqui nec Episcopale munus abjecit penitus; cum nulla rei hujus extet ullibi memoria : nec sedem alio transtulit; cum nulla Ecclesia præter Romanam et Antiochenam Petrum pro Episcopo suo proprio laudet; Antiocheni autem Petrum perpetuo Antiochiæ perstitisse ipsi negent; *Onuphrius* etiam *Patavinus*, Antiochenam cathedram post Romanam tandem a Petro fuisse erectam docere ausus, refutetur ab opposito antiquorum omnium consensu, et ab universali recentiorum negatione repudietur : nec dimissa particulari universalem curam assumpsit; cum adversarii, qui hic sunt heterodoxi, universalem Episcopatum Petro denegent, ejusque munus, ut Joannis ad Ephesinam, Jacobi ad Hierosolymitanam, sic Petri ad particularem Ecclesiam restringant : ergo.

167. *Objic.* Historia de Petro asserta non congruit cum gestis S. Pauli, sive ante, sive sub, sive post hujus Romam adventum : ergo.

Prob. Ant. 1° Paulus ante adventum scribens ad Romanos, multos nomine proprio compellatos salutat, nulla Petro impertita salute : ad Galatas autem scribens datum vult Petro Apostolatum circumcisionis, sibi autem præputii seu gentium : 2° Romam veniens Act. 28 habuit sibi obvios fratres. Petro inter eos non viso : ab iis etiam, utpote rerum christianarum adhuc ignaris, rogatur opinionem suam de Christianorum secta aperire : 3° Romæ de incolis scribens ad Philippenses, dicit omnes, quæ sua sunt, quærere; ad Timotheum 2ª, se ab omnibus desertum in prima sua defensione; ad Colossenses, sibi adjutores in regno Dei solos tres esse, non nominato Petro. Sed prima sunt incongrua, altera incredibilia, postrema etiam Petro injuriosa : ergo.

R. ad Arg. — *N. A.* Ad ejus *probationes* universim *R.* eas vel ut negativas nihil positivis nostris obesse, vel ut loquentes de tempore absentiæ Petri ab Urbe ad rem non pertinere.

Speciatim *ad 1. R.* Prius accidit, dum Petrus primo Roma abesset; nihil probat, si distinctas ad Petrum, ut poterat, Paulus litteras dedit; probat nimium, cum simile argumentum evincat, nec Timotheum Ephesiis, nec Jacobum Hebræis præfuisse. Posterius partitionem hanc Apostolatus nec ut perpetuam, ut inviolabilem statuit, contrariis factis a Luca in Act. passim relatis; quin suppositis gratis his conditionibus, abundabant Romæ Judæi, e quibus initia Ecclesiæ a Petro colligi poterant.

Ad 2. R. Vel absentia Petri altera, vel prudenter restrictus ad paucitatem numerus occurentium fecerat ne Petrus inter obvios Paulo factos reperiretur. Qui de Christianorum secta sententiam Pauli rogabant, vel Judæi erant necdum conversi, vel cupidi disserentem de Religione audire Paulum Legis peritissimum : omnes certi Romani Christianæ rei ignari dici nequeunt; quorum nempe fidem annuntiari ubique, ipse Paulus in epist. ad Roman. asserit.

Ad 3. *R.* Apostolus in epist. 1ª loquitur de iis duntaxat qui mitti a se poterant; ad quorum numerum Petrus utique non pertinebat : in 2ª agit de charis Cæsari et auxiliari valentibus, in quorum classe Petrus, si tamen tempore primæ Pauli defensionis erat Romæ, certe non fuerat : in 3ª sermonem habet de concaptivis sibique ministrantibus, ideoque a Petro distinctis.

Inst. 1. Haud melius convenit cum scriptis et factis historicis aliis. Patet *primum* ex eo quod 1º Lucas in Actis Apost. de Romana Petri perfectione non meminerit : 2º Josephus Judæus, quantumvis Christianorum amicus et Romæ suam historiam sub Nerone concinnans, neque mentionem de Petri martyrio faciat : 3º Clemens in ep. ad Corinthios de martyrio Petri et Pauli agens, Romæ tamen eos passos haud dicat. *Secundum*, quia 1º Augustin. ep. 86 certamen Petri cum Simone Mago fabulis accenset. 2º Occursus Christi Petro Roma fugere paranti factus, a solo Ambrosio relatus, ad somnia videtur referendus : 3º Acta Lini Petrum et Paulum diverso tempore et loco passos narrant : 4º Hieron., l. 4 in Matth., c. 23. Apostolos hos in Judæa passos insinuat. Ergo.

R. — *N. A.* Ad ejus Prob. 1 generatim dico flaccidum esse illud argumentum : non est scriptum, ergo non est factum; ut ex innumeris apud omnes liquet. Singillatim *R.* Lucas non Petri, sed Pauli potissimum, cujus comes fuerat, acta referenda suscepit, quin tamen et hujus gesta omnia recensuerit, quæ Paulus in suis epistolis plura adjicit. Josephus licet non admodum Christianis adversus accusetur, eorum tamen ac rerum ad ipsorum laudem spectantium adeo studiosus haberi nequit : præterea ipse l. 2 de bello Jud., c. 11 declarat, silentio a se præteriri Neronis scelera, ne scilicet displiceret Imperatoribus. Clemens martyrii locum notare nec ratione historiæ, quæ notissima erat Christianis, nec ratione scopi debuerat; cum ageret de Corinthiorum invidia, quæ quanta mala crearet, ex martyrio Petri et Pauli, ubicumque demum facto probabat.

Ad 2. *R.* Aug. negat duntaxat jejunii sabbatini originem haberi ex eo quod Petrus certamini cum Simone præmisisset. Ambrosius minime solus est hujus visionis auctor; sed eam attingunt etiam Athan. in Apol. pro fuga. Origen. Tr. 21 in Joan.; Hegesip. l. 3 de excid. Hieros., c. 2; Ether. et Beat. cont. Elipand., Innoc. III in cap. 13 : *Qui filii sint legitimi.* Acta Lini apocrypha sunt et nullius fidei; neque recusant benignam interpretationem, si necesse foret. Hier. Petrum Romæ passum l. de Script. Eccl. aperte enuntiat : hic vero non insinuat Petrum et Paulum passos esse in Judea; sed horum duntaxat mortem conjungit cum aliorum Apostolorum nece, non ratione loci aut temporis, sed ratione mentionis de donis discipulorum Christi.

Inst. 2. Chronologia historiæ adjuncta nititur suppositis quinque, quorum aliqua sunt falsa. Contra *secundum* enim pugnat 1º quod Tillemontius de hac traditione nihil reperire potuerit in Clemente citato; Apollonius autem mansionem Apostolorum intra mœnia Hierosolymæ constringat : 2º quod ex Actis Apost. constet, Apostolos in Samariam, Lyddam, Joppen et Cæsaream primis post Christi mortem annis excurrisse; ex aliorum autem calculo, Petrum post 4 vel 5 annos Antiochenam cathedram erexisse, reliquos Apostolos autem in orbem sparsos : 3º quod cum tot annorum mora conciliari nequeant Pauli itinera et Ecclesiarum fundamenta jacta; neque illius prudens ratio assignari. Contra *tertium* obstat 1º quod Euseb. in Chronico

mansioni Antiochenæ tribuat annos 25, Gregorius, an. 7, nos vero 3 duntaxat : 2° quod non sit potior ratio decerpendi ex annis sessionis Antiochenæ, quam de commoratione Apostolorum in Palæstina.

R. ad Arg. — *N. Ass.* Supposita omnibus sunt communia et a plerisque admittuntur, licet in iis ad suum systema conformandis variæ sint variorum sententiæ. Ut planiorem, sic et verosimiliorem esse nostram, non tantum ex testimoniis sup. allatis, sed et ex responsionibus mox dandis constabit.

Quæ enim contra *secundum* objiciuntur, ad eorum 1. *R.* Quod Tillemontius non repertum a se scribit, Sollerius Tom. 4, Jul. Exercitat. 3 de Apost. legit in tribus editionibus, et recitavit : Apollonii verba quidem ad metropolim, sensum vero ad Palæstinæ regionem referendum esse, tum facta, tum sana ratio, tum Scriptorum consensus docent.

Ad 2. *R.* Quæ hic recensentur urbes, intra Palæstinam omnes sunt : quod de profectione Petri Antiochena post quinquennium statuitur, extensio non tantum est extra metropolim, sed et regionem ; cum Syria nunquam Palæstinæ pars audierit : quod additur de dispersione Apostolorum, aperta est violatio supposititi historici, auctoritate et traditione firmati.

Ad 3. *R.* Neque debent cum annorum 12 mora conciliari prædicationes Pauli et Ecclesiarum fundationes ; quia nec ille prædicaverat sub Christo, nec a Judæorum, sed Gentium conversionem principaliter vocatus erat Apostolus, unde nec ipse præcepto hoc tenebatur : neque tamen deest ratio dati Apostolis aliis mandati ; ut nempe sicut Christus primario missus erat ad oves Israel, ita Apostoli durarent apud eosdem, dum spes erat earum salutis ; postea, cum Evangelium ab iis rejiceretur, converterentur ad gentes et alias orbis partes.

Quæ contra *tertium* opponuntur, ad eorum 1. *R.* In editione Eusebii Basileensi hic esse mendum advertunt omnes, nonnullis arbitrantibus annos 5 ponendos, ut cum 7 Gregorianis, quoad initium et finem haud integris, concilientur : alii melius quemcumque annorum numerum errore typographi insertum volunt ; cum in manuscriptis et aliis editionibus absit numerus et annus omnis : Gregorii numerus septenarius qua ratione mendosus evadere potuerit, num. 160 est dictum.

Ad 2. *R.* Ratio potior decerpendi aliquid ex hoc septennio quam illa annorum duodecade, stat in eo quod unus et posterior Gregorius, nec laudato testimonio, suum annorum numerum addat : duo autem, et antiquiores, et ad traditionem provocantes, et laudati ab Eusebio, suos annos edicant.

Inst. 3. Eadem chronologia difficultates patitur in Epocha primi Romam adventus, Prob. 1° Quia Tiberii tempore Christianos jam Romæ fuisse, testantur Clemens l. 1. Recognit. Barnabam primum fidei ibidem prædicatorem faciens, et Orosius l. 7 hist., c. 4 referens Senatus Consultum de exterminandis urbe Christianis : 2° Quia Petrus modo circa an. Æ. C. 44 e carcere Hierosolymitano liberatus videtur ; cum Herodes Agrippa sub finem anni primi Claudii Roma primum discesserit ; an. 2. Hierosolymam veniens regni initia persecutione Christianorum turbare certe noluerit ; mox autem a persecutione, ut Act. 12 innuitur, obierit, secundum Josephum aliosque an. Regni 3 completo : 3° Quia secundum epistolam ad Galat. an. Conversionis 14. Æ. C. 44. Paulus Petrum Hierosolymæ convenit : 4° Quia teste Lactantio, l. de Morte persecut., c. 2 cum jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit.

R. Nulla hic chronologia affertur quæ careat difficultatibus : quod si no-

ceret historiæ, nihil, ut alia præteream, certum de ortu et morte Christi haberemus. Cæterum difficultates objectæ facilem solutionem habent.

Ad 1. *R.* Argumentum hoc sup. Probationibus jam est confutatum : nec accipit pondus sive ex libris Recognitionum, utpote apocryphis et Clementi falso adscriptis, sive ex Orosio, qui ibid. testatur, nullam sub Tiberio adhuc Romæ fuisse Christi Ecclesiam : unde decretum istud Christianos tantum, Romæ negotiorum causa adventantes, spectabat.

Ad 2. — *N. A.* Chronologia Agrippæ rem nostram potius juvat. Is enim a Caio jam donatus Tetrarchia Galilææ, a Claudio etiam, mense Januario ad Imperium assumpto, principatu Judææ et Samariæ auctus, atque Præsidibus Provinciarum commendatus, non multo post Claudii initia deferebatur in Judæam. Hic res Judæorum Ecclesiasticas primum aggressus, ut ex mutatione Pontificum Synagogæ facta liquet, nihil pronius habuit quam ut ad novellam Christi religionem exscindendam ferretur, indeque, ut captaret Judæorum animos, Jacobo occiso, Petrum etiam morti destinaret. Quod de morte Agrippæ in Actis Apost. subjicitur, sicut cum persecutione Christianorum, tanquam causa, non erat conjunctum, sic nec tempore : unde narratio continuata liberati Petri discessum ad Claudii an. 4 non retrahit, cujus adventum Romæ tot sup. allata testimonia an. 2 adscribunt.

Ad 3. *R.* An. Æ. C. 44. Paulum Hierosolymis fuisse ipsi in Chronologia asserimus : sed Cepham, quem junctis dextris sibi conciliavit, postea autem Antiochiæ reprehendit, eumdem esse cum Petro negamus.

Ad 4. *R.* Venit quidem Petrus, cum Nero jam imperaret, Romam secundo non autem primo; cum ipse Lactantius ibid. præmittat, Apostolos per 25 annos usque ad principium Neroniani imperii per omnes Provincias et civitates (quas inter Roma certe fuerit) Ecclesiæ fundamenta misisse.

Inst. 4. Eadem est difficultas in Epocha mortis a Petro obitæ. Prob. 1° Quia an. 13. Nero juxta Xiphilinum in epitom. Dionis, Roma absens agebat in Græcia : 2° Quia teste Orosio, l. 7 Hist., c. 5 post persecutionem, qua Petrus et Paulus etiam perierunt, clades et pestis oppresserunt; quæ notante Tacito, l. 16. Annal. et Sueton. c. 39. Nerva et Vestino Cons. h. e. an. Neronis 11, Æ. C. 65 evenerunt : 3° Quia Chronicon Liberianum de Petro sic habet : « Passus die 3 Calend. Julias, consulibus Nerva et Vestino, imperante Nerone. »

Ad 1. *R.* Quem Philostr. in vit. Apollon., l. 4 in Achaiam sub consulatu Telesini seu an. Ner. 12 abiisse dicit, eumdem sub Capitone et Rufo seu an. 13 triumphantem Neronem Suetonius c. 25 reducit; unde Xiphilinus facile explicatur : qui si expositionem non admitteret, poterant Petrus et Paulus septem jam mensibus carcere detenti, etiam absente Nerone, subire martyrium.

Ad 2. *R.* Ex Suetonii et Taciti calculo cœptam mox Christianorum persecutionem exceperunt plagæ; ab Orosio non item mors Apostolorum inter persecutionis initia refertur : unde inchoatam an. Æ. C. 65 principio crudelitatem subsequens autumnus poterat ad terrorem inferre illa mala; nec tamen territa, sed sicut in Provincias diffusa, sic per gradus ascendens sævities, altero post anno, ad extirpandum ipsum Christi nomen, Apostolis manus injecisset; quæ videtur esse sententia periodi Orosianæ.

Ad 3. *R.* Appellatio consulum infidelis est et mendosa. En fragmentum huc pertinens : « Petrus annis 25 fuit, temporibus Tiberii Cæsaris, et Caii, et Tiberii Claudii, et Neronis, a consulatu Vinicii et Longini usque ad con-

sulatum Nerv. et Ves. Passus autem cum Paulo die 3 calendas Julias Consulibus supradictis, imperante Nerone. Linus fuit temporibus Neronis, a Consulatu Saturnini et Scipionis usque Capitone et Rufo. » Ea in lectione mendum non unum cubare, ipsa computatio ostendit. Si enim per sigla *Nerv. et Ves.* accipiatur Nerva et Vestino; a Cons. Vinicio et Longino, qui an. Æ. C. 30. præsidebant, usque ad Nervæ et Vestini consulatum, an. Æ. C. 65. congruentem, non 25 sed 35 anni numerandi sunt : si vero sub siglis sic restitutis *Ner. et Vet.* intelligatur Nerone et Vetere, Consulibus an. Æ. C. 55 signantibus; retinebitur quidem numerus 25 annorum notatus, sed mors Petri subjecta ad *Consules supradictos* h. e. Neronem et Veterem referri tunc nequit.

Postremum errorem corrigendi modus tanquam facillimus nobis probatur iste : ut solum sensus de morte Petri, loco suo amotus, subjiciatur post sententiam de Lino. Hac enim transpositione facta, anni 25 Consulatum Vinicii et Longini inter ac Consulatum Neronis et Veteris positi sibi constabunt; *Consules* autem *supradicti* ad Capitonem et Rufum relati annum martyrio Petri hactenus assertum rite designabunt.

168. *Observa.* Ex dictis probabilius apparet, Petrum non voluntario consilio et facto mero, sed voluntate Dei et mandato, et sic aliquo Jure Divino, venisse Romam ac ibidem ad mortem usque mansisse. Huc enim spectare videtur, dum Euseb., l. 2 Hist. cit. dicit, benignam et propitiam Dei erga humanum genus providentiam Petrum Romam *quasi manu deduxisse;* Clemens Alex., l. 6. Hypoth. Petrum *Spiritu sancto afflatum* Romæ Evangelium prædicasse asserit; Leo, Serm. de Pet. et Paul. *divinis prædordinationibus* id factum ait : dum *impulsum* aut *mandatum Dei* memorant, qui Petri cum Simone Mago certamen referunt : dum denique Athan., l. c. scribit audivisse Petrum, quod *mortem Romæ subire oporteret;* dumque alii sup. laudati, Petrum *occurrente et monente Christo* Romam ad martyrium rediisse, narrant. *Voluit autem Christus*, ut Gelasius in Decr. de Scriptur. apocryphis inquit, *Petrum Romæ pati, ut morte Petri Primatus in Romana sede firmaretur;* de quo nunc agendum venit.

ARTICULUS II.

AN ROMANUS PONTIFEX OBTINEAT PRIMATUM ECCLESIÆ ?

169. *Nota I.* Quem Ecclesiæ Primatum frustra hactenus Petro negare conati sunt, eumdem majori etiam contentione, nec meliori fortuna, Romanis Pontificibus eripere laborarunt Schismatici æque ac Hæretici; inter primos præsertim Nilus, Archiep. Thessalonicensis et Sec. 14 scriptor, libro singulari; inter postremos, Novatores posteriorum temporum plerique : quibus postrema ætate jungere se non erubuerunt Scriptores Janseniani, effutientes, Pontificem esse duntaxat inter pares primum, sicque ordinis, non potestatis, primatum illi tribuendum. Contra, Catholicorum dogma fidei est, hanc auctoritatem Romano Episcopo convenire. Eamdem quidam secundum potentiam primigeniam et adventitiam dividunt in primaria et secundaria reservata : illis, quæ officia summi imperii (num. 155)

diximus, fere pleraque assignantes; His autem, quæ causæ majores vocantur, adscribentes.

170. *Nota II.* Nobis hæc distinctio non admodum necessaria videtur; sed ad enarratas num. cit. potestatis partes cœpto semel tenore attendimus, rati reliqua, quæ reservata secundaria appellantur, non tam ad potestatem adventitiam, quam ad potestatis primigeniæ usum et exercitium pertinere. Porro ad dogma Catholicum stabiliendum facilius, præter dicta hactenus de Petro tanquam supposita, præmittimus propositiones aliquas, velut dicendorum bases ac prærequisita.

I. Admittendus est *aliquis* in primatu Petri successor. Hoc enim exigit 1° perpetuitas Ecclesiæ; quæ sicut Matth. 16, v. 18, fundata est in Petra, sic sine hac stare et contra portas inferi prævalere nequit, ut ideo Ambr., in Psal. 40 scripserit : *Ubi Petrus, ibi Ecclesia :* 2° Gubernatio Ecclesiæ, in pastore Joan. 21, v. 17, ovibus Christi omnibus præfecto instituta; qui pastor unus ex Joan. 10, v. 16, durare debet, quamdiu oves Christi sunt et extat unum ovile; indicante id Aug. dum Serm. 24 de Sanct., c. 2, diceret : *In uno Petro figurabatur unitas omnium pastorum :* 3° Unitas Ecclesiæ; quæ sive juxta 1. ad Cor. 12, v. 21, ab uno capite corporis mystici, sive ab eadem regiminis forma derivetur; cessante illo, aut hac mutata, eamdem quoque desinere ac tolli necesse est; Cypr., ep. 55 contestante, *hinc oriri hæreses et schismata, quod unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus judex vice Christi non cogitatur.* Idipsum illustratur ex figura Synagogæ; cujus summum Sacerdotium per successionem continuatum idem ad Ecclesiam Christi usque perseveravit : item ex comparatione Petri cum Apostolis; quorum potestas Episcopalis etiamnum successionis beneficio constat, Apostolatus dignitate sic etiam duratura, nisi extraordinaria fuisset et pro fidei Ecclesiæque principiis duntaxat requisita, sed ad ordinarium regimen, ut primatus, necessaria : denique ex Patrum suffragio, quos inter Chrys., l. 2 de Sacerd. inquit : *Quanam de causa Christus sanguinem suum effudit? certe ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat;* et Leo, Serm. 2 de anniv. Assump. : *Manet dispositio veritatis, et Petrus in accepta fortitudine perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit : perseverat videlicet Petrus, et vivit in successoribus suis.*

II. Successor iste quovis tempore potest tantum esse *unus*, seu unica persona. Primatus enim per successionem eo modo conservari debet, quo est institutus; alias vel succederetur contra Christi institutionem, et illegitime : vel nova institutio, probari nescia, requireretur : fuit autem primatus penes unum Petrum et monarchicum regimen in Ecclesia et a Christo constitutum, ut posteriori art. est ostensum : ergo. Accedit quod, si plures Episcopi simul Petro succederent in primatu, id fieri deberet a pluribus, vel divisim et a singulis in partes, vel indivisim et a quolibet in solidum, vel collectim et ab omnibus in modum unius. Sed in primo scinderetur primatus, tolleretur unitas, et nullus istorum esset successor Petri adæquatus, contra ac Cypr., l. de unit. Eccl. dicit : *unum caput est, et origo una, et una mater fœcunditatis, successibus copiosa :* in secundo foret positive superior omnibus, sed negative tantum, seu non habens superiorem : prius autem facit, nullum esse successorem Petri, qui positive superior fuerat; posterius destruit rursus unitatem, et corpus Ecclesiæ monstrosum fingit; contra ac Cypr., ep. 52

scribit : *Cum post primum secundus esse non possit; quisquis post unum, qui solus esse debeat, factus est, non jam secundus illi, sed nullus est* : In tertio non successio foret, sed nova creatio seu alterius regiminis institutio, caritura tamen omni probatione. Præterea autem, præscindendo adhuc a comparatione Papæ cum concilio, primatus haud foret in multitudine dispersa, quin in primum aut secundum casum proxime refutatum impingeret : si autem penes congregatam tantum resideret; per plura secula subin primatus ab Ecclesia abesset, aut nullius saltem effectus potens foret; contra ac in 1ª prop. est demonstratum.

III. Istiusmodi successor debet esse *determinatus*, ac in individuo posse cognosci. Sicut enim ex Christi institutione Ecclesia vera in particulari visibilis est; sic ex fine primatus et Christi institutione necessarium est, illum Petri successorem in hac visibili Ecclesia, in sede determinata et successione esse visibilem : alioqui vel reipsa successor in primatu non esset; cum existere singularibus tantum ac individuis conveniat, vel confusa vagaque sive fides, sive existimatio de aliquo in terris primatu et vicaria Christi potestate, nec Ecclesiæ gubernationi nec fidelium instructioni prodesset.

IV. Nullus successor Petri in primatu alius, præter *Romanum Episcopum*, designari potest. Sive enim primatus conjunctus dicatur cum certo Episcopatu, sive ab eo liber et solutus, quo duplici modo diversis temporibus Petrus primatum tenuerat; neutra via ad successorem Petri devenire licebit, nisi in Romano Episcopo sistatur. Etenim, quod primum attinet, ne Patriarcharum quidem ullum successisse patet; cum Petrus sedem Antiochenam, auctoritatem suam retinens, deseruerit; Hierosolymitanam quantumvis præsens non occuparit; Alexandrinam nunquam adierit; Constantinopolitanam autem multo tempore posthumam ne noverit quidem; quoad secundum vero, quamvis concedatur Primatum et singularem Episcopatum duas esse dignitates distinctas et separabiles; certum tamen est, nonnisi unam personam Petro ubique successisse, adeoque vel illam personam simul fuisse hæredem primatus, vel primatum periisse : sed posterius asseri ex dictis non potest, nec prius etiam; cum persona illa, Romano Pontifice excepto, nequeat designari : ergo.

171. *Dico.* **Primatus Ecclesiæ, quem habuit S. Petrus, est penes Romanum Pontificem.**

Sequitur hæc assertio ex jactis hactenus principiis, ex quibus constat, Petrum habuisse primatum, eumque perpetuo duraturum; durationem hanc, cum stare in Petro mortali non posset, haberi per continuatam personarum in eadem dignitate successionem; Successores hos, non simultate, sed serie tantum esse plures, eosque determinatos ac singulares; solos denique Romanos Pontifices designari posse tanquam hujusmodi successores; tum quia hi uni Petro in Romana Sede mortuo successerint : tum quia Petri successores vel nulli sint, vel alibi sequentes, primatus hinc cum Petro abeuntis hæredes esse non potuerint. Eadem declarata et proposita est universæ Ecclesiæ in Conc. Florentino, quod in Decret. Unionis cum Græcis sic loquitur : *Definimus sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum, Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Eccle-*

siam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Idem docuit et declaravit nuperrimè Concilium œcumenicum Vaticanum et sententiam contrariam his verbis anathematisavit : « Si quis dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut Beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse Beati Petri in eodem primatu successorem, anathema sit. »

Nostra ergo propositio est de fide.

Probatur. Cui sedi aut Episcopo a Conciliis, Patribus et Scriptoribus Ecclesiasticis, communi testimonio adscribitur vel ipsa Primatus dignitas, vel Petri successio et hæreditas, vel Apostoli hujus actio et auctoritas, penes illum Primatus Ecclesiæ statuendus est : sed Romanæ Sedi et Episcopo hæc omnia et singula adscribuntur a memoratis testibus : ergo.

Et quidem, quoad 1. Primatum disertis verbis adjudicant, in Conc. Chalcedonensi, Act. 16, Judices sic elocuti : *Perpendimus omnem primatum et honorem præcipuum secundum Canones Antiquæ Romæ Archiepiscopo conservari.* Epistola Adriani ad Tarasium in Nicæno II, Act. 2, lecta et probata sic habet : *Cujus Sedes per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei caput existit*; Lateran. IV, cap. 4, Patres dicunt : *Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum* : Iren., l. 3 adv. hær., c. 3 : *Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam;* Anastasius II in ep. ad Anastas. Imp. : *Per ministerium meum, sicut semper est, sedes B. Petri in universali Ecclesia assignatum sibi a Domino tenet principatum.* Præterea verbis æquipollentibus idem edicunt Patres Conc. Constantinopolitani I in ep. ad Damasum; fatentur *Romanam Ecclesiam esse caput, se autem membra*; Chalcedon., Act. 1, 2 et 3 Leonem vocat *universalis Ecclesiæ Pontificem*; Constantinopolitani III ep. Synodalis ad Agathonem hæc habet : *Itaque tibi ut primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid gerendum sit, relinquimus, stanti super firmam fidei petram : litteras confessionis vestræ, ut a Summo Apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus;* Joannes II in ep. ad Justinian. Imp. scribit : *Romanam Sedem omnium vere Ecclesiarum caput et Patrum regulæ et Principum statuta declarant* : Theodoret. in ep. ad Renatum : *Tenet sancta ista Sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum;* Ambros. in 1 ad Timoth. 1 : *Cum totus mundus Dei sit, tamen domus ejus Ecclesia dicitur, cujus hodie rector est Damasus*, etc.

Quoad 2. Romanos Pontifices Petro successores datos dicunt et enumerant Irenæus, l. 3, c. 3, usque ad Eleutherium, Tertul., l. 3 cont. Marcion., c. ult. usque ad Telesphorum, Optat. Milev., l. 2 cont. Parmen. usque ad Siricium, Augustin., ep. 165, usque ad Anastasium. Iisdem cum successione hæreditarias Petri prærogativas attribuunt, Hieron. in ep. ad Damas. de hypostas : *Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor : ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior : super illam petram ædificatam Ecclesiam scio* : Augustin. in Psal. cont. part. Donati : *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede : ipsu est petra, quam non vincunt inferorum portæ*; Leo, Serm. 1 de Natal. Apost. : *Per sacram B. Petri sedem, Roma caput orbis effecta, latius præsi-*

det religione divina quam dominatione terrena; Prosper in Carm. de Ingratis : *Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris facta caput mundo, quidquid non possidet armis, religione tenet.*

Denique quoad 3. Actionem et auctoritatem Rom. Pontificum quasi eamdem aut profectam a Petro agente et auctore tradunt in Conc. Ephesin. Act. 3, Philippus Legatus nullo reclamante effatus : *Nulli dubium est, imo seculis omnibus notum, quod S. Petrus Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet :* in Chalcedon. Act. 2, post lectas Leonis litteras, Episcopi sic exclamarunt : *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides : omnes ita credimus : anathema ei qui ita non credit : Petrus per Leonem ita locutus est :* Act. 18, Synodi VI acclamarunt : *Summus nobiscum concertabat Apostolorum princeps; illius enim imitatorem et Sedis successorem habuimus fautorem : charta et atramentum videbatur, et per Agathonem Petrus loquebatur :* Siricius in ep. ad Himer. scribit : *Portamus opera omnium, qui gravantur : quinimo hæc portat in nobis Petrus Apostolus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit ac tuetur hæredes :* Leo in ep. 2 ad Pulcher. ait : *Consensiones Episcoporam, Nicænis regulis repugnantes, unica nobiscum, fidei vestræ pietate, in irritum mittimus, et per auctoritatem B. Petri Apostoli generali definitione cassamus.*

Universim tandem ac de omnibus audiri meretur S. Bernardus, l. 2. de Consid., c. 8, ita Eugenium alloquens : *Tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem et alii cœli janitores et gregum pastores : sed ut tanto gloriosius, quanto et diffrentius præ cæteris nomen hæreditasti : habent illi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus : nec modo ovium sed et pastorum omnium tu unus pastor. Unde id probem quæris? ex verbo Domini : cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute et indiscrete totæ commissæ sunt oves...? Ergo juxta canones tuos, alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus : tua extenditur in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne, si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere etiam et tradere Satanæ potes? stat ergo inconcussum privilegium tuum, tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatis.*

Confirmatur. Cui sedi ac Episcopo cura universæ Ecclesiæ, legum generalium potestas, magistratuum supremorum ordinatio et causarum majorum judicium convenit, illi tribuendus est primatus Ecclesiasticus, his maxime facultatibus tanquam præcipuæ auctoritatis partibus constitutus : sed Romanæ Sedi ac Episcopo conveniunt omnes ex ordine ejusmodi facultates : ergo.

De *prima* quidem testantur, Conc Chalcedonense in ep. ad Leonem : *Et post hæc omnia insuper et contra ipsum, cui vineæ custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoque Apostolicam sanctitatem;* Athanas. in ep. ad Felicem : *Ob id vos Prædecessoresque vestros, Apostolicos videlicet Præsules, in summitatis arce constituit, omniumque*

Ecclesiarum curam habere præcepit : Acacius in ep. ad Simplicium : *Sollicitudinem omnium Ecclesiarum secundum Apostolum circumferentes, nos indesinenter hortamini :* Leo, ep. 4 : *Divinis præceptis et Apostolicis monitis incitamur, ut pro omnium Ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu.*

De *secunda*, potestatem ferendi leges probant Patres Ephesini Act. 1 in damnatione Nestorii sic pronuntiantes : *Coacti per sacros canones et epistolam Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi, ad hanc contra eum sententiam necessario venimus :* Damasus, in ep. 5 ad Aurelium : *Ea te custodire optamus, et aliis prædicanda ac publicanda mandamus, ut ab omnibus inviolate debita veneratione custodiantur :* Leo, ep. 87 ad Epp. Africæ : *Quod utcumque patimur esse veniale, inultum postmodum esse non poterit, si quisquam, quod omnino interdicimus, usurpare præsumpserit.* Potestatem solvendi sive per dispensationem sive per abrogationem probant tum facta Gregorii, ep. 34 ad Felicem cum Anglis circa gradus matrimonii prohibitos, et cum Siculis circa Concilia singulis annis bis celebranda dispensantis; Adriani in ep. ad Basil. Imp. in Constantinopolitano IV, Act. 1, lecta ob delinquentium multitudinem Canones relaxantis; Gelasii in ep. 1 in aliis multis indulgentis : tum verba et sententiæ ejusdem Gelasii ibid ita præfati : *Necessaria rerum dispositione conjungimur, et Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic canonum paternorum decreta librare, et retro Præsulum Decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas tempor u restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus;* et Nicolai in ep. ad Michaelem Imp : *Quoniam secundum canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sic deferendum, ad dissolvendum scilicet vel ad roborandum; patet profecto sedis Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine retractandum.*

De *tertia* exemplum præbet. Conc. Chalcedon. Canon 28. Sedi Constantinopolitanæ primum post Romanam Patriarchatus locum deferens, quem tamen Leo rescidit nec vigere concessit; quamvis ex ejus consensu firmitatem obtinere potuisse Patrum supplicatio testatur, qua inquiebant : *Rogamus et tuis decretis nostrum honora judicium; et sicut nos capiti in bonis adjicimus consonantiam, sic et summitas tua filiis, quod licet, adimpleat.* Præterea ad Romanos Pontifices pertinere Episcoporum institutionem, apparet ex Leonis, ep. ad Epp. Afr. : *Donatum Salicinensem ex Novatiano cum sua plebe conversum ita Dominico volumus gregi præsidere, ut libellum fidei suæ ad nos meminerit dirigendum;* et ex Greg., ep., 34 ad Constantiam Augustam : *Salonitanæ civitatis Episcopus, me ac Responsali meo nesciente, ordinatus est : et facta res est, quæ sub nullis anterioribus principibus evenit :* item Episcoporum depositionem ; de cujus facto docet Nicolaus in ep. ad Michael. Imp. circa octo Patriarchas Constantinopolitanos, Gelasius in ep ad Epp. Dardan. circa Petrum Alexandrinum, Theodoret. l. 5 Hist., c. 23, circa Flavianum Antiochenum, Acta Sixti III circa Polychronium Hierosolymitanum; de jure autem, Patrum Ephesinorum testimonium nuper recitatum : denique eorumdem restitutionem ; quam præter plurimorum alia, tum exempla, tum facta supplicantium Athanasii et Chrysostomi legitimam demonstrant : quibus accedit evocatio in Conc. Ephesino Act. 1, his verbis prolata : *Ingrediatur Reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps synodi; quia restituit ei Episcopatum Sanctissimus Romæ Archiepiscopus.*

Tandem de *quarta*, pro referendis ad Rom. Pontifices causis majoribus, universim testatur Syn. Sardicensis in ep. ad Julium : *Hoc optimum et valde*

congruentissimum videbitur, si ad caput, id est, Petri Sedem, de singulis quibusque provinciis referant Domini Sacerdotes; ad eamdem provocat Innoc. I in ep. ad Victricium Rothomagensem : *Si autem majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad sedem Apostolicam, sicut synodus statuit, et beata consuetudo exigit, post judicium Episcopale referantur.* Speciatim de causis quidem ex magnitudine rei majoribus, præter testes auctoritatem Pontificiam ad confirmanda Conciliorum negotia requirentes et num. 150 laudatos, edicunt tum Gregor. IV in ep. ad Epp. universos scribens : *Nulli dubium est, quod non solum Pontificis causatio, sed omnis sanctæ Religionis relatio ad Sedem Apostolicam, quasi ad caput Ecclesiarum, debeat referri, et inde normam sumere, unde sumpsit exordium, ne caput institutionis videatur omittere;* tum Innoc. IV in ep. ad Archiep. Arelatensem : *Majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui cum quærenti Domino, quem Discipuli dicerent ipsum esse, respondisse narrabat : Tu es Christus filius Dei vivi, et pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides ejus.*

De causis autem ex magnitudine personarum majoribus constat, circa Patriarchas quidem, dum Patres Ephesini in relatione ad Cœlestinum causam Joannis Antiocheni summo Pontifici reservant : circa Metropolitas autem, dum Romana Synodus, sub Damaso, Imperatores sic compellat : *Jubere Pietas vestra dignetur, quicumque vel Fratris nostri Damasi vel nostro judicio fuerit condemnatus, atque injuste voluerit retinere Ecclesiam; accitus Romam veniat, aut ad Metropolitani deducatur examen : vel si ipse Metropolitanus fuerit, Romam necessario, vel ad eos, quos Rom. Episcopus judices dederit, contendere sine dilatione jubeatur :* circa Episcopos demum ; Julius I in ep. ad Orientales can. 9, Caus. 3, Quæ. 6 inquit : *Dudum a sanctis Apostolis et successoribus eorum in antiquis statutis fuit decretum, quod hactenus sancta et universalis tenet Ecclesia, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari; quoniam sanctam Ecclesiam Romanam primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt;* quod ipsum confirmat Tridentin. Sess 24, c. 5 de Reform. sic statuens : *Causas criminales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, quod absit, quæ depositione aut privatione dignæ sunt, ab ipso tamen Summo Romano Pontifice cognoscantur et terminentur.* De reliquis causis aliunde majoribus aut quacumque ratione Pontifici reservatis Libri decretales abunde commemorant.

172. *Objic.* Primatus Romanorum Pontificum caret fundamento in Scriptura ; ergo. *Prob. Ant.* 1° S. Paulus tum. 1 ad Cor. 12, v. 28, tum ad Ephes. 4, v. 11, recenset gradus et ministeria Hierarchiæ Ecclesiasticæ. nulla tamen mentione Summi Pontificis facta : 2° ibidem ad Ephes., v. 3 et seqq., ex unitate Christi, fidei, et spiritus probat unitatem Ecclesiæ, non autem ex unitate capitis visibilis et Pontificis : 3° Rursus ibid., v. 7, gratiam ait datam *secundum mensuram donationis*, non secundum plenitudinem potestatis : ergo.

R. ad Arg. — *N. A.* — Ad *prob.* quoad 1. *R.* Quamvis hæc testimonia nullum præberent fundamentum, nihil tamen obessent ; tum quia Scriptura solidissimam basin alibi præbet, ut propositiones præambulæ ostendunt : tum quia his in locis potissimum de charismatibus, donis et gratiis ad fidem et Ecclesiam nascentem plantandam, muniendam et ornandam concessis agitur ; de gubernatione autem et Hierarchia Ecclesiastica nonnisi genera-

liter insinuando potestates, quibus illa munera non tam ad regimen necessario, quam ad religionis exordium utiliter adjuncta fuerunt. Cæterum si *Apostolorum* nomine princeps eorum PETRUS, et sub *Apostolica* auctoritate potestas pastoralis suprema et ordinaria (significatione vaga scilicet ad unum revocata) præcipue intelligatur; et primatus mentio habebitur, et nihil insolens dicetur : cum Petri sedes Romana a plerisque Patribus et etiamnum *sedes Apostolica* per antonomasiam compellari consueverit.

Ad 2. *R.* Licet neque hic caput exprimeretur, non impediret tamen exprimi alibi. Præterea vero vel exprimi non debet, vel satis expressum est : 1um quidem, si de corpore invisibili agatur : 2um, si de visibili corpore sermo sit; cum corpus integrum non intelligatur, nisi intellecto simul capite.

Ad 3. *R.* Mensura donationis Christi, comparata cum potestate Christi, plenitudinem potestatis quidem excludit, non autem comparata cum potestate Episcoporum; cum quibus tamen compositus duntaxat Pontifex plenitudinem potestatis habere dicitur.

Inst. Potestas Rom. Pontificis arctatur ad certas Provincias 1° a canone 6, Conc. Nicæni, sive is legatur ex interpretatione communi in hunc modum : *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam, et Pentapolim, ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quia et urbis Romæ Episcopo parilis mos est;* sive audiatur Rufinus interpres, l. 10 Hist., c. 6, ita rem complectens : *Et ut apud Alexandriam et in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti vel hic suburbicariarum sollicitudinem gerat.* 2° Conc. Africanum prohibet, ne quis vocetur, *princeps sacerdotum* aut *summus sacerdos* : CYPR. in ep. ad Quintum negat dari *Episcopum Episcoporum* : GREGOR., l. 4, ep 39; l. 6, ep. 30; l. 7, ep 69, alibique repudiat *Episcopi universalis* nomen tanquam profanum : qui tamen tituli omnes Rom. Pontifici primatum tenenti deberentur.

R. quoad 1. — *N. Ass.* quod manifeste falsum apparet, si canoni addatur principium, prout in Conc. Chalcedonensi Act. 16 recitatum est hujus tenoris : *Ecclesia Romana semper habuit Primatum.* Sed hoc omisso, Canonem hunc fuisse conditum, non ad limites Pontificiæ potestatis definiendos, sed ad Alexandrini jurisdictionem tuendam, certum est ex historia MELETII Lycopolitani Episcopi, cujus in Ægypto Episcopos ordinare ausi occasione, Alexandrinus quærelas movit, Concilium antiquam consuetudinem servari jussit. Quæcumque ergo lectio assumatur, comparat ea duntaxat Alexandrinum cum Romano in eo in quo similes sunt et conveniunt : non congruunt autem in Primatu Ecclesiæ universæ; quem Alexandrino nemo unus unquam tribuit : adeoque nec in illo comparantur; nec primatus ad certas provincias arctatur.

An porro Episcopus Romanus, sive ut *Metropolita*, quo jure septuaginta fere Episcopis Italiæ præsidet, sive ut *Patriarcha*, quo titulo toti Occidenti præficitur, hic in comparationem adductus fuerit? decertant inter se Critici. Nostra quantumvis in præsens parum referat, videtur nobis de Metropolitico jure agi; tum quia secundum Epiphanium hær. 68 et Theodoretum, l. 1 Hist., c. 9. Meletianis ordinationibus hoc unum jus violatum erat : tum quia Canonis contextus Metropolitas diserte nominat : tum quia Nicæni ætate, ut ex subscriptionibus etiam in Conc. Chalcedonensi liquet, nullum adhuc Metropolitam Ægyptus habebat, qui Alexandrino ut Patriarchæ subesset. Quibus accedit, quod Italiæ Episcopatus potuerint a Rufino appellari Ecclesiæ suburbicariæ, quemadmodum in Imperii Notitia tempore Theodosii Jun.

conscripta, decem Italiæ provinciæ etiam audierunt suburbicariæ, et Urbis Vicario alteri parebant : cum e contra suburbicarium nomen, ad totum Occidentem extensum, proprietatem significationis amitteret, nec usurpationis similitudinem facile reperiret.

Ad 2. *R.* Conc. Africanum *summi sacerdotis* aut *sacerdotum Principis* titulum, non Rom. Pontifici, sed Metropolitis Africanis eripit, qui præter morem, contra jus, et ex fastu illum assumpserant : Cyprianus similiter inter Africanos *Episcopum Episcoporum* dari negat : qua negatione si vellicare etiam Rom. Pontificem intendisset, non sane auctoritatem mereretur, utpote subiratus scribens in causa mala anabaptismi : Gregorius *Episcopi universalis* nomen, quatenus hoc unum solum faciebat Episcopum, exclusis ab hac dignitate reliquis, repudiabat tanquam injurium, ut ipse l. 6, ep. 30 ad Maurit. insinuat : *Nullus Romanorum Pontificum hoc singularitatis vocabulum assumpsit, ne, dum privatum aliquid datur uni, honore debito sacerdotes priventur universi;* et l. 7, ep. 30 ad Eulog. : *Si enim universalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur universum :* quatenus vero hoc nomen dicebat Episcopum universæ Ecclesiæ præsidentem, illud S. Papa refutabat etiam, non quidem ob injustitiam et tituli inconvenientiam, sed tum propter humilitatis excessum, tum propter vocis ambiguitatem, indeque oriundam aliorum offensam; partim etiam ad superbiam Constantinopolitani Episcopi efficacius comprimendam.

Inst. 2. Episcopi omnes 1° sunt *successores Apostolorum* ex Cypr., ep. 42; Hieron., ep. 54; Augustin., in Psal. 44 : 2° *successores Petri* ex Cypr., ep. 27; Hieron., ep. 1; Ephrem. Orat. de laud. Basilii : 3° *Vicarii Christi* ex Cypr., ep. 55 et Bern., ep. 42. Ergo sunt æquales Pontifici, neque hic illis superior.

R. Pleraque in Art. præc. jam exhausta esse. Unde breviter

Ad 1. — *D.* Episcopi sunt successores Apostolorum quoad Episcopatum et ordines, C. quoad apostolatum et potestatem, N. Paulus ipse constitutum a se Episcopum Titum intra limites in ep. ad Tit. 1, v, 5 designatos hærere voluit; et Conc. Nicænum, can. 15, transitum Episcopis ab una in aliam civitatem prohibuit.

Ad 2. — *D.* Episcopi vocantur successores Petri directe, N. indirecte, *subd.* quoad Episcopatum et ordines. C. Primatum et potestatem, N. Episcopi sunt tantum successores Apostolorum in specie quasi, nullius autem singularis ac in individuo, multoque minus Petri; nisi quatenus huic tanquam ordinario succederetur a Romano episcopo, ab hoc autem tanquam Ecclesiæ capite et supremo Hierarcha auctoritatem caperent reliqui, sicque per indirectum Petro succederent.

Ad 3. — *D.* Episcopi sunt vicarii Christi æquo jure cum Rom. Pontifice, N. minori, C. vices Christi etiam Sacerdotes aliique ministri gerunt, sed in diversis muneribus, sibique quoad facultatem et jura dissimilibus.

Inst. 3. Primatus munera et facultates cuilibet Episcopo conveniunt; ergo. *Prob. Ant.* Episcopis convenit 1° cura Ecclesiæ universæ : Ignatius enim in ep. ad Philadelph. eisdem tribuit *ministerium communis Ecclesiæ;* Cypr. in epist. ad Quint. *gubernandæ Ecclesiæ libram tenendam* tradit; Venantius in Conc. Carthag. sub Cypriano *commendat sponsam Christi;* Alexander Patr. Alex. in ep. encycl. asserit *traditum corpus Ecclesiæ Catholicæ;* Hormisdas in ep. 77 *similem secum fidei curam commissam* scribit : 2° Legum potestas; nam Greg. Naz. de S. Athanasio memorat, *leges eum rursus orbi terrarum præscribere,* ipse autem in ep. Synod. testatur, celebratum a se concilium

ex Italia, Arabia et Lybia : 3° Magistratuum constitutio; quia Epiphanius Salaminæ Episcopus in Monasterio Bethlehemitico diœcesis Hierosolymitanæ inconsulto Episcopo ordinavit Presbyterum et Diaconum; Hieronymus autem in ep. ad Evagrium : *Si auctoritas quæritur, orbis major est urbe. Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? ubicumque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriæ, sive Tanis; ejusdem meriti est, ejusdem Sacerdotii* : ergo.

R. Ad Arg. — *N. A.* — *Ad hujus prob. quoad* 1. *D.* Episcopis convenit cura universæ Ecclesiæ ex charitatis munere, C. ex auctoritatis jure, N. subdistinctio, quam num. 160, ad prob. 3, addidimus, in allatis monumentis subin habere etiam locum potest; subin ista nequidem ad rem pertinent, sic enim *communis Ecclesia* in ep. Ignatii universalem haud significat, sed conflatam tantum ex pluribus communitatibus, quibus unus Episcopus Philadelphiensis præsidebat : *libra gubernandæ Ecclesiæ* juxta Cypr. ab Episcopis tenenda est tantum pro parte cuilibet propria, et cum dependentia : Ecclesia quidem apud Venantium est *sponsa* Episcopis *commendata*, non tamen tota, nec singulis æquali jure et titulo : Alexander in hoc ipso *corpore* pacem et concordiam, utique sub uno capite, servandam docet : Hormisdas autem non de *cura* propria, sed vicaria, loquitur, quam Episcopo Constantinopolitano commiserat.

Ad 2. *R.* Athan. leges universo orbi præscripsit docendo, non imperando, ut ipse textus habet : *Leges etiam rursus orbi terrarum præscribit, atque omnium mentes ad se convertit, aliis epistolas mittens, alios accersens, nonnullos etiam ultro accedentes erudiens.* Quod autem in Alexandrino Concilio adfuerint ex alieno Patriarchatu, id factum non est Athanasii imperio, sed Episcoporum proprio fidei studio, scilicet a Legatis Pontificiis Lucifero Calaritano et Eusebio Vercellensi, tum in Oriente versantibus.

Ad 3. *R.* Factum Epiphanii contigit, vel Joanne Hierosolymitano contra excipiente, et Epiphanio posthac exceptionis ignorantiam excusante; vel eodem monasterii exemptionem, ordinationis vero necessitatem causante in litteris ad Joannem datis. Hieron. dictum prius vellicat, non auctoritatem Pontificis, sed consuetudinem Romanam Diaconorum Presbyteris se præferentium : posterius æqualitatem inter Episcopos facit ratione ordinis, non potestatis.

Inst. 4. Primatus munera Rom. Episcopo non congruunt, nam 1° penes Rom. Pontificem non potest esse potestas in Canones : nec enim potest esse universalis in omnes; alias Papa posset totum jus Canonicum destruere; quod Facultas Parisiensis merito damnavit tanquam erroneum : nec particularis et in certam canonum classem; alias posset abrogare eos qui jus positivum constituunt, quod tamen ipsi Pontifices respuunt. Universim enim antiquos canones sibi superiores ac inviolabiles pronuntiant Coelestinus in ep. ad Epp. Illyrici, et Agapetus in ep. ad Cæsarium : speciatim autem Canones Conciliorum a se servandos Leo, ep. 54 ad Marcian.; Gregor., l. 1, ep. 24 et Gelas. ep. 13 ad Epp. Dardan. fatentur : item statuta Patrum a se infirmari non posse testatur Zosimus, ep. 6 ad Aurel. et Joan. VIII, ep. ad Carol. Regem. 2° Causæ Præsulum vel ad Synodos vel ad Deum duntaxat pertinent : primum de Metropolitis statuunt Concilia Aurelianensia III et V ac Arvernense; secundum, Cyprian. in ep. ad Quintum scribens, Episcopos a solo Deo judicandos.

R. quoad. 1. — *D.* Penes Rom. Pontificem non est potestas in canones de

rebus fidei, jure naturali aut divino agentes, C. in canones jus positivum continentes, *subd.* non est potestas arbitraria, C. legitima, seu ex justa et rationabili causa, N. Rom. Pontificem non posse abrogare omnes canones, quia sub his et fidei dogmata et juris naturalis ac divini placita comprehenduntur, Catholicus quilibet fatetur; unde et primum membrum omnino conceditur. Eisdem etiam custodiam ac tutelam canonum, quorum scilicet tum ratione confirmationis auctores, tum ratione curæ Ecclesiasticæ promotores esse debent, Pontificibus maxime convenire, ipsi edito olim sub Pontificatus aditum sacramento jurabant, et nunc ultro omnes testantur. Potestatem relaxandi canones ab iisdem exerceri non debere, nisi ex causis canonicis, docet facultas ad Ecclesiæ ædificationem data et unanimis omnium juris interpretum assensus. Porro his præsentibus illegitime, aut in mero jure positivo invalide, potestatem in leges Ecclesiasticas usurpari a Pontificibus negamus, nec id allata documenta evincunt.

Quod enim ad universim dicta attinet, Cœlestini hæc verba : *Dominentur nobis regulæ, non regulis dominemur, sed simus subjecti canonibus,* sunt placitum sanæ et sacræ Politices, a Pontifice datum Vicario Illyrici, quo justi potestatis limites figuntur, et ad inferiorem pertinentia comitatis ergo a superiori in communi persona proferuntur. Agapeti enuntiatio de *auctoritate canonum inviolabiliter custodienda* concernit ausum Cæsarii bona Ecclesiæ dilapidare volentis: cui facultatem ad rem hanc per se illicitam dare, *divini judicii ultione prohibitum* se Pontifex scribebat. Circa speciatim, et quidem de Conciliorum canonibus dicta, Leo, ibidem addit *nec Chalcedonensibus Patribus fuisse licitum immutare, quod Nicæni statuerint;* scilicet in rebus juris divini, aut Ecclesiæ per se necessariis, non tamen in aliis ac diversis. Hinc et in cad. epistola Episcopi Antiocheni ordinationem, ab Anatolio contra Nicænos canones factam, noluit irritam : et in ep. ad Rusticum Narbon. ait : *Sicut quædam sunt, quæ nulla possunt ratione convelli; ita multa sunt, quæ aut pro necessitate temporum aut pro consideratione ætatum oporteat temperare.*

De rebus ejusdem rationis loquitur Gregorius, similia l. 2, ep. 37 de *Prædecessorum statutis* enuntians, quorum sententiæ in diversa materia certe non erat obnoxius; immunitatem hujusmodi in exploso Chalcedonensi Canone famoso l. 6, ep. 31 satis constestatus. Gelasius eod. loco canones a Pontificia confirmatione auctoritatem capere docet, sic de Ephesina et Chalcedonensi synodo scribens : *Sicut id, quod prima sedes non probaverat, constare non potuit; sic quod illa censuit, Ecclesia tota suscepit.* Unde dum dicit, *non aliquam magis exequi sedem, quam primam, oportere, quæ Ecclesiæ universalis assensus probavit,* non id faciendum ex subjectionis necessitate testatur, sed ex decentia tum cœpta perficiendi tum utilitatem promovendi.

Demum per *statuta Patrum* Zosimus privilegium intelligit ab antecessoribus suis Arelatensi concessum, cui ob reverentiam a successore non erat derogandum, licet id faciendi potestas haud deesset; cum prædecessor successori generare præjudicium nequeat : *Majorum statuta* autem Joannes VIII pro humilitatis officio accipit, quod Ansbertum sedi Mediolanensi restituendum Rom. Pontifici exhibere oportebat, quodque remittere debitus Romanæ Ecclesiæ honor non sinebat.

Ad 2. — *N. Ass.* Metropolitarum causas in prima etiam instantia a Rom. Pontificibus fuisse judicandas, liquet ex postulatione Syn. Romanæ sup. exposita, et ab Impp. rescripto etiam in vim legis firmata. Hujus regulæ vi-

gorem conservatum a Pontificibus, Leonis op. 84 et Gregorii, l. 7, ep. 8, aliaque facta docent. Hunc tamen juris ordinem in Gallia aliquando, ob prohibitum a Barbaris regnum occupantibus in Italiam iter, fuisse prætermissum exempla nonnulla testantur; quem ut temporaneo medio compensarent, illas forte leges Concilia nominata dederunt. Restituta tamen a Carolo Magno Gallicanæ Ecclesiæ libertate, reddita quoque est antiquorum canonum observantia, quæ in Anglia, Germania aliisque nationibus, Primate proprio carentibus, plerumque obtinuit.

Cypriani dictum accipi cum moderamine debet, ne Episcopatum faciat anarchicum, et hierarchiam Ecclesiasticam evertat. Intelligendus igitur est sanctus Doctor de rebus obscuris ac dubiis; voluitque duntaxat, singulos in Concilio Episcopos, dum controversia examini subest, jus habere liberum ferendi suffragii, nec a Præside adigi posse ad suas partes, antequam quæstio sit finita : vel intelligendus est de occultis animi et secreta cordis intentione, voluitque cujuslibet conscientiæ a Deo olim judicandæ relinqui, quo animo quibusque rationibus quilibet ducatur, ad ferendam de rebaptismi quæstione sententiam.

173. *Observa.* Ut num. 169 ostendimus probabilius, jure divino a Petro Romanæ sedi relictam suarum prærogativarum hæreditatem; sic multo certius tenemus, eodem jure Primatum potestatis in Ecclesiam Romano Pontifici competere : quandoquidem non ea solum, quæ ibidem protulimus, argumenta id probant; sed et hujus articuli momenta tanto efficacius demonstrant, quanto disertius eorum nonnulla *disponente* aut *instituente* Domino rem factam loquuntur. Accedit, quod originum aliarum nulla, ex quibus pro vario studio a variis primatus deducitur, probari possit aut nativa videatur.

Etenim 1° qui auctoritatem Romano Pontifici provenisse ab Apostolis volunt, siquidem Petrum intelligant, quatenus, ut Nicolaus I in ep. ad Epp. Galicanos scribit, *Privilegia sua per Petrum a Christo consecuta est Ecclesia Romana*; nobiscum sentiunt verumque dicunt sed minus accurate loquuntur : si autem Apostolos faciant instituti auctores; testes non habent nisi Anacletum, ep. 2 et Julium, ep. 1; quarum tamen epistolarum auctoritas apud Criticos nulla est : aut si valeret aliquid, non minus faveret nobis uterque; prior quidem in ep. 3 ita scribens : *Sacrosancta Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro primatum obtinuit sicut B. Petro ait : Tu es Petrus*, etc., posterior autem hæc addens : *Ecclesia B. Petri nomine consecrata Domino instituente prima et caput est cæterarum.*

2° Qui eam a Conciliis deducunt, adversantes sibi habent Gelasium in Syn. Romana contestantem : *Sancta Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis prælata est cæteris Ecclesiis, sed Evangelica voce Domini primatum obtinuit :* et Nicolaum I. oc. sup. c. scribentem : *Ecclesiæ Romanæ adeo sunt antiqua et veterata privilegia, ut Nicæna synodus, sicut Bonifacius Præsul Apostolicus Episcopis per Thessaliam constitutis scribens ait, non aliquid super eam fusa sit constituere, cum viderit nihil supra meritum suum posse conferri : omnia denique huic noverit Domini sermone concessa :* Suffragatores autem pro se certos ac probantes non habet. Justinianus enim in Novel. 131 poterat Romanæ Ecclesiæ decernere primum Sacerdotium *secundum sacrarum synodorum decreta*, quæ scilicet hanc illi dignitatem non primo contulerint, sed collatam declararint, ut Joannes II, in ep. ad Justin. dicit : *sicut Patrum regulæ et statuta declarant.* Eumdem sensum sortitur etiam Synodus 4 sub

Symmacho, triplicem primatus originem his verbis referens : *Apostolicæ sedi primo meritum B. Petri, deinde secuta Domini jussionem, Conciliorum venerandorum auctoritas singularem in Ecclesiis tradidit potestatem.* Æneas Sylvius denique in ep. 301 scribere poterat, *ante Conc. Nicænum quemlibet sibi vixisse et ad Romanam Ecclesiam respexisse parum*, ob commercium scilicet cum illa tot persecutionibus ac hæresibus intercisum : adduci tamen ut adstipulator haud potest; cum in eadem epistola oppositum demonstrare suscipiat, Romanum nempe Primatum a Christo fuisse institutum.

3° Qui autem Imperatores hujus beneficii auctores faciunt, provocantque vel ad Constantinum M. in Can. 14, Dist. 96, vel ad Valentinianum in Novella 3, vel ad Constantinum IV apud Platinam in vita Benedicti II, vel ad Phocam apud Bedam L. de sex ætatibus; hallucinantur in plerisque. Nam Constantinus M. ibidem testatur, Principem Sacerdotum et Christianæ religionis caput *ab Imperatore cœlesti* esse constitutum : Valentinianus *sedis Apostolicæ primatum* dicit esse *B. Petri meritum* : Constantinus IV de Papæ potestate nihil sanxit, sed de Electione Pontificia jus qualecumque, a Prædecessoribus usurpatum, duntaxat remisit : Phocas demum jus novum non tradidit, sed antiquum contra Episcopi Constantinopolitani superbiam tuitus est et confirmavit, ut vel ex factis dictisque Imperatorum plurium præcedentium et Rom. sedem tanquam Ecclesiarum caput venerantium patet.

4° Qui denique hanc prærogativam ob Urbis et Imperii nobilitatem volunt Pontifici collatam, habent quidem faventes sibi Chalcedonenses Patres, causæ huic privilegia Romanæ sedis tribuentes, sed eo in canone, nempe 28 qui a Leone constanter reprobatus, ab universa Ecclesia explosus, atque ab ipsis Græcis postmodum e Codice suæ Ecclesiæ erasus fuit. Præterea *privilegiorum* nomine non hic intelligitur dignitas Primatus Apostolici, sed Patriarchalis Eminentia, quam Ecclesiastico jure introductam, et Romanæ sedi ob urbis nobilitatem ac primum Imperii locum superadditam, non inficiamur; prout etiam Patres Conc. Constantinopolitani in Can. 3 insinuarunt, statuentes, *ut Constantinopolitanus Episcopus habeat priores honoris partes* (πρεσβεῖα τῆς τιμῆς) *post Romanum Episcopum, eo quod sit nova Roma* : quanquam, cum in Nicæno alius Patriarcharum ordo fuerit decretus, illa et sequenti ætate nullam hujus motivi et canonis rationem habitam fuisse aliunde constet.

174. Superest itaque, ut Primatum Romanum *jure Divino* institutum dicamus. Quod nisi foret, haud facile intelligi posset, cur supremus Pontificatus Romanæ sedi manserit hucusque conjunctus, quantumvis acerrimæ primorum seculorum persecutiones migrationem exposcere, Imperii sub Constantino Byzantium translatio transportationem prædicere, et septuagenaria Pontificum in urbe Avenionensi commoratio commutationem imperare videretur. Ex quo facto etiam patet privilegium, quod Petro fuerat personale, evasisse dein locale; ita tamen ut si Romam perire penitus contingeret, quod a Deo permissum iri non adeo credibile est, qui jure Romanus esset Pontifex et Petri successor, hac prærogativa frueretur.

ARTICULUS III.

AN ROMANUS PONTIFEX SIT SUPRA CONCILIUM.

175. *Nota.* Quæstio hæc, ob cœptum inclinante Seculo 14 schisma Pontificium, sub initium secŭli sequentis a Conciliis Pisano, Constantiensi et Basileensi primum in controversiam adducta, movetur : 1° de Papa certo, legitimo et fideli ; quia si vel dubius foret ob schisma oppositum aut notabilem acceptationis universalis defectum, vel illegitimus ob notum electionis vitium, vel prolapsus in publicam hæresin, Pontifex verus non est, aut (quod in jure æquivalet) non apparet ; et hinc qualicumque prærogativa, illi alias competente, caret aut saltem non gaudet : 2° de Concilio Generali seorsim accepto a Papa, seu cui Pontifex nec per se nec per legatos conjungitur ; quia sine hujusmodi acceptione comparatio opposita non tenet, aut totum cum parte tantum confertur, quin causa tandem decidatur : 3° De superioritate quidem jurisdictionali, non tamen dogmatica ; quia quid Concilium sine Pontifice in definitionibus fidei et morum valeat, jam diximus : an vero Pontifex in his sit infallibilis, adhuc examinabimus. Quamvis vero sub auctoritate judiciaria etiam jus appellationum comprehendatur ; de hoc tamen speciatim ob causæ singularitatem postea dicturi sumus.

Neque hic attendimus partem magnam negantium, quæ heterodoxorum est ; quoniam quo nituntur fundamentum, primatum Ecclesiæ summo Pontifici detrahens, eumque particularis duntaxat Ecclesiæ suæ Episcopum faciens, nuper jam convulsum est : Catholicorum autem negantium ita rationem habebimus, ut duplex eorum momentum præcipuum prævia propositione refutandum suscipiamus. Cum vero præsens sequensque controversia, fide adhuc salva, in utramque partem disputetur ; ita ubique versabimur, ut adversæ nobis sententiæ notam nullam impingamus, nisi quantum argumentandi causa apud Theologos licet et consuevit.

176. *Dico I.* **Concilium generale, seorsim a Papa sumptum, non habet potestatem summam, neque judiciariam in summum Pontificem.**

Prob. 1ª *p.* Summa potestas non convenit hujusmodi Concilio : 1° ratione *auctoritatis Episcopalis ;* qua congregati pollent ; quia Episcopalis jurisdictio ex collatione est determinata ad certos subditos, ex usu et reservatione est restricta ad fixos limites, ex hierarchica indole est subordinata et dependens a superiore : 2° nec ratione *collectionis et totalitatis*, qua Concilium hoc aggregatum ac totum est ; quia ex hac habitudine ejusmodi cœtui convenit quidem plus extensive et amplius, non autem plus intensive seu majus ; ex Dei autem collatione plus aliquid concessum esse non legimus, sed contrarium potius, cum ut obediant et subjaceant pastoribus suis imperatum fidelibus legatur : 3° nec ratione *repræsentationis*, qua Concilium istud Ecclesiam refert ; quia Ecclesia correspondens potestatem summam non habet a se ipsa, ob discrimen inter ipsam a Christo constitutam et Rempublicam ab hominibus libere coeuntibus conditam manifestum ; nec a Christo, singularibus duntaxat non autem universitati potestatem elargito. Ergo.

Conf. I. Ecclesiæ regimen juxta artic. 1 est perfecte monarchicum : foret autem aristocraticum, si penes Concilium; aut foret democraticum, si penes totam Ecclesiam seu communitatem fidelium esset summa potestas; ut ex notione terminorum liquet. Ergo.

Conf. II. Ex dicendis in Tr. de Legibus contra Richerii systema, Christus nullo hujus Auctoris sensu, prius immediatius atque essentialius claves sive jurisdictionem toti dedit Ecclesiæ : Ergo potestas summa nullo Adversariorum sensu potest esse in Ecclesia, seorsim a capite accepta; Nempe nec 1° *formaliter* et ut in recipiente; quia neque Christus instituens sub initium, neque aliquis a Christo institutus postmodum eamdem Ecclesiæ dedit : nec 2° *virtualiter* et ut in regulante; quia regitur, et non regit Ecclesia Dei, ac Corpus a capite, non vicissim, dirigitur : nec 3° *vicarie* et ut in supplente; quia Papa per mortem naturalem aut civilem deficiente, Ecclesia duntaxat personam elegit, Christus autem potestatem tribuit; neque facultatem supplet grex pro pastore et familia pro œconomo, ubi ovium aut servorum dominus curam suæ possessionis tenet. Ergo multo minus Concilium, secluso Pontifice, summam tenet auctoritatem, quam Ecclesia repræsentata non habet; nec personalis dignitas sive Episcopalis sive Metropolitica sive Patriarchalis attingit et explet.

Prob. 2ª *p.* 1° Pontificem a nemine judicari, docet ex antiquis decretis Nicolaus in ep. ad Michaelem Imp. scribens : *Prima sedes a nemine judicabitur;* Item : *Neque ab Augusto, neque a Regibus, neque ab omni Clero, neque a populo judicabitur prima sedes.* Syn. sub Adriano II, C. 4 enuntians : *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse legimus : de eo vero quemquam judicasse non legimus.* Conc. Lateran III, Can. 1 in casu delinquentis Pontificis dicit : *Non poterit ad superiorem haberi recursus.* Ivo Carnotensis, ep. 235 de Paschali loquens ait : *Admonendus mihi videtur Papa, ut se judicet aut factum suum retractet : quod si fecerit, referamus Deo gratias, et gaudeat nobiscum Ecclesia, quæ languet, dum caput ejus laborat tanta debilitatum molestia : si autem in hoc languore insanabiliter ægrotaverit, non est nostrum judicare de summo Pontifice.* Galliæ Episcopi ad causam Leonis III evocati sic respondent : *Nos sedem Apostolicam judicare non audemus; nam ipsa a nemine judicatur, ut et antiquitus mos fuit.* Ergo cum Tò *Nemo* tam in philosophico quam vulgari sermone *ne hominem* dicat: et hinc non singulos particulares tantum sed etiam omnes collectos, ob malignantem naturam, excludat; sequitur Pontificem nec a concilio generali judicari posse.

2° Pontificis causas reservari et relinquendas esse solius Dei judicio, asseritur ab Actis Syn. IV Romanæ sub Symmacho, quæ hunc pontificem immunem ab objectis pronuntiant, *quantum ad homines respicit,* sed *totam causam Dei judicio reservavit;* a Patribus huic Concilio hac forma subscribentibus : *huic statuto nos, in quo totam causam Deo commisimus, subscripsimus;* ab Ennodio in hujus Conc. Apologetico a Synod. Romana sub eod. confirmato : *Aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare; Sedis Romanæ Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri successores cœlo tantum debere innocentium;* ab Avito demum in eadem causa nomine Episcoporum Gallicanorum ad Senatores Romanos scribente : *Intelligimus Symmachum Papam, si seculo primum fuerat accusatus, consacerdotum suorum solatium potius, quam recipere debuisse judicium. Quod Synodus ipsa laudabili constitutione prospiciens,*

causam, quam pene temere susceperat inquirendam, divino servavit examini. Similiter ab Innoc. III, Serm. 2 de Consecr. Papæ : *in tantum mihi fides necessaria est, ut, cum de cæteris peccatis solum Deum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possim ab Ecclesia judicari;* a Petro Damiani Concert. inter advoc. Reg. et def. Eccl. : *Damnatio Papæ tam gravis et inexplicabilis est, ut non humano sed divino duntaxat sit tractanda judicio;* ab Ivone Carnot., l. c. : *Ubi succumbunt humana judicia, divina est expetenda misericordia.* Ergo nec Pontificis causæ a Concilio generali judicari possunt, cum alias Deo soli non servari hæ causæ, sed a Patribus judicium recusantibus ad Concilium Generale remitti debuissent.

3° Pontificem denique nec a generali Concilio judicari posse facto satis eloquenti declaravit Syn. Chalcedonensis in ep. ad Impp. et in ep. ad Leonem, Act. 3 relatis, scribens se damnasse Dioscorum propter alias et hanc præcipue causam, quia in primam sedem sententiam ferre præsumpsisset : disertis autem verbis Constantinopolitanum III, dum Act. 10, can. 21, ait : *Si synodus universalis fuerit congregata, et facta etiam fuerit de sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas et controversia; oportet venerabiliter et cum convenienti reverentia de proposita quæstione scisciatari, et solutionem accipere aut proficere et profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices :* denique Adrianus ibid. Act. 7 per Petrum Diaconum improbata *intolerabili Photii præsumptione,* qua in Rom. Pontificem judicium instituere ausus est, exemplis docet, nec a Concilio generali id fieri licere, nisi in hæresis crimine et ubi sedes Romana ipsa concurrit vel præcedit in judicando. Unde patet laudati Canonis (quod adversarii volunt) sensum non esse hunc duntaxat, quod a Concilii sententia in Pontificem abesse debeat irreverentia et audacia; cum in quolibet judicio vel hoc sit observandum, vel a judice exerceri reverentia nequeat erga subditum, quem condemnat; sed istum, quod Concilium de controversiis circa Rom. Pontificem reverenter interrogare, et de iisdem solutionem, non dare, sed accipere, et juxta id, quod responsum est, proficere, non vero contra Pontificem sententiam dicere; quia audacia est judicare de eo, qui nullius judicio subest; ut ante Synodum Nicolaus scripserat, et Adrianus nemine contradicente in Synodo confirmarat.

Conf. Auctoritati pondus addunt rationes, quas laudati hactenus Patres afferunt : Nicolaus quidem hanc, quia *auctoritate sedis Apostolicæ major non est;* Adrianus istam, quia *minoribus licitum non est resistere majoribus;* Patres Romani sub Symmacho sequentem, quia *Sedi Apostolicæ singularis in Ecclesiis convenit potestas;* Gallicani sub Leone eam, quia *caput omnium Dei Ecclesiarum est Pontifex;* Ennodius illam, quia *uni Petro dictum est, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* : Avitus istam, quia *si subditos nos esse terrenis potestatibus jubet arbiter cœli; non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior judicetur. Nam cum celebri præcepto Apostolus clamet, accusationem vel in presbyterum recipi non debere; quid in principatum generalis Ecclesiæ criminationibus licere censendum est?* item quia *non minus diligendu est in Ecclesia sedes Petri, quam in civitate apex mundi;* denique, quia *si Papa urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus, vacillare.* Sed de his nunc uberius.

177. *Dico II.* **Pontifex non tantum supra omnes Ecclesias particulares**

seorsim et distributive acceptas potestatem habet, sed et supra omnes simul ac collective sumptas, seu totam et universalem Ecclesiam, quin et supra Concilium Generale.

Sequitur hæc propositio est iis quæ definivit Concilium Vaticanum declarando Romanum Pontificem esse judicem supremum fidelium, et in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri; Sedis vero Apostolicæ, *cujus auctoritate major non est,* judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio. Quare a recto veritatis tramitte aberrant, qui affirmant, licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad œcumenicum Concilium *tanquam* ad auctoritatem Romano Pontifico superiorem appellare (Sess. 4, cap. 3).

Prob. 1ª *p.* 1º Ex articulo 1 præsentis Capitis Petrus, ac consequenter Romanus Pontifex, quia est fundamentum Ecclesiæ, habet claves regni cœlorum, et est pastor ovium et agnorum; ideo obtinet potestatem supra Ecclesiam : sed vi horum titulorum habet potestatem supra totam et universalem Ecclesiam : quia imprimis tota et universalis Ecclesia est illa, quæ dicitur *mea* seu Christi, refert rationem ædificii in petra fundati; intelligitur per Ecclesiam simpliciter et absolute pronuntiatam : Christus etiam seorsim sumptarum et particularium nullum posuit fundamentum, sed tantum collectim sumptarum seu universalis Ecclesiæ : deinde quia eadem tota et universalis est *regnum cœlorum* in parabolis maxime Matth, 13 expressum; et sicut claves regni in omnes urbes collectim sumptas, sic et claves Ecclesiæ in particulares diœceses similiter acceptas designant potestatem; demum quia agni et oves Christi omnes *unum ovile,* unum ovile autem Joann. 10, v. 16 : universam Ecclesiam significat; et sicut per oves Marc. 14, v. 27 : collectio discipulorum, 2 Paralip. 18, v. 16 : universus Israel, et Matth. 18, v. 12 : totum genus humanum, sic et Joan. 21, v. 15 tota Ecclesia intelligitur. Ergo cum interpretationes textuum horum sinistræ partim superius rejectæ sint, partim a Catholicis adversariis ad primatum Petri admissum defendendum mitigari debeant : earum nulla potest elidi potestas Petri et Pontificis in universalem Ecclesiam.

2º Ex articulo 2, constat Pontificem esse caput, pastorem, patrem, doctorem et ducem Ecclesiæ : sed caput non solum membris seorsim sumptis, sed toti corpori præeminet; pater non singulis duntaxat prolibus, sed toti familiæ præest; pastor non ovibus solum, doctor non discipulis tantum, dux non militibus duntaxat singularibus præsidet, sed toti gregi, toti scholæ, toti exercitui : ergo Pontifex similiter non fidelibus, Episcopis aut Ecclesiis divisim duntaxat acceptis, sed omnibus simul et toti fidelium communitati, Episcoporum collectioni et Ecclesiarum universitati, h. e. universali Ecclesiæ cum potestate præest.

3º Ex utroque Articulo, Conc. Lugdunense II, Can. 2, Pontificem vocat *Rectorem universalis Ecclesiæ;* Professio fidei Michaeli Imp. a Clemente IV præscripta et Lugduni edita habet : *Ipsa quoque Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quam cum potestatis plenitudine ab ipso Domino in beato Petro recepit :* Florentin. in unione cum Græcis definit *Romano Pontifici, in beato Petro, pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Christo plenam potestatem esse traditam :* Paulus III in Bulla pro translatione Conc. Tridentini A. 1546 data inquit : *Regimini universalis Ecclesiæ disponente Domino præsidentes, nostri officii partes putavimus, etc.* Ipsum Tridentinum Sess. 14,

c. 7 ait : *Unde merito Pontifices maximi, pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universali tradita, causas graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare :* Idem Sess. 24 de Reform., c. 1 monet : *Romanus Pontifex, quam sollicitudinem universæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat.* His adde Ambrosium in Comment. in 1 Timoth. 3, Leonem ep. 84, Gregorium l. 4 ep. 32 et alios superius laudatos.

Conf. I. In professione fidei juxta decretum Conc. Tridentini agnoscunt omnes *Romanam Ecclesiam* esse *omnium Ecclesiarum matrem et magistram, Romanum Pontificem* autem *beati Petri Apostolorum principis successorem ac Jesu Christi vicarium :* sed mater et magistra, non minus ac de patre et doctore dictum est, universæ familiæ et scholæ præsidet : præterea sicut constat successori eamdem potestatem convenire, quæ penes prædecessorem fuerat, sic Petro supremam in Apostolicum Collegium juxta et in nniversam Ecclesiam potestatem negari non posse supra ostendimus : demum liquet et vicarium participare potestatem principali propriam, et Christum ex titulis pluribus ac indubiis sibi debitam tenuisse potestatem in omnem ac totam Ecclesiam ; Unde Leo Serm. 3 de anniv. Assumpt. recte ait : *ea quæ Christo potestate sunt propria, esse Petro ejus vicario cum ipso participatione communia.* Ergo.

Conf. II. Romanum Pontificem tenere primatum jurisdictionis in Ecclesia catholica, asserunt omnes Catholici : primatus hujus partes constitutivas esse inspectionem et curam universalem atque jus et facultatem ferendi leges generales, ipsa notio rei ostendit : has primatus partes concreditas et debitas esse Romano Pontifici, demonstrant producta superius argumenta. Atqui illa universalis cura et potestas legislativa generalis ex sua natura respicit et obligat totam et universalem ecclesiam. Ergo.

Prob. 2ª *p.* Constitutio Leonis X. *Pastor æternus* in Conc. Later. V, Sess. 11, promulgata sic habet : « Solum Romanum Pontificem, *tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem,* tum Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus et potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat. » Auctoritatem, quam huic enuntiationi vindicant editionis locus, tempus, auctor et acceptantes, corroborant argumentorum, ad quæ provocatur, extantia et veritas.

Nam 1º Scripturæ testimonia, quæ Papam faciunt superiorem universæ Ecclesiæ, multo magis præferunt Concilio generali, quod illius figura tantum est ac repræsentatio. Idem quamvis locum habet in dictis Patrum, Pontificum et Canonum : speciatim tamen de Conciliis ulterius probant.

2º Gregorius, l. 9, epist. 39 ad Theoctistam scribens : *Si B. Petrus, cum a fidelibus culparetur, auctoritatem quam in sanctam Ecclesiam acceperat, attendisset, respondere poterat, ut Pastorem suum oves reprehendere non auderent : Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, doctor mansuetudinis non fuisset : humili ergo eos ratione placavit ;* et Paschalis II in epist. ad Archiepisc. Poloniæ loquens : *Aiunt in Conciliis statutum non inveniri : quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint ; cum omnia Concilia per Ecclesiæ Romanæ auctoritatem et facta sint, et robur acceperint, et in eorum statutis Romana patenter auctoritas excipiatur ;* quibus adde alios num. 150, recitatos : Unde inter alias ab Alexandro VIII A. 1690, Aug. 24 damnatas, hæc ordine 29ª est propositio : « Futilis et

toties convulsa est assertio de Pontificis Summi supra Concilium œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate. »

3° Confitentur hanc Pontificis auctoritatem Concilia, imprimis exibendo obedientiam; cum Ephesini Patres Act. 1 dicant, se *coactos* per Cœlestini epistolam *necessario* venire ad ferendam sententiam : dein agnoscendo in Pontifice auctoritativæ approbationis facultatem; secundum quod Patres Nicæni juxta epistolam Conc. Romani sub Felice III tribuunt Pontifici *confirmationem et auctoritatem;* Constantinopolitani III, in epist. ad Leonem ab eodem actis *firmitatem ac consonantiam* flagitant; Constantinopolitani IV in epist. ad Adrianum præceptionibus Evangelicis gesta *solidius confirmari* petunt : præterea supremam illi potestatem adscribendo; dum Chalcedonenses passim et Patres Constantinopolitani III in epist. Synod. Pontificem appellant *Caput et Antistitem universalis Ecclesiæ;* Martinus V autem in Quæstionibus præscriptis jubet suspectum de hæresi interrogari : utrum credat quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, sit successor beati Petri, habens *supremam auctoritatem* in Ecclesia Dei?

Conf. Potestas convocandi Concilia et convocatis præsidendi, facultas præscribendi normam et regulam definiendis in Concilio, auctoritas acta conciliaria rescendendi, vel irritandi et e contra probandi et roborandi, indicant et constituunt veram jurisdictionis superioritatem in Concilia : sed hæc potestas, facultas et auctoritas, etiam respectu Conciliorum Generalium, convenit Pontificibus Romanis; tum *jure,* quia Primatus Papæ apud Catholicos certus, fallibilitas Conciliorum sine Pontificis interventu celebratorum asserta superius et probata, e contrario infallibilitas Pontificis e cathedra loquentis statuenda inferius et vindicanda, hanc superioritatem fundant et exigunt : tum *facto* etiam et exercitio perpetuo, ut singulas partes percurrenti manifestum fit.

Et quidem de 1 et 3 abunde constat ex dictis præcedenti capite; cum gesta Conciliorum omnium actione generalium de Pontificis convocatione et præsidio conciliari testentur; acta aliquorum doceant, Canones 3um Constantinopolitani I et 28um Chalcedonensis a Pontifice rescissos; Concilia Ariminense ac Ephesinum sub Dioscoro in irritum missa; robur denique firmitatem et auctoritatem statutis suis a Conciliis plerisque petitam et a Pontifice impertitam fuisse.

De 2 autem probatur, universim quidem tum ex actis Conc. generalium III, IV, VII et VIII, narrantibus, quod Patribus proposita fuerit Pontificis epistola suscipienda et subscribenda : tum ex testimoniis Theodori Studitæ et Nicolai I Pontificis. Eorum prior in ep. orthodoxorum Episcoporum nomine ad Michaelem Balbum, congregationem pro ineunda cum Iconomachis concordia imperantem, scripta sic loquitur : *Jam vero sermonem refellendi causa cum heterodoxis conferre, Apostolico mandato repugnat minimeque convenit, nisi ad corruptionem tantummodo : propterea ne hiscere quidem contra præceptum audemus. Quodsi quid est hujusmodi, de quo ambigat aut dissidat Magnificentia vestra posse a Patriarcha dissolvi, jubeat magna ipsius manus ad communem utilitatem a veteri Roma suscipi declarationem, prout olim et ab initio paterna traditione transmissus mos fuit :* posterior autem in ep. 10 ad Basilium Imp. sic scribit : *Hæc sunt, quæ de his Sedes Apostolica statuit : hæc sunt, quæ vos tanto studiosius oportet amplecti, tanto sollicitius observare quanto certius nostis, quæ ab ea statuta fuerint, hæc universalem semper Ecclesiam tenuisse; ita ut contra singulos*

errores in Ecclesia exortos prior hæc secundum primatus sui auctoritatem sententiæ terminum dederit : et ita demum universalis Ecclesia, licet aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit, quæ illa tamen probavit, quandoque probaverit, et quæ illa refutavit, ista refutaverit.

Speciatim etiam de Nicæno et Constantinopolitano I colligitur tum ex ep. Athanasii ad Solitarios, tum ex litteris Damasi ad Paulinum Antiochen. apud Theodoretum et synodo Rom. A. 379 celebrata; quorum ille testatur Sylvestrum per Osium damnasse Arium jam ante Syn. Nicænam : hæc autem ostendunt a Damaso prædamnatos fuisse Apollinarem et Macedonium, anteque cum hæreticis connumeratos a Romanis Patribus, quam Conc. Constantinopolitanum celebraretur. Porro luculentius demonstratur de Orientalibus reliquis.

De Ephesino quidem Gennad., l. de Scrip. Eccles., c. 54, narrat Cœlestinum decreta Synodi contra Nestorium dictasse, volumine ad Orientem et Occidentem præmisso; Patres ipsius Synodi l. s. c. fatentur, se litteris Pontificis cogi ad damnandum Nestorium; Xystus Cœlestini successor ad Joannem Antioch. scribens ita inquit : *Expertus es negotii præsentis eventu, quid sit sentire nobiscum; B. Petrus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab ejus se velit separare doctrina, quem ipse inter Apostolos primum Magister educit?*

Nec minus de Chalcedonensi patet, tum ex ep. Leonis ad Concilium ita scribentis : *Unde rejecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, varia errantium infidelitas conquiescat : non liceat defendi, quod non licet credi; cum plenissime per litteras, quas ad Flavianum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de sacramento Incarnationis pia et sincera confessio* : tum ex Judicibus conciliaribus, post similem Legatorum adhortationem, ita Patres urgentibus : *Ergo addite definitioni secundum judicium Leonis duas esse in Christo naturas.*

Quin etiam de Constantinopolitano II, Acta docent, laborasse Patres ut persuaderent omnia a se fieri ac decerni secundum Vigilii sententiam, ideoque Collat. 4 professi sunt, epistolas Rom. Pontificis ad dogma pertinentes æquali veneratione ac sacra Evangelia suscipi.

De Constantinopolitano III testantur litteræ Agathonis ad Synod. et Imp. scriptæ in hæc verba : *Personas prævidimus ad vos dirigere, quæ nostram suggestionem, in qua Apostolicæ nostræ fidei confessionem prælibavimus, offerre debeant, non tamen tanquam de incertis contendere, sed ut certa atque immutabilia compendiosa definitione proferre, etc.* Item Patres in ep. ad Pontificem : *Litteras a vestra Beatitudine ut a Summo Apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper hæreticam sectam depulimus.*

Præterea de Nicæno II comprobant litteræ Adriani ad Impp. et Tarasium, quæ decernunt, post summorum Pontificum definitiones non amplius esse locum dubitandi de cultu imaginum, vetantque ipsam synodum transire limites ab illis fixos; et Patres similiter subscribentes, *secundum synodicas beatissimi Papæ Senioris Romæ Adriani epistolas, sacras a se imagines suscipi.*

Tandem de Constantinopolitano IV et litteræ Adriani ac Nicolai et Actiones pleræque testimonium fuerunt, ex quibus sufficiat formula veniæ resipiscentibus datæ : *Suscipimus vos secundum præceptionem Papæ nostri*

Adriani propter libellum pœnitentiæ : verba itidem Legatorum Photianis ingressum primo prohibentium : *Nobis non licet rescindere judicium sanctorum Rom. Pontificum; hoc enim contrarium est canonicis institutionibus;* tum autem sub conditione permittentium : *Ingrediantur; sed non propter contentionem advocamus eos; sed ut tantum beatissimi Papæ Nicolai epistolam audiant.*

178. *Objic. I.* Convocationem et præsidium Conciliorum non tribuere Pontifici superioritatem, sed facere tantum primum inter pares, aut eminentem super singulos, sicut Decano respectu Capituli accidit.

R. Quod convocatio et præsidium sit de necessitate, ita ut sine illis Concilium sit nullum; ut docent monumenta num. 140 et 142 allata : quod Primatus Pontificis non sit honoris tantum et ordinis, sed potestatis et jurisdictionis : quod auctoritas ejus non emineat singulis duntaxat sed universæ Ecclesiæ; ut nuper ostensum est.

Inst. 1. Canones fuisse invalidos et synodos irritas non tam propter rescissionem Pontificis, quam tum ob repugnantiam sive cum Nicænis canonibus sive cum regulis fidei antiquis, tum ob defectum universitatis in his Conciliis, et Occidentis dissensum.

R. 1° Quod ergo Concilia, sine assentiente aut dissentiente Pontifice, errare possint, atque hinc superiore egeant, a quo reformentur : 2° quod ad universitatem requiratur auctoritas Pontificis; cum Ephesino Conciliabulo et Synodo Chalcedonensi adfuerint Legati Occidentis, et cum Ariminensi in Occidente conspiraret Seleuciense in Oriente : 3° quod Pontificio dissensui tribuendæ sint partes præcipuæ; cum de Chalcedonensi Canone, qui æqualis alias auctoritatis erat cum Nicæno contrario, id ostendat ipse Anatolius, tum Episcopus Constantinopolitanus, in ep. ad Leonem, qua se excusans culpam hanc in Clerum transfert et sic emollit : *Cum et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestræ Beatitudinis fuerit reservata;* de Ariminensi Damasus in ep. ad Orientales : *Numerus Episcoporum, qui Arimini congregati fuerant, præjudicii vim habere non debet, quandoquidem factum illud est non consentiente Romanorum Episcopo, cujus ante alios oportebat exspectare sententiam;* de Ephesino latrocinio Gelasius, ep. 13 ad Epp. Dardaniæ : *Dioscorum secundæ sedis Præsulem sua auctaritate damnavit Sedes Apostolica, et impiam Synodum non consentiendo submovit.*

Inst. 2. Confirmationem petitam et datam fuisse tantum honorariam, ac simplicis consensus et adhæsionis, non auctoritativam autem, et quæ valorem tribueret; adeoque nec ex irritatione nec ex confirmatione hujusmodi colligi Pontificis superioritatem.

R. Quod honorarium non sit, quod Arelatenses ad Sylvestrum et Sardicenses ad Julium dicunt *optimum et congruentissimum;* Ephesini autem act. 5 *necessarium* : quod mera adhæsio non interveniat, ubi præter *confirmationem auctoritas Romanæ Sedis* postulatur, ut de Nicænis Syn. Romana sub Felice III testatur; aut ubi *Sedes Apostolica consentit et B. Petri auctoritate confirmat,* ut Leo in ep. ad. Synod. sextam scribit : quod confirmatio Pontificia sit auctoritativa et valorem tribuat; cum sine *missis a Pontifice ad Ecclesias litteris,* non recipi Concilia declaret in ep. Apologetica Adrianus; Synodos autem *egere Romana sede, ut firmentur et custodiantur,* ep. 8 de Leone ostendat Nicolaus.

Inst. 3. Quod etiam Athanasius, Nazianzenus, Cyrillus Alex., Joannes An-

tiochenus et Proclus scripserint epistolas dogmatis præformatrices, sine auctoritatis tamen hinc colligendæ sequela.

R. Quod multiplex discrimen sit inter Patrum in Synodi sextæ Prosphonetico laudatorum et Pontificum Damasi ac Leonis litteras dogmatis prænuntias. Illi enim ad singulares solum, Athanasius scilicet ad Epictetum, Greg. Nazianzenus ad Cledonium, Joannes ad Proclum, Proclus ad unos Armenos scribebant; Leo autem ad universos, Damasus ad unum quidem Paulinum Antiochenum, sed Orientis totius sollicitatione provocatus, litteras inscripserant : in prioribus attendebatur sola doctrina et sanctitas; in posterioribus sedis auctoritas : a primis fiebat propriæ quasi fidei professio et aliorum duntaxat adhortatio; a postremis definiebatur dogma, imperabatur : assensus, et sub interminatione rumpendæ communionis obsequium urgebatur : cum quibus si quid commune in scribendo habuit Cyrillus Alexandrinus, auctoritati Pontificiæ id debebat, cujus vices tum in Oriente gesserat.

Inst. 4. Quod Chalcedonenses maxime Patres subscripserint Leonis litteris, ob earum cum Synodis prioribus consonantiam.

R. Quod subscriptionis ratio, ex consonantia epistolæ Leonis cum prioribus synodis deducta, nec excludat aliam, nec una in Actis afferatur, nec forsan sola sufficiat, aut tota credulitas in tribus primis Conciliis exhauriri debeat.

Inst. 5. Quod item respectu Cœlestini fecerint Ephesini ob assensum Occidentalium, quorum Legati cum missis Pontificiis plerumque in Conciliis Orientalibus aderant : ut adeo subscriptionis ratio non referatur ad Pontificis auctoritatem.

R. 1° Quod ipse Occidens a Romano Pontifice universim fuerit pendulus; ideoque qualiscumque ex Occidentis consensu desumpta ratio in Pontificiam auctoritatem resolvatur : 2° quod missi nomine Occidentalium Legati plerique a Romana Synodo instruebantur; cujus auctor et dux perpetuus erat summus Pontifex. 3° Quod discordiarum in Oriente ortarum pugnæ et compositiones partim Occidentalibus non fuerint cognitæ, partim post rem peractam, et quidem interprete Romano Pontifice, primum communicatæ, atque hinc ab Occidentis sententia motivum decidendi nequiverit Orienti advenire.

Prioris vestigium quoddam est vel in ipso Conc. Nicæno I cujus canones et acta etiam post alterum seculum apud Occiduos, maxime Afros, nec extabant nec innotuerant; documentum autem luculentius habetur de Nicæno II de quo Francofordienses Patres vel nihil vel parum rescivisse historia docet : Posterioris autem testimonia, maxime de Ephesina et Chalcedonensi synodis, præbet Canon. 1. Concil. Aurelianensis V ita pronuntians : *Eutychetis et Nestorii sectas, quas Sedes Apostolica condemnat, similiter et nos easdem cum suis auctoribus et sectatoribus execramur :* Avitus in ep. ad Hormisdam sic loquens : *Eutychetis igitur Nestoriique damnatio, quos jam dudum per Prædecessores sanctæ Sedis vestræ calcavit auctoritas, ad notitiam nostram Apostolicæ diligentiæ provisione perlata est;* Idatius denique in Chronico inquiens : *De Galliis epistolæ deferuntur Flaviani Episcopi ad Leonem missæ. cum scriptis Cyrilli Alexandrini ad Nestorium de Eutychete Ebionata hæretico, et Leonis ad eumdem responsa, quæ cum aliorum Episcoporum gestis et scriptis per Ecclesias diriguntur.* Ex quibus patet invalidam esse Excipientium postremam collectionem.

Objic. II. Scriptura tribuit Concilio generali supremum et infallibile judicium : 1° ex Matth. 18, v. 15 et seqq. : *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum : si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos : si eos non audierit, dic Ecclesiæ : si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus :* nomine autem *fratris* venit etiam Pontifex, qui hoc nomine sæpe compellatus est ab Episcopis, et est *filius* Ecclesiæ ; potestque peccare, quoniam et ipse *circumdatus infirmitate :* nomine autem *Ecclesiæ* indicatur Conc. generale, utpote illius repræsentativum : 2° ex eod., v. 18, habetur : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo :* his verbis autem textui de Ecclesia annexis, docetur postestatem in quemcumque peccatorem Apostolis saltem simul sumptis competere.

R. ad Arg. — N. Assert. Quod in plerisque non tangit quæstionis statum, tribuens Ecclesiæ seorsim sumptæ a Pontifice, quod tantum eidem cum illo conjunctæ convenit.

Ad prob. 1. *R.* 1° *Fratris* nomen subin usurpatum nihil detrahere auctoritati Pontificis, ostendit Christi exemplum, Apostolos etiam fratres compellantis ; nec alteram *filii* vocem officere, docet Pius II in Bulla retract. A. 1463 data dicens : *Etsi Ecclesiæ filius sit Pontifex propter regenerationem, propter dignitatem tamen pater habetur : et sicut filiationis causa debet ipse Ecclesiam venerari tanquam matrem, ita prælationis causa præfertur ei, ut pastor gregi, princeps populo, rector familiæ.* 2° Pontificem, quatumvis peccare possit, non posse tamen judicandum deferri ad Ecclesiam, et sic hunc textum non pertinere ad Pontificem, ostendunt arg. pro 2ª p. 1æ theseos allata : ideoque Pontifice peccante, oportet ac restat *recurrere ad Deum, qui eum ipse emendet, vel de medio subtrahat ;* ut D. Th. in 4 Dist. 19, l. 2, A. 2, Q. 3, ad secundum scribit. 3° Si *Ecclesiæ* nomine hic veniat Concilium cum capite ; textus ad quæstionis propositum non spectat : si Concilium sine capite ; textus Concilio non convenit, cum ejusmodi Concilium non repræsentet universam Ecclesiam ; utroque tandem sensu absurdum postulatur, convocatio scilicet Concilii generalis pro quolibet fratris refractarii peccato : unde rectius, secundum alibi dicta, *Ecclesiæ* nomine intelligitur Prælatus Ecclesiæ.

Ad prob. 2. *R.* Apostolis tam simul quam singillatim spectatis convenisse jurisdictionem spiritualem in peccatores sibi subditos, ultro fatemur : Petrum autem fuisse eorum subditum, vel Apostolos seorsim a Petro sumptos repræsentasse totam Ecclesiam, vel conjunctim cum illo sumptos spectare ad præsentem controversiam, tria sunt quæ negamus.

Inst. 1. Idem constat rursus : 1° ex figura Ecclesiæ, *quæ columna et firmamentum veritatis* ab Apostolo dicitur, *et contra quam portæ inferi,* teste Christo, *non prævalebunt :* 2° ex forma propria ; cum Conc. Hierosolymitanum. Act. 15, scripserit : *Visum est Spiritui sancto et nobis :* 3° ex Dei promissione Matth. 18, v. 20 : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Ergo.

Ad prob. 1. *R.* Elogium hoc omnino proprium est Ecclesiæ, instructæ *suo capite,* ut 1 ad Tim. 3 insinuatur, et fundatæ *super petram,* ut Matth. 16 dicitur, adeoque Ecclesiæ cum summo Pontifice conjunctæ : ad hanc vero comparatio nostra et quæstio non refertur.

Ad prob. 2. *R.* Nec hoc Concilium fuit sine summo capite ; cum Petrus inibi primam sententiam dixerit : nec fuit universale, cum neque Apostoli neque Episcopi jam constituti interfuerint aut evocati sint omnes. Quare,

nisi infallibilitatem hanc ad donum Apostolicum referas, eamdem vindicabis non tantum œcumenico, quod sine præjudicio theseos nostræ largimur sponte, sed et particulari cuilibet Concilio.

Ad prob. 3. *R.* Quod et qua ratione allatus textus pro auctoritate Conc. Œcumenici valeat, num. 152 declaravimus : ex ibidem dictis autem constat titulum œcumenici nec copiosiori præcise multitudini competere, nec rariori conventui negari ; cum non numerus, sed auctoritas Christi in Vicario residens illum largiatur.

Inst. 2. PATRES consentiunt potestatem clavium *immediate* datam esse Ecclesiæ. Eas enim 1° datas esse Apostolis et pastoribus omnibus, dicunt Cypr. de unit. Eccl., Ambr., de dign. Sacerd. c. 2 ; Chrysost., Homil. 79 in Matth.; Hieron, l. 1 contra Jovinianum : 2° Easdem Petro quidem, sed ut Ecclesiæ signum, figuram et personam gerenti, traditas docet Aug. Enarr. in Psalm. 30 et 18, Tr. in Joan. 50, 118 et 124 ; Homil. 27 et 50 aliisque in locis : 3° Ipsam denique Ecclesiam, cui datæ sint claves, diserte exprimunt Fulgent., l. de Fide, c. 3 ; Gregor., l. 6 Exposit., c. 16 ; Beda, in c. 21 Matthæi. Ergo cum superior, sit, qui potestatem immediate habet, eamque alteri communicat, Ecclesia superior est Pontifice.

R. — *N. Assert.* de quo vide Tract. de Leg. et num. 176.

Ad prob. 1. — *C. Ant.* — sed *N. Cons.* Apostoli enim divisim accepti Ecclesiam nec plene constituunt, nec repræsentant : collective autem sumpti, sive cum, sive sine Petro, alterutrum defectum iterato jam reprobatum trahunt.

Ad prob. 2 *et* 3. *R.* Repetenda hic veniunt, quæ num. 157 in resp. ad prob. 2^am^ breviter sunt dicta : Petrum nempe figuram ac personam Ecclesiæ obiisse, ut Rex Regni et Princeps civitatis vices gerit : potestatem autem datam esse Ecclesiæ finaliter, quatenus hujus causa et ad hujus utilitatem illa conferebatur Ecclesiæ Præpositis. Cæterum duplex loquendi ratio, mystica et minus litteralis, hic a Patribus usurpata fuit occasione hæreticorum ; prior quidem contra *Montanistas*, qui dixerunt potestatem peccata dimittendi in Ecclesia cum Petro interiisse : posterior contra illos qui etiam extra Ecclesiam dimitti peccata posse contendebant.

Inst. 3. Ipsi PONTIFICES fatentur Concilia sibi superiora : Nam 1° Julius, Cœlestinus, Leo, Simplicius, Agapetus, Gelasius et alii contestantur, Conciliorum canones sibi dominari, se autem contra illos nil posse dispensando aut abolendo : 2° Tum alios ; tum ipsum Pontificem, delinquentes deferendos ad Ecclesiam asserunt GREG., l. 4, epist. 38 scribens Joanni Constantinopolitano : *Quidquid facere humiliter debui, non omisi ; sed quia in mea correptione despicior, restat ut Ecclesiam debeam adhibere ;* NICOLAUS in epist. ad Lothar. Regem monens : *Præcave, ne duos vel tres testes adhibeamus ; imo vero ne hoc Ecclesiæ dicamus, et, quod non optamus, fias sicut ethnicus et publicanus ;* SYLVESTER II in epist. ad Seguin. Senon. aiens : *Instanter dico, quod si ipse Rom. Pontifex in fratrem peccarit, sæpiusque admonitus Ecclesiam non audierit ; hic, inquam, Pontifex habendus est sicut ethnicus et publicanos :* 3° Causas, non a se, sed a Conciliis terminari posse ac debere, scripserunt Siricius ad Conc. Capuanum de causa Bonosi, Innocentius I ad Clerum Constantinopolitanum de causa S. Chrysostomi, Innocentius III, l. 3, Regest. 15, epist. 104 de causa Philippi Augusti Regis Franciæ.

R. — *N. Assert.* — *Quoad prob. Ad* 1. Responsum jam est num. 173 solutione ad prob. 2^am^ data ; quæ cum Pontificum hic nude appellatorum facta

exponat, recolenda est. Adde his dicta et facta contraria, num. 171 a nobis prolata.

Ad 2. — *D.* Pontifices tum alios tum se deferendos asserunt ad Ecclesiam, intelligendo per hanc suum tribunal aut personam suam publicam, C. intelligendo Concilium aut aliud quid a se distinctum, N. Ita certe exponit S. Thom. l. c. Quæst. 2, ad 4 dicens : « Prelatus potest dupliciter considerari, aut secundum quod judicio præsidet; et sic dicere Prælato est dicere Ecclesiæ, et sic debent prius testes adhiberi, quam Prælato dicatur : aut extra judicium existens; et sic dicere Prælato non est dicere Ecclesiæ, sed personæ quæ potest prodesse et non obesse; et secundum hoc debet prius dici Prælato quam aliis testibus. » Ita etiam declarat factum duorum Pontificum priorum; cum Gregor., epist. 30 et 39 edixerit Joannem Constantinopolitanum *perdidisse fidem* et esse *Antichristi præcursorem*, Nicolaus autem Lothario *excommunicationem* indixerit; uterque sine habito vel indicto Concilio eousque progressus. Quod a Sylvestro pronuntiatum additur, Pontificis confessio non est, sed Gerberti Archiep. Rhemensis, ante Pontificatum carens auctoritate scriptum, quando is a Papa depositus et contra Apostolicam sedem erat animo exacerbatus.

Ad 3. *R.* Assertum si teneret, Pontificem particulari etiam Synodo subjiceret; quod quam certo sequeretur, cum memorata Concilia fuerint particularia, tam est absurdum et a nemine admissum : sed falsitatem ostendit brevis causarum expositio.

1° Etenim, cum Bonosi Ep. Sardicensis causam Capuana Synodus Anysio Ep. Thessalonicensi commisisset, is autem ob occurentem difficultatem judicium retulisset ad Siricium, hic recusavit rem cognoscere, non quidem ob defectum potestatis, sed tum quia cognitio causæ ob distantiam loci et absentiam agentium facile suscipi non posset, tum ne videretur Pontifex quasi subdelegatus a Concilii delegato rem judicare : quam utramque rationem Siricius in suo responso attigit.

2° Nec Innoc. I fassus est Chrysostomi causam a se definiri non posse; cum potius sententiam pseudosynodi ad Quercum resciderit, et Chrysostomum sedi suæ restituerit : scripsit tamen ad causam penitus finiendam necessarium esse Concilium; quam necessitatem imponebant populi diversa studia, Episcoporum æmulatio et odia, aulæ artes et violentia.

3° Recte Innoc. III scripserat Philippo Augusto nihil se audere aut definire aut dispensare pro dissolvendo matrimonio ejus consummato; cum res ex verbis Christi indubia esset, id non licere. Addidit vero : *Si super hoc absque deliberatione Generalis Concilii determinare aliquid tentaremus, præter offensam et mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis et officii periculum immineret;* non quasi plus aliquid concilium posset contra jus divinum; sed ut Pontifex ostendendo multiplex damnum ex concessione in se redundans, quod averti non posset nisi in casu impossibili agentis secum contra jus fasque Concilii, honesto et humano etiam titulo declinaret Regiam sollicitationem.

Inst. 4. Tam facta quam dicta Conciliorum Generalium ostendunt horum supra Pontifices superioritatem. Nam Concilium Constantinopolitanum III damnavit Honorium : Pisanum deposuit Benedictum XIII et Gregorium XII quam pœnam in eosdem repetiit Constantiense, extensa eadem in Joannem XXIII; imo Basileense Eugenium IV solemnius etiam abjecit.

R. ad Arg. — *N. Assert.* quod alteram controversiæ partem non observat,

arguendo potissimum a Pontificibus dubiis aut hæreseos insimulatis; cum tamen de certis, legitimis et fidelibus thesis sit posita. Exempla mox dictorum occurrunt in factis objectis. Honorius enim arguebatur hæreseos, et ob ejus sive favorem sive crimen damnabatur; et quidem jamdudum mortuus, ubi nulla amplius potestate vigebat. Præterea si judicium hoc latum est probante sede Apostolica, conjunctum cum Pontifice habetur Concilium, et cessat systema controversiæ : si nolente aut non probante hac sede res evenit, in Patrum facto deest auctoritas, huic judicio communius adscripta. Actio Pisana in Benedictum et Gregorium auxit, prosecutio Constantiensis in eosdem et Joannem sustulit schisma; proinde utriusque potestas ferebatur in Pontifices dubios, de quibus non disputatur. Depositio Eugenii a Basileensibus tentata, ausus erat seditiosus, non solum a Concilio Florentino damnatus, sed reprobatus etiam a tota Ecclesia et posteritate.

Inst. 5. In Conc. Florentino, Sess. 9, Bessario assumpsit tanquam principium, cui a Latinis non legitur contradictum, *Ecclesiam Romanam, quanta facultate polleat, minus tamen pollere synodo œcumenica et Ecclesia universali.* Decretum autem unionis cum Græcis, asserens Romano Pontifici potestatem gubernandi universam Ecclesiam, adjicit hanc restrictionem : *Secundum quem modum et in actis Conciliorum œcumenicorum et in sacris canonibus continetur;* quæ lectio vulgatæ huic : *quemadmodum etiam in actis, etc.*, præferenda est; tum quia græcam vim καθ' ὅν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πράκτικοις, etc. accurate exprimit : tum quia Blondi, Pontificii hoc tempore Notarii, et Vigerii est interpretatio.

R. quoad *prius.* Nec ex eo quod Bessario inter disputandum afferat hanc propositionem, illa verum est principium; cum ibidem etiam addat : *Nosse tamen volumus Reverentiam vestram, a nobis facultatem* (addendi aliquid symbolo) *hanc negari universæ Ecclesiæ et Synodo etiam œcumenicæ;* quod oppido falsum est : nec verum est, quia a Latinis non sit contradictum : quoniam id vel non constat; cum opposita tunc a Rhodio etiam cætera in Actis adnotata non legantur; vel contradicendi non erat tempus; quia mox alteram post sessionem a Card. Juliano prior de additione controversia fuit abrupta : vel expresse contradicendi non erat necessitas; cum aliis argumentis continuo probaretur additionis potestas. Præterea verum esse poterat, hoc nempe sensu, quod Ecclesia Romana minus extensive, certe et facile polleret, quam Ecclesia et Synodus universalis.

Quoad *posterius*, nego fieri restrictionem, sed est comparatio aut potius inductio exercitii et usus in Conciliis et canonibus patentis; quæ per versionem et auctoritatem indicatam non turbatur, cum pro retinenda nostra etiam accedat frequens in hanc significationem usurpatio græcarum vocum, et communissimus Interpretum sensus.

179. *Obj. III.* Conc. Constantiense Sess. 4, sic decernit : *Quod ipsa Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, Generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet, cujuscumque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis et reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite et in membris :* Sess. 5, autem idem repetit et addit : *Item declarat, quod quicumque cujuscumque conditionis status et dignitatis etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis vel ordinationibus aut præceptis hujus sacræ Synodi et cujuscumque*

alterius Concilii Generalis legitime congregati, super præmissis seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur et debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo. Quæ quidem decreta postmodum ab ipso etiam Eugenio in Bulla *Dudum*, a Basileensi autem Concilio repetitis quinquies vicibus fuerunt confirmata.

R. Universim : Sensum horum decretorum saltem dubium esse et controversum, ostendunt Pii II et Gregorii XII contraria declaratio, Joannis de Turrecremata oppugnatio, Gersonis et Petri de Aliaco, licet adversariorum, hæsitatio, et Theologorum, Nationum, excepta Gallicana, omnium diuturna et fere communissima repugnantia : qui si talis non foret, sed ad adversariorum mentem sancitus, nemo Catholicorum illi contradicere posset sine hæreseos nota, quemadmodum etiam Basileenses in postrema sua epocha statuere sunt ausi : hanc tamen sequelam et censuram tanquam absurdam et immoderatam ea jam ætate repudiarunt omnes, et nullus etiam hodie ex adversariis facile tuebitur. Quod confirmationem decretorum jactatam attinet, eam ab Eugenio factam esse non evincitur ex Bulla *Dudum*, in qua Principum armata suasione, terrore schismatis et temporum iniquitate permotus Pontifex dissolutionem Concilii a se factam et Bullas hanc elocutas revocavit, Conciliumque Basileense legitime cœptum ac continuatum declaravit.

Nam 1° hæc faciens, *progressum quidem Concilii, non autem decreta* approbavit : ut declarasse Eugenium Turrecrem. l. 2 Sum., c. 100 testatur; et olim Damasus Constantinopolitanum, Leo Chalcedonense, et Martinus Constantiense Concilium approbantes, non omnia hinc decreta affirmasse intelliguntur. 2° In Bulla *Dudum* nec dissolutionem revocat, nec continuationem probat *simpliciter*, sed sub hac conditione gemina, imprimis *ut omnia et singula contra auctoritatem Pontificiam facta et gesta per dictum Concilium prius omnino tollantur et in pristinum statum reducantur;* deinde *ut missi ab eo Deputati ad præfati Concilii præsidentiam cum effectu admittantur;* quarum neutra tamen est expleta. 3° Hinc in epist. ad suos in Germania Legatos, apud Raynald. ad A. 1446 scribit : *Suscipi ac suscepta esse a se Constantiense et Basileense Concilia, absque tamen præjudicio juris, dignitatis et præeminentiæ Sedis Apostolicæ et potestatis sibi concessæ.* 4° Demum Idem Eugenius in Bulla *Moyses*, ejus Legati in Concilio Moguntino et Bituricensi, quin et Card. Arelatensis hic contrarius, abhorrentiam Pontificis ab his decretis contestantur.

Ex his porro apparet nec multiplicatam a Basileensi confirmationem valuisse quidpiam; cum illud consensum Pontificis nunquam habuerit, adeo ut, pace postmodum inter Nicolaum Eugenii successorem et Basileenses tandem facta, non approbata fuerint, nisi quæ gesta erant circa censuras et causas beneficiales. Sed speciatim adhuc videre juvat, quam multiplici ex capite laudatis Decretis omnis detrahatur auctoritas. Itaque progrediendo ex ordine ab uno ad alium receptum :

R. I. Decreta hæc valere tantum pro tempore orti circa Pontifices *SCHISMATIS*, et de *PAPIS DUBIIS;* minime autem extra hujusmodi schismatis tempus et de Pontificibus certis. Veritas responsionis constat :

1° Ex Verbis Decreti : sic enim incipit : *Hæc sancta Synodus Constantiensis, Generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis schismatis et unione ac reformatione Ecclesiæ, etc.* : pergit autem in textu primi ita : *Obe-*

dire tenetur in his quæ pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis : et in contextu secundi his verbis : *qui hujus sacræ Synodi et cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati super præmissis,* (extirpatione scilicet præsentis schismatis et unione ac reformatione Ecclesiæ,) *seu ad ea pertinentibus, etc.* In illo autem schismate tres fuisse Pontifices Ecclesiam in diversa scindentes, eosque dubios ac demum depositos, ex Conciliorum historia liquet.

2° Ex Factis Concilii. Tres nationes contra unam Germanicam suffragium pro reformatione Ecclesiæ electioni Papæ præmittenda ferentes, hanc rationem afferunt, *quod Papa electus ligari non possit :* ipsum autem Concilium Sess. 39 decernens, a Papa singulis quinquenniis Concilium congregandum, ubi § 1 de executione a Papa certo præstanda loquitur, nullam pœnam indicit : ubi autem § 2 de eadem executione tempore schismatis et dubii Pontificis agit, pœnas statuit. Similiter quamvis in Sess. 5 decreto adjectæ sint pœnæ; tamen in Sess. 38 ubi decernitur, Pontificem mox eligendum debere Ecclesiam reformare, pœnarum mentio fit nulla. Demum cum post electionem Martinus, paucis decretis editis, nollet ulterius progredi; Concilium facile cessit, non ausum coactiva potestate erga certum Pontificem uti.

3° Ex Testibus. Eugenius IV in Bulla *Moyses* Florentiæ data damnat *pravum Basileensium sensum* de Decretis Constantiensibus : damnari autem non poterat, si illi existimassent de fide, Papam dubium subesse Concilio : ergo cum certum Pontificem subderent Concilio, et in hoc pravum sensum haberent, sensus Concilii Constantiensis erat tantum de dubio Æneas Sylvius, in oratione Viennæ habita, non loqui Constantiense de Pontifice certo, nisi in casu hæresis, affirmat. Joann. de Turrecremata, in Apolog. in Concilio Florentino recitata de Constantiensi Decreto, sic ait : *Non loquitur de schismate quocumque, sed tantum de schismate illo tempore currente, quo decretum est.*

Nec *obstat* quod Papa declaretur subjectus, etiam quoad ea quæ decernerentur pertinentia *ad fidem,* et damnatio Wicleffi ac aliorum in hoc Concilio prodiret; adeoque decreta ad aliud etiam tempus ac certos Pontifices extendi videatur. Nam ut omittam has voces, *ad fidem,* in primis Concilii editionibus non reperiri; incredibile prorsus est, Concilium his vocibus respexisse ad hæresin sub Papa certo damnandam; cum nulla tum agitaretur quæstio, an Pontifex legitimo Concilio circa fidem definienti obedire teneatur? ideoque illas non nisi conjunctive aut relative ad schisma præfocandum usurpatas adhibuisse. Hoc certe tempore schismatis fautor habebatur de *hæresi vehementer suspectus;* auctor autem schismatis aut pars ejus præcipua, quales tum erant Antipapæ, damnabatur *tanquam hæreticus et schismaticus,* ut Card. Cameracensis in schedula initio Concilii exhibita monet : ex quo etiam factum est ut Papatum deponere recusantes a Procuratore Concilii hæresis et schismatis accusarentur.

Porro quod quidam Joannem XXIII fuisse legitimum Pontificem contendant, ut scilicet arguere possint Concilium in Papam certum exercuisse jurisdictionem, palam repugnat historia, quæ docet magnam Europæ partem Antipapis aliis adhæsisse, non facto solum, sed et probabilibus juris rationibus : unde objectio hæc facile dissimulari potest.

R. II. Concilium Constantiense, dum decreta conderentur, non fuisse

Œcumenicum; adeoque decreta hæc auctoritate Conc. œcumenici carere. Sequela patet : Assertionis autem ratio est, quia œcumenicum non erat :

1° ex *convocatione;* cum ea neque a Papa indubio, neque a Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ certis aut pluribus, neque ab Ecclesia universali auctoritatem legitimam nanciscerétur : præsertim cum Joannes XXIII Gregorio, et Patres Sess. 20. Benedicto concesserint, novam Concilii convocationem ab iis celebrari.

Nec 2° ex *congregatione;* cum ex Actis apud Van der Hart Episcopi 70 duntaxat Joanni adhærentes, nec iidem tamen omnes, adessent; nullus autem ex Episcopis obedientiam Gregorio et Benedicto præstantibus, quorum tamen pars major fuerat, et jus, præsertim Gregorii, non improbabile.

Nec 3° ex *celebratione;* cum collatio fuerit acephala, etiam Joanne post sessionem 2am fuga dilapso, deliberatio autem et decisio defectibus suis non careret, ut proxime ostendetur.

Nec 4° ex *confirmatione;* cum decreta a Joanne fugitivo non haberentur rata, a Gregorii et Benedicti obedientia autem reprobarentur etiam : quod idem si a Martino, in Bulla *Inter cunctas,* supremam auctoritatem sedi Apostolicæ asserente, et in altera *Ad perpetuam,* apellationem a Pontifice ad Concilium prohibente, non fuerit æquivalenter factum; confirmationem tamen datam fuisse, ex infra dicendis nunquam probabitur.

Nec 5° ex *acceptatione;* cum etiamnum, præter Gallicam forsan, natio nulla illud universim acceptet. Unde multiplex disparitas patet hanc inter et Ephesinam ac Tridentinam Synodum, ad quarum illam Orientales cum Joanne Antiocheno nullatenus, ad istam vero Galli serius accesserunt.

R. III. Controversa decreta nec *RITE* fuisse *FACTA,* nec a Martino V *CONFIRMATA.*

1um ostenditur : 1° Ex *defectu deliberationis.* Cum enim materia esset gravissima, et sententia decretis opposita, ipso Gersonio teste, non communis tantum, sed habita ut certa; pro quæstionis exigentia adhibitum non est tempus sufficiens; quia octo duntaxat dies inter Joannis fugam, quæ occasionem decretis dedit, et definitionem Patrum intercesserunt : nec inquisitio argumentorum sufficiens; quia in sermone Gersonii, primarii licet actoris, hac de causa in Synodo pronuntiato, monumentum nullum ex Scriptura, Conciliis aut Patribus affertur, sed SS. Thomæ et Bonaventuræ textus duntaxat quidam, iique perperam intellecti, nec disputatio in utramque partem sufficiens; quia Actis testantibus, de hac quæstione *per Cardinalem Florentinum cum aliquibus Deputatis aliqualiter disputatum est.*

2° Ex *defectu Consensus.* Tum quia testante non solum Joanne in epp. ad Ladislaum Poloniæ Regem et ad Ducem Bituricensem, sed et Actis protestationem Cardinalium et Nationum referentibus, multa *per vim, terrorem, strepitum et contumeliam* fiebant in hoc Concilio; tum quia ex Actorum relatione ante Sess. 4am Cardinales monuerunt Nationes, *ut suspenderent ad tempus materias, quæ magnas habent difficultates et maturam exigunt deliberationem;* ante 5am autem iidem cum Oratoribus Regis Galliæ secreto protestati sunt, *quod propter scandalum evitandum ad Sessionem ibant, non animo consentiendi iis quæ audierant statui in ea debere;* in utraque autem testibus Turrecremata et Eugenio, *nonnulli graviores reclamantes, perstrepente multitudine, silere coacti sunt.*

2um ex eo ostenditur, quod Martinus Sess. ultima professus sit, *Omnia, singula, determinata, conclusa et decreta in materiis fidei conciliariter, se*

approbare et ratificare, et non aliter nec alio modo. Sed decreta controversa imprimis facta non sunt *conciliariter;* ut ex defectibus in hac et priori responsione prolatis manifestum est : deinde nec sunt *in materia fidei;* quia salva fide de præsenti materia disputari in utramque partem volunt adversarii, et in ipsa Sess. 5ª. Synodus hæc decreta reposuit inter *constitutiones synodales,* quas distinxit ab *avisamentis in materia fidei;* et lata non sunt sub pœna *anathematis aut hæresis,* materiæ fidei propria, sed tantum sub pœna *pœnitentiæ aut punitionis* contra transgressores contumaces. Ergo.

Objic. IV. Jus sacrum, Ratio et Auctoritas repugnant præcellentiæ Pontificis supra Concilium : ergo.

Prob. Ant. 1º Usus Occidentalium Conciliorum Generalium docet, Pontifices etiam iis præsidentes, non edidisse decreta, nisi *sacro approbante Concilio :* ergo cum ex approbatione pontificia superioritatem Papæ colligere studuerimus, ex hac praxi multo magis in Papam sejunctum superioritas Concilii demonstratur. 2º Dist. 93, Can. 24 ex Hieron. dicitur : *Si auctoritas quæritur; orbis major est urbe;* in quem observat Glossa, inde concludi posse, decretum Concilii prævalere decreto Pontificis. 3º Dist. 19, Can. 9 et Dist. 40, Can. 6 statuitur, Concilium habere potestatem accusandi et judicandi Papam de hæresi; ubi ad postremum Canonem Glossa imprimis petit disparitatem, quare idem de aliis etiam criminibus non possit : deinde asserit, id omnino habere locum, si quidem Papa committit crimina alia cum scandalo Ecclesiæ, et est incorrigibilis.

R. ad Arg. — *N. Ant.* quod plus assumit, quam probare possit. *Ad ejus prob. R.* praxim allatam nihil officere; Glossæ autem, si qua est, auctoritatem non esse tantam, ut rem decernat. Hinc

Quoad 1. *R.* praxim hanc et recentiorem esse, cum in Lateranensi III primum cœpta sit; et his verbis nihil exprimi, nisi consensum Concilii sive sententiam judicio Pontificis conjunctam et subordinatam. Disparitas porro inter approbationem Concilii et Pontificis tum ex hoc ipso, tum ex dictis num. 177 contra exceptionis 1ᵐ membrum 3ᵘᵐ constat.

Quoad 2. *R.* Quis Hieronimi sensus sit, dictum est num. 173. Ad partis 1ᵐ membrum 3ᵘᵐ : collectio Glossæ nulla est; cum a facto procedat ad jus, et ex consuetudinis inter minores proedriam concernentis auctoritate, desumat potestatis inter supremos judicialis mensuram.

Quoad 3. *R.* Discrimen, quod *Glossa* petit, stat in eo quod Papa hæreticus desinat esse membrum Ecclesiæ, et hinc etiam caput, et consequenter potestatem in Ecclesiam amittat; quæ per crimina alia non fiunt. Cæterum in *casu* etiam *hæresis* Pontifex subjicitur Ecclesiæ, non ut deponatur, utpote qui jam Pontificatu exciderit; sed ut declaretur hæreticus, et Ecclesiæ innotescat, lapsum in hæresin non amplius esse Pontificem : ante quam declarationem tamen non licet negare illi obedientiam; quia eo usque retinet jurisdictionem, non quidem de jure et quasi adhuc foret Pontifex, sed tantum de facto, Deo ita volente et dispensante propter commune Ecclesiæ bonum : quemadmodum in simili casu de Episcopis et Parochis communius docetur. Assertum Glossæ nihil valere prodit ratio ejus adjecta : *Nam contumacia dicitur hæresis, et contumax dicitur infidelis;* quæ omnino falsa est; aut si vera foret, jam non propter crimen aliud, sed immediate propter hæresin, Pontificem Concilio subjectum probaret.

Inst. 1. Ex lumine rationis constat, totum esse majus sua parte : Concilium autem est totum morale, et Pontifex tantum pars : ergo. 2. Est de

fide, quod Concilium generale sit infallibile; non autem de fide est Pontificis infallibilitas : ergo et potior est auctoritas Concilii quam Pontificis. 3. Dogmata fidei et morum tradita sunt, non soli Petro et Romanæ Ecclesiæ, sed aliis etiam Apostolis et Ecclesiis; disciplina autem quænam congruat Ecclesiæ universali, melius Episcopi ex illa collecti judicant, quam unus Episcopus Romanus : ergo nec illa petenda sunt a solo Pontifice et Ecclesia Romana, sed ab Episcopis omnibus seu Concilio vel Ecclesia universali; et in hac ordinanda non Pontifex solus, sed Episcopi omnes proprium officium habent. 4. Sequeretur Ecclesiam carere remedio in extremis casibus, ubi Pontifex foret aut noxius Ecclesiæ ob scandalum vel tyrannidem, aut captivus vel amens; quod de Dei ac Christi provida erga Ecclesiam charitate incredibile videtur.

R. Repeti hic errorem superius commissum et Concilium a Pontifice sejunctum confundi cum utroque simul sumpto.

Quoad 1. *R.* Tenet quidem principium naturale, sed Pontifex a Concilio sejunctus illius pars non est; conjunctus autem, etsi pars sit, est tamen præcipua, et extensive quidem aut mole minor, intensive tamen et auctoritate major, ut caput corporis aut Monarcha comitiorum; ideoque nec assumptum probatur, nec status quæstionis perdurat.

Quoad 2. *R.* Idem mutatæ controversiæ vitium adest, si Concilium computato Pontifice accipiatur; sic autem sumptum duntaxat est infallibile : si semoveas eumdem ejusque confirmationem, Concilium infallibilitate haud gaudere, num. 152, est demonstratum.

Quoad 3. *R.* De *dogmatibus* ea quidem tradita esse non Petro tantum sed et Apostolis reliquis, non Romanæ duntaxat sed et aliis Ecclesiis : eadem tamen repetenda potissimum esse ab Ecclesiis antiquissimis et Apostolicis, docent Irenæus et Tertullianus num. 73 laudati; quorum hoc asserto et alio etiam singulari evincitur, a Romana Ecclesia hac in re satisfieri exspectationi præsertim posse. De *disciplina R.* memoratam hic notitiam præstare, ut Episcopi cæteri Romano Præsuli informationem de rerum usu et legum fructu ministrare queant; non autem efficere, ut suprema disciplinæ ordinandæ cura et potestas, Pontifici erepta, Episcopis cedat.

Quoad 4. *R.* — *N. seqq.* Pro casu 1° Christus declaravit remedium Matth. 23, v. 2 : *Super cathedram Moysis sederunt scribæ et Pharisæi : omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate et facite : secundum opera vero eorum nolite facere :* Pro 2° volunt quidam adhiberi moderamen inculpatæ tutelæ ac defensionis jus naturale : sed Petri præhabenda est ep. 1, c. 2, v. 18 adhortatio : *Subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis : hæc enim est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitiam, patiens injuste :* quanquam de provida erga Ecclesiam bonitate Dei sperandum sit, hunc casum vix eventurum, aut alia ratione tollendum, quam scilicet S. Thomas sup. laudatus indicavit. Pro 3° exemplum præbet Ecclesia Hierosolymitana Act. 12, pro Petro captivo ad preces conversa. Pro 4° idem est, quod habet et usurpat Ecclesia defuncto Pontifice : est enim perpetuo amens secundum rationalem vitam mortuus.

Inst. 2. Sententiam adversam tenuerunt 1° ex Pontificibus Pius II et Adrianus VI; ex Cardinalibus Petrus de Alliaco Ep. Cameracensis, Franciscus Zabarella vulgo Florentinus, Nicolaus de Cusa seu Cusanus; ex Episcopis Alphonsus Tostatus et Nicolaus Tudeschus seu Abbas Panormitanus; ex Doctoribus Joannes Gerson, Jacobus Almainus, Dionysius Carthusianus,

Joannes Eckius, Joan. Driedo, imo Joan. Maldonatus Jesuita. 2° Ad easdem partes accesserunt Academiæ, præter Parisinam, Viennensis, Erfordiensis, Cracoviensis et Coloniensis, quarum responsa extant apud auctores. 3° Denique inclyta natio Gallicana cum magna Germaniæ parte in sententiam Conciliis faventem hac etiam ætate conspirat.

R. Tametsi reipsa, qui laudantur, faverent omnes; qualiscumque adversariorum causa patronos haberet quidem, auctoritatem tamen haud nanciscerétur, quæ comparari cum opposita possit : sed enim aut falso aut vane aut frustra laudantur; ut ex descensu ad singularia manifestum est.

Itaque quoad 1. *R.* Nomen PONTIFICUM falso obtenditur; quia nec Pius II nec Adrianus VI in Pontificatu favit, sed tantum ante Pontificatum, ille ut Cardinalis Æneas Sylvius, hic ut Doctor Lovaniensis : prior etiam jam an. 1452, in Oratione contra Australes Viennæ habita ostendit sententiam suam mutatam; posterior autem nec tempus retractandi ob Pontificatus brevitatem habuit nec necessitatem; cum Pontificibus ut privatim docentibus, non ut loquentibus ex cathedra, fallibilitatem tantum tribuerit.

Vane autem opponuntur CARDINALES : quia Cameracensis quantumvis pro præstantia Concilii in Pisano sentiens, hoc tamen concilium pro infallibili non habuit, et contra decreta Constantiensia cum aliis Pontificiis est protestatus : Florentinus Tractatu gemino de schismate subjecit quidem Concilio Pontificem, sed dubium; et ipse etiam Sanctionibus Constantiensibus se opposuit : Cusanus demum, quæ l. de Concord. scripserat Basileensibus addictus, dein Eugenio adjunctus 2 epp. ad Bohem. de Calic. usu enervavit.

Inter EPISCOPOS, Tostatus et Panormitanus objiciuntur incassum. Prior enim, ut Spondanus ait, injurius præ studio tuendi sua, in Pontificum etiam auctoritatem invectus est in suo Defensorio; commentans tamen, in Cap. 16, Matth. Pontificem statuit regulam fidei infallibilem : alter a Ciaconio asseritur, non tam veritatis studio, quam Regis Aragoniæ imperio, et Felicis Cardinalitiam dignitatem dantis pretio, plura egisse indigne; quanquam quæ in Tit. de Electione scripsit, non tribuant Concilio infallibilitatem.

Ex DOCTORIBUS tandem Gersonium et Almainum adversariis facile cedimus; quia, quantumvis magni sint, schismatis tamen occasione ad Principia circa Pontificem ac Principes reipublicæ noxios prolapsi fuerunt, quæ civem et Christianum minime decent : unde et Richerius systema suum damnatum non ante judicavit in lucem proferendum, quam illorum opera ad molliendam sibi viam et auctoritatem parandam recenti editione præmisisset. Carthusianum et Eckium excusat non satis examinata Concilii Constantiensis auctoritas, ad quam uterque provocat, eodem tamen in loco concedens ea Pontifici, quæ cum potestate Conciliis adscripta ægre conciliantur. Driedo l. 4 Dogm. Pontificem hæreticum duntaxat et schismaticum Concilio subdit : Maldonatus autem in Comment., c. 18 Matth, Ecclesiæ quidem tribunal asserit ultimum ac summum, sed tum hic tum alibi Ecclesiæ nomine Prælatum accipi declarat.

Quoad 2. *R.* ACADEMIAS memoratas, tempore inter annum 1440 et 44 interjecto, ad sententiam Concilia Pontificibus præferentem accessisse, haud mirum videri debet, propterea quod eorum socii ac Professores decreti et schismatis Basileensis auctores vel participes essent, quorum honoris, velut sui, tuendi studio, et precibus insuper sollicitati, ad has partes pertrahebantur. Eorum tamen responsa non admodum in pretio habita fuisse, docuerunt neutræ partes a Germaniæ Principibus tunc susceptæ.

Quoad 3. *R.* Quis Galliæ sensus sit, infra speciatim examinabitur. De magna Germaniæ parte, cujus illa nominis ac ponderis sit, quoniam Scholæ aut Doctores non nominantur, nos quidem nescimus : quæ vero illius argumenta sint, quoniam sicut merces et mores haud dubie e Gallia advenerint, ex hactenus disputatis sat videre licebit.

180. *Observa.* Provocatum ab Adversariis fuisse ad auctoritatem, quæ tum Conciliis tum Episcopis *immediate* a Christo data sit, ex Decretis Constantiensibus et quibusdam objectionibus advertere licuit. Ea provocatio, quatenus supremam auctoritatem Conciliis a Pontifice sejunctis aut Episcopis vindicat, prolatis hactenus argumentis et responsis abunde refutata videtur : quatenus autem potestatem utrique propriam, quæ subordinata Pontifici sit et cum eodem debeat esse conjuncta, a Christo immediate collatam attinet, necdum attigimus; quia systemati nostro nil officit, sive immediate a Christo, sive mediante Pontifice tanquam causa proxima, aut Conciliis aut Episcopis sua, quam habent et exercent, potestas et auctoritas dicatur collata; modo veritas subordinationis ac dependentiæ, et necessitas conjunctionis cum Pontifice maneat salva. Quoniam tamen abusum sententiæ huc non pertinentis fleri ab adversa parte deprehendimus, et veritas assertionis nostræ robur ac lucem ex quæstionis hujus interpretatione capere potest; adjicimus brevem epicrisin de modo collatæ potestatis, et quidem unice respicientem Episcopos. quandoquidem Concilia Episcopis nihil nisi collectionem, hanc vero non intensionem, sed extensionem tantum potestatis addere, alibi jam declaraverimus. In quam rem :

Supponimus 1° Episcopalem dignitatem divinitus et a Christo institutam esse; ac proin eamdem in universum a Pontifice tolli aut omnino abdicari non posse : prout, præter Scripturæ documenta, Ignatius in ep. ad Ephesios, Cypr. in ep. 63; Basil. in ep. 77; Leo, ep. 89; Conc. Toletan. VIII, c. 7; Bern. l. 3 de Consid., c. 4 ostendunt. 2° Potestatem huic dignitati congruentem Episcopis esse propriam, et mensuram nominis ita implere, ut Episcopi sint veri Ecclesiæ Principes, Hierarchæ ac Judices; non autem Pontificis tantum locum tenentes, vicarii, delegati aut consiliarii : hoc enim ex iisdem monumentis colligere licet. 3° A potestate Ordinis distingui potestatem jurisdictionis; hancque potestatem aliam esse completam, jam ordinatam ad subditos, et proxime expeditam, ad valide prodeundum in actum secundum; aliam incompletam, necdum eo ordinatam, nec ita expeditam, sed aliquid adhuc sive ex parte principii, sive ex parte termini desiderantem, ut valide in actum secundum prodeat : quemadmodum Lateranense IV et Florentinum indicat, Tridentinum autem Sess. 14, de Pœn., c. 7 et Sess. 23, de Reform., c. 15 decernit. 4° Hanc potestatem jurisdictionis incompletam una cum potestate Ordinis vi consecrationis Episcopis conferri a Christo tanquam proximo auctore ac immediate : quod quidem ex præsuppositis admissis sequitur, et adversariorum argumentis tribuitur ultro. 5° Controversiam itaque, si qua restat, esse hanc : An potestas completa, ordinata jam ad subditos, et proxime expedita ad valide prodeundum in actum secundum, etiam immediate sit a Christo; an vero tantum mediante Pontifice, qui scilicet ut auctor immediatus, non quidem principalis (qui solus est Christus), sed minus principalis, pro auctoritate sibi propria det illam et conferat?

Postremam hujus problematis partem esse possibilem, negabit nemo, qui

primatum Pontificis, nedum in universam Ecclesiam, sed vel in omnes particulares Ecclesias, tantum admittit : atque hinc disparitatem quivis intelligit, cur nec consecrator Episcopus, nec electores Cardinales, nec Ecclesia acceptans, Pontifici dare possint propriam hujus muneris potestatem, sed Christus eamdem immediate tribuat ; cum ex dictis constet, præter Pontificem, nec hominem singularem, nec collectionem hominum ullam pollere potestate Ecclesiæ suprema : adeoque unus Christus, cujus manibus, Pontifice mortuo, claves regni cœlorum relinquuntur, eamdem Papæ recens electo concedere potest. An vero eadem pars realis etiam sit ac in præsens reapse constituta, Concilium quidem TRIDENTINUM, Patribus in diversa distractis non decrevit : ut tamen oppositæ præferatur, suadere potest tum auctoritas tum ratio jure et facto probata.

Auctoritatem quidem præbent 1° Pontifices tanquam juris sui assertores; ex quibus Innocentium et Leonem, utrumque primum, laudasse sufficiat. Eorum prior in ep. ad Conc. Carthag. ita effatur : *Scientes quid Apostolicæ Sedi debeatur, a qua ipse Episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit;* et in ep. ad Victricium Rothomag. : *Incipiam adjuvante Petro, per quem et Apostolatus et Episcopatus in Christo cæpit exordium ;* posterior in Serm. 3 de Assumpt sua, c. 1 sic loquitur . *Magnum et mirabile Petro consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio, et si quid cum eo commune voluit cæteris principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit;* et in ep. 10, c. 1 : *Hujus muneris sacramentum ita Dominus ad Apostolorum officium voluit pertinere, ut in Petro Apostolorum summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in omne corpus diffunderet.*

2° Episcopi, tanquam ultro contra causam suam deponentes ; inter quos Optatus Milev., l. 7 contra Parmen., inquit : *Bono unitatis Petrus et præferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni cœlorum communicandas cæteris accepit;* Greg. Nyss. Orat. adv. ægre ferentes castigationem : *Christus per Petrum Episcopis dedit claves cœlestium bonorum;* Cæsarius Arelat. in ep. ad Symmach. : *A persona Petri Episcopatus sumit initium;* Patres Synodi Rhemens. in sententia contra Fulconis homicidas : *In nomine Domini et virtute Spiritus, nec non auctoritate Episcopis per B. Petrum collata, ipsos a S. Matris Ecclesiæ gremio segregamus.*

3° Doctores et Principes Scholarum ; nempe D. Thomas l. 4 cont. Gent., c. 6, docet Petro collatam esse clavium potestatem, *per eum ad alios derivandam, ad conservandam Ecclesiæ unitatem;* S. Bonaventura in Opusc. cur FF. Min. prædicent, enuntiat *omnem*, quam Pontifice inferiores Ecclesiæ rectores habent, *curam et totam potestatem super subditos ab ipso accipi mediate vel immediate;* Ægidius Romanus in Opusc. cont. Exemptos, c. 2 : *Episcopos* statuit *per Pontificem vel per auctoritatem ejus assumptos in partem sollicitudinis.* Eadem asserunt S. Antoninus, p. 2, Sum. Theol., tit. 22, c. 3, § 5, cum aliis pluribus trium harum Scholarum Doctoribus.

Ratio, quæ *Juris* est, desumitur 1° Ex plenitudine potestatis : quam non dederunt suppositiliæ Decretales, sed Primatus auctoritativi notio et munera deposcunt et asserunt. Hujus uti et sollicitudinis tantum partem Episcopis a Pontifice communicatam declarant Leo Caus. 3, Quæst. 6, Can. 8 ; Gregorius Caus. 2, Quæst. 6, Can. 9 ; Innocentius Cap. 4 de Auctor. et usu Pallii, et Leo X in Bulla de Privil. Relig. in Later. V editæ : ubi quamvis duo priores de potestate vel Patriarchali vel delegata agant ; sicut tamen interventus

Pontificius declarat, extensam hanc potestatem, non a Christo, sed a Pontifice immediate provenisse; ita et necessitas confirmationis Pontificiæ probat, auctoritatem in Diœceses proprias competentem, proxime non profluere a Christo, sed a Pontifice. Porro oblocutionem unius Episcopi Sigini contra Leonis X assertum vim nullam habere, nemo facile dubitabit.

2° Ex præconizatione Episcoporum Romana, et horum confessione litteraria; quia in illa Episcopis a Pontifice non tantum *committitur administratio in temporalibus et spiritualibus*, sed etiam *auctoritate Dei, Apostolorum et Pontificis providetur Ecclesiæ de persona*, et hæc *præficitur in Patrem, Pastorem et Episcopum Ecclesiæ* : in hac vero se *Dei et Apostolicæ Sedis gratia* Episcopos contestantur. Quamvis autem utrumque sit recentioris formæ, est tamen juris antiqui in primigeniis Primatus fundati; nec auctoritas, qua Pontifex facit prius, est mere instrumentalis et conditionalis, sed æque propria et divinæ contradistincta, ac alia jurisdictio Ecclesiastica : nec Confessio Episcoporum est voluntaria, sed necessaria, hoc ipso quod in litteris ad Pontificem, cujus illa interest, omitti nequeat.

3° Ex paritate cum jurisdictione Presbyteriali; quæ incompleta licet vi ordinationis sacræ a Christo immediate proveniat; eam completam tamen non obtineri nisi ab Episcopo, vel munus aut beneficium curatum conferente vel delegante, nullus sane post Tridentinum sup. citatum ibit jam inficias : undecumque demum, sive ex parte principii, sive ex parte termini, ante illud factum defuisse aliquid ad validam absolutionem dicatur; quæ diversitas loquendi ad litem duntaxat nominis reipsa spectat : præsertim cum Catholici conveniant, Presbyteros pertinere ad Hierarchiam divinitus institutam; et hos quidem ministris, Episcopos Presbyteris, Papam Episcopis jure divino esse superiores.

Ratio demum *facti* subministratur 1° ex amplitudine et angustia potestatis, in Patriarchalis apicis ac Metropolitici primatus institutione, juxta litteras Innocentii I et Nicolai I a Gratiano relatas, a Pontificibus profecta; in erectione, unione ac dissolutione Episcopatuum etiam nostris temporibus, per Pontificem confecta; in reservatione casuum aut dispensationum, in translatione aut depositione Episcoporum, per omnem ætatem, ex Pontificum facto frequentata.

2° Ex Episcoporum varietate; quorum alii, sine certa ac determinata jurisdictione olim creati, vocabantur Regionarii, ut SS. Pantenus, Quadratus, Martialis, Samson, etc.; alii ad certas quidem partes infidelium, sed in quos nulla viget Ecclesiæ potestas, designati, quos Titulares appellant; alii mere honorarii et hac etiam designatione carentes, quorum exempla Sozom., l. 6 Hist., c. 34 et Niceph., l. 11, c. 4 in Barsen, Eulogio et Lazaro referunt.

3° Ex alieno jurisdictionis subjecto; cum dentur Abbates, Ordinum superiores, Cardinales et alii, qui gaudent potestate quasi Episcopali, quantumvis illo charactere non insigniti. Quæ omnia, sicut jurisdictionis potestatem incompletam et Episcopis debitam a Christo immediate descendere nullatenus negant; sic completam et alicubi mere delegatam a Pontifice tum authentice tum immediate promanare demonstrant.

181. Pro adversa parte equidem opponitur :

1° Quod Act. 20 dicatur : *Spiritus sanctus posuisse Episcopos regere Ecclesiam Dei*, nulla mentione hominis intervenientis facta.

2° Quod Joan. 6 Apostoli omnes dicantur *electi a Christo;* ad Galat. 1

autem Paulus *Apostolum non ab hominibus neque per homines, sed per Jesum Christum et Deum Patrem;* se compellet : Episcopos autem esse *successores Apostolorum*, Cypr. epist. 42, Hieron., epist. 54, Aug., in psal. 44, Greg. Hom. 26 in Evang., Trident. Sess. 23, Cap. 3 de Sacram. Ordinis testentur. Unde pariformem cum Apostolica ordinariæ saltem potestatis derivationem Episcopis adjudicandam, sequitur.

3° Quod per manuum impositionem seu consecrationem conferatur Episcopis jurisdictio ; tum quia primis seculis Episcopus consecrando confirmabatur : tum quia potestas jurisdictionis æque ac potestas ordinis ad Episcopatus essentiam spectat : tum quia utramque *indelibiliter manere* quia *per consecrationem datur,* D. Th. in 4 Dist. 25, Q. 1, Art. 2, ad 2 docuit.

4° Quod primigenia Episcoporum potestas suis pro diœcesibus plenaria sit et solida, ut ex Matth. 18, ex 1 ad Timoth., ad Tit. 1, item ex Ignat. epp. ad Trallens. et Smyrnæos, ex Cypr. epist. 27 et aliunde probatur : teneatque proin hæc regula : Episcopus ea omnia potest pro sua diœcesi, quæ summæ sedi specialiter reservata non dignoscuntur, non admittenda autem sit ista : Episcopus pro sua diœcesi nihil potest, nisi quod a summo Pontifice vel jure vel consuetudine constat concessum. Inde vero Episcopis potestatem a Christo immediate dari evincitur.

Sed enim oppositio hujusmodi *imprimis* manifestam patitur instantiam in Parochis seu presbyteris curatis. Nam et hos ad Ephes. 4 : *Christus dedit pastores et doctores*, utpote ab *Apostolis* prius nominatis *alios* et distinctos : ipsi etiam juxta Origen. in epist. ad Rom., Chrysost. in epist. 1 ad Cor., Bedam l. 3, c. 10 in Luc., Hincmar., Theodulph. et successores sunt discipulorum Christi : iidem per ordinationem sacram accipiunt in corpus Christi mysticum potestatem essentialem sacerdotio ac indelebilem; quin hæc potestas, quoad forum internum, per se plenaria et solida est, quia ordinariam jurisdictionem, et qua proprii sacerdotes, habent, adeo ut valeat etiam regula : Parochus in hoc foro omnia potest pro sua parochia, quæ a superiore reservata non dignoscuntur.

Deinde vim nullam habet ex sua forma et argumentandi ratione; cum sequentes similis formæ argumentationes non teneant : *Omnis potestas est a Deo;* aut *per Deum Reges regnant, et legum conditores justa decernunt :* ergo omnis potestas confertur a Deo; aut regna gubernantur et justa decernuntur per Deum, utrobique immediate. Roboam, Abias, Asa sunt successores Davidis : ergo sicut hic immediate a Deo evectus est ad regnum, sic et isti. Vi unctionis sacræ per Prophetas aut Sacerdotes conferebatur regia potestas regibus Juda : ergo hæc Deum habuit immediatum collatorem. Plenaria et solida potest esse potestas præsidis in sua provincia : ergo nequit esse collata mediante Prorege, cum vicaria summi Imperii potestate ad hanc et alias provincias gubernandas constituto.

Denique rem nullatenus conficit vi materiæ, in qua vel veritas antecedenti, vel nexus consequenti, vel tendentia ad scopum argumento deest.

Hinc ad 1. *R.* Textus Actorum, si etiam de Episcopis accipiatur, non tamen de his solis, sed simul de presbyteris intelligi litteraliter debet. Omissio mentionis de humano interventu eumdem non excludit, sicut silentium de solitaria Dei actione eamdem haud negat. Veritas sensus salvatur vel per inspirationem divinam in delectu personæ et per actionem humanam intermediam in collatione jurisdictionis, vel per positionem mediatam, non gratis confictam, sed satis probatam.

Ad 2. *R.* sicut electio Apostolica, de qua Textus solum loquuntur, immediate divina, pariformem non exigit in sucessoribus eligendi modum; sic nec communicatio potestatis, de qua nihil enuntiatur. Ratio successionis Apostolicæ ne quidem delationem potestatis omnis a prædecessoribus possessæ postulat; multo ergo minus eamdem translationis methodum exigit. Episcopalis demum notio in Tito, Timotheo aliisque per Apostolos eluxit sine successione : quæ scilicet cessationem aut mortem antecessoris supponit.

Ad 3. *R.* Facile conceditur, per consecrationem tribui jurisdictionem, sed incompletam, et non nisi aliquo accedente, valide reducibilem in actum; plus etiam rationes adjunctæ non probant. Nam primorum seculorum praxis pro completa potestate ostendit necessitatem confirmationis a Metropolita aut Patriarcha impertiendæ : horum autem auctoritas; quoniam ex dictis orta est ab institutione Pontificia : confirmatio ejusmodi saltem remote a Pontifice obvenit. Quæ Episcopali muneri essentialis est jurisdictionis potestas, non est completa et proxime expedita; cum hæc ab Episcopis Titularibus ac mere honorariis absit, reperiatur autem in aliis etiam non Episcopis : unde incompleta tantum ad essentiam pertinere potest. Nec alia est perpetua et indelebilis, quam eadem potestas incompleta; cum ex omnium calculo Episcopus altera spoliari possit, spoliatus autem invalide agat.

Ad 4. *R.* Ultro tribuitur omnis et in omnes, h. e. plenaria et solida potestas Episcopis pro sua Diœcesi esse congenita, si tamen incompleta intelligatur : si completam acceperis; Pontificis voluntas tum ex actibus tum ex subditis decerpere quidpiam et eximere potest : ideoque in hac acceptione nec solida et plenaria, nec congenita dicitur. Proinde liquet, quo sensu utraque regula valeat et admitti possit : quandoquidem prima priorem, altera posteriorem potestatem pro subjecto enuntiationis habeat.

Sufficiant hactenus dicta, ne ex refutata opinione validum fieri possit contra Pontificis superioritatem argumentum : neque enim hic locus est, quæstionem ipsam decidendi; neque animus eam ulterius quam modo necesse sit proferendi; neque alterius sententiæ probabilitati officiendi, ad eum scilicet modum, quo Benedictus XIV materiam hanc l. 1 de Synod. Diœces., c. 4, num. 2, attigit.

Quæres : *An in causa Ecclesiastica fas sit appellare ad magistratum civilem aut ab Episcopo ad Pontificem, aut a Pontifice ad Concilium Generale.*

182. *Nota.* Duplicem *Galli* distinguunt appellationem; alteram meram ac simplicem, alteram tanquam ab abusu. Prior est, in qua ab inferiore judice provocatur ad superiorem; quia in judicis inferioris sententia reputatur esse injustitia, quæ per hujusmodi appellationem superiori judici emendanda exhibetur : posterior est, in qua a judice Ecclesiastico ad civilem provocatur; quia ille in judicando ordinem legitimum, a jure vel naturali vel positivo præscriptum non servasse putatur, quem ut restaurari aut servari faciat, judex civilis hac appellatione imploratur. Soli Heterodoxi appellationem simplicem in causa Ecclesiastica ad tribunal politicum licitam statuunt : Catholicorum nonnulli illam tantum, quæ ab abusu dicitur, defendunt.

Quod provocationem ad judicem Ecclesiasticum attinet, si sermo est de Pontifice, plerique conveniunt eam ad hunc legitime interponi : Qui repugnant, dissentiunt vel in origine, vel in antiquitate, vel in proprietate; dum volunt eam esse institutionis Ecclesiasticæ, usus recentioris, et significationis impropriæ, appellationem scilicet sumendo pro revisione : hæ autem juxta Petrum de Marca in eo differunt; quod appellatio vim habeat suspendendi sententiam priorem, transferatque integram causæ definitionem ad judicem superiorem, qui quæstionem excutit et definit in suo tribunali : Revisio autem hanc vim non habeat, et definitivum judicium relinquat priori jurisdictioni, ea ratione, ut prioribus judicibus novi etiam adjungantur. Ubi autem sermo est de Concilio Generali, opinionum diversitas pendet a diversa circa præcedentem Articulum sententia, ad quem penitus complendum quæstionis præsentis pars postrema pertinet, sicut priores pro supplemento dictorum de subjecto potestatis Ecclesiasticæ et primatu Ecclesiæ adjiciuntur.

183. *Respondeo I.* Per se illigitima est in causa mere Ecclesiastica appellatio tanquam *ab abusu*, seu a judice sacro ad judicem secularem. *Per se* inquiam; quia, num praxi quorumdam tribunalium faveat privilegium Pontificium, aut consuetudo, non tolerantia solum, sed tacito saltem Papæ consensu munita? hic non attingimus.

Prob. Appellationi hujusmodi nullum jus favet, sed multiplex potius contrariatur : ergo. *Ant.* 1ª *p.* patet; quia 1º non favet *Jus defensionis*, quo Princeps vi aliena oppressos tueri potest ac tenetur. Nam imprimis civi vim vi repellere non licet, si in instanti adsit efficax medium aliud, quod vim cohibeat : nec post vim illatam licet jus sibi dicere, vel alienis viribus vindicare injuriam; sed coram judice agere oportet : nec, ubi etiam injuria reparari nequit, licet legitimo judici se opponere; quia pax Reipublicæ et salus hoc videnter exigere, ut potius civis particularis damnum permittatur, quam legum mandata omittendo, bono publico noceatur. Atqui vim ex judicis Ecclesiastici sententia inferendam impediendi medium præsto est in appellatione ad judicem superiorem ejusdem ordinis; utpote quæ executioni locum non permittit : illatam autem superior judex plerumque reparare potest : ergo ex defensionis jure non licet provocare ad Magistratum secularem : cum hoc sit auxilium alienum; præterea vero, quod defendendi jus Princeps habet, maxime nitatur in jure defensi.

Deinde *jure defensionis* qualicumque in causa mere civili, judex secularis nullus permitit, ut appellatio velut ab abusu fiat ad judicem Ecclesiasticum; sed recurrendum est ad supremum senatum seu Principem; aut si injuriæ reparandæ ratio nulla sit, ferenda est patienter : ergo vicissim jus defensionis in causa Ecclesiastica hanc provocationem ad Magistratum secularem non fundat; præsertim cum sat indulgentiæ sit, æqualibus cum seculari potestate limitibus contineri Ecclesiasticam, quæ multo est nobilior et pluribus titulis præeminet.

2º Non favet *jus custodiendi et exequendi Canones*, quod Principibus competit. Imprimis enim hujusce juris naturam rite exposuit Isidor., l. 3 de Sum. Bon., C. 15 scribens : *Cæterum intra Ecclesiam potestates seculi necessariæ non essent, nisi ut, quod non prævaleat sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, Potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem;* quod sane ad judicia vulgaria non pertinet : si autem ob judicia forsan contempta neces-

sarium foret, judices Ecclesiastici id exposcerent, iisque poscentibus Principes pro illo suo jure præstare deberent. Deinde Canones ipsi monent, non recurrendum alio, sed superiorem esse adeundum, qui judicium sinistrum corrigat, et injurias reparet illatas : ergo ex Canonum custodia et executione, declinato superioris Ecclesiastici tribunali, ad seculare provocari non licet. Denique jus hoc Principum remotius haud impedire debet jus Ecclesiæ proximum, suas leges sicut sanciendi, sic custodiendi et exequendi : nec exerceri potest cum violatione juris alieni; quia vel ordo declarari iniquus nequit, sine materiæ ipsius mere Ecclesiasticæ cognitione; vel ipse ordo, proprio Ecclesiæ jure sive statutus, sive adoptatus, ad ejusdem examen, et judicium pertinet.

Similiter 2ª *p.* elucet 1º ex argumentis omnibus, quibus in Tr. de Legibus potestas gubernativa Ecclesiæ asseritur, et illa non penes Principes sed Episcopos esse demonstratur. 2º Ex genuina appellationis notione et probis potestatis civilis limitibus : quarum illa hic non invenitur; isti autem inviolati non servantur. 3º Ex novitate, raritate, et malignitate hujus remedii. Id enim ante seculum XV inauditum fuit et incognitum : si autem conditiones requisitas habeat, ut nempe abusus sit notorius, Papa desuper monitus mederi renuat, indeque tranquillitas Christiana haud turbetur; tum enim vero rarissimum erit : patentissimam abusibus portam aperit; de qua non Episcoporum tantum, sed et Causidicorum querelas in libris Gallicis non paucas reperire est.

184. *Objic.* Jure et facto constat legitimam esse appellationem tanquam ab abusu. *Prob.* 1º In judiciis Ecclesiasticis possunt evenire casus, ubi scandalum et offensio publica oriatur, aut Clericus innocens opprimatur : sed Princeps a Deo potestatem habet et *in vindictam malorum,* et in tutelam bonorum : ergo sicut hoc jus exercere, sic appellationem ad illud admittere potest. 2º Judiciis hujusmodi potest lædi Reipublicæ pax et tranquillitas : sed Principum ex Apostolo est curare, *ut quietam et tranquillam vitam agamus :* ergo. 3º Princeps est origo omnis jurisdictionis, saltem contentiosæ : ordo judicialis, etiam Ecclesiæ, desumptus est ex antiquis Imperii Legibus : teste Gregorio et Hincmaro, irrita fuerunt Ecclesiæ judicia, in quibus contra Imperii leges fuit actum : ergo et Princeps legibus his ac ordini tuendis insistere, atque ob illa læsa evocari potest.

R. ad Arg. — *N. Ass.* Probatur in quibusdam plus quam Adversarii Catholici velint; appellatio nimirum simplex, non autem ab abusu tantum : in quibusdam vero minus; scilicet mera defensionis potestas, quam Magistratus, non quidem ut superior, sed ut viribus pollens, adeoque Patronus quilibet potens ab oppresso imploratus proferre potest.

Ad Prob. quoad 1. *R.* 1. — *N. Cons.* Posse dari casus, in quibus ad secularem potestatem *in thesi* licitum sit perfugium, non negamus; tres ideo horum casuum conditiones supra attulimus, et hinc rarissimos diximus. Hinc vero 1º non sequitur, regulariter illud valere : nec 2º expedire; cum ob bonum publicum id etiam in secularibus judiciis non permittatur passim; nec 3º enasci inde jus proprium appellationis; cum idem ab Adversariis negetur potestati Ecclesiasticæ respectu causarum civilium; quamvis et illa auctoritatem spiritualem habeat, eaque a Carolo Calvo contra Salomonem Britonum Ducem, et a Ludovico Transmarino contra Hugonem, ab aliis contra alios fuerit implorata.

R. 2. — *N. min.* quoad *hypothesin.* Nam 1° scandalum fit magis publicum, si delictum Ecclesiasticum deferatur ad forum civile : 2° Augetur etiam ; dum hac delatione judices Ecclesiæ superiores, velut de injustitia suspecti traducuntur ubi prætereuntur : 3° Non tollitur facilius a Laicis quam ab Ecclesiasticis judicibus, recti pronius ex sua religione observantibus : 4° Si etiam non aliter, quam a seculari potestate tolli posset, ipsi Ecclesiæ judices eam implorabunt. Præterea Clericus oppressus superiores judices proprios habet, qui vim tollere possint : si non possint aut nolint, Ivo Carnot. ep. 159, suadet : *Si qui aliquando se prægravatos ipsius Ecclesiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Ægyptum propter auxilium :* si tamen ea Clerico animi fortitudo desit, ut injustitiam patienter ferat, præsidium non a Principe tantum sed a quolibet, cui vires suppetunt, expeti potest, ad quem tamen proin appellationis jus non datur.

Quoad 2. *R.* Materia mere Ecclesiastica nexum nullatenus habet cum statu Reipublicæ : si tamen latum de ea judicium occasio turbarum foret, id vel a judice secularem jurisdictionem violante, vel a reo juste aut injuste damnato oriretur. In primo casu rectius monetur judex Ecclesiasticus, vel lædens, vel ejus superior, ut rem in integrum restituat, quam ut secularis vim vi repellat ; tum quia nec Ecclesiæ permittitur vim a Principe suo juri illatam propriis vindicare viribus; tum quia judicialis cognitio de læsione, nobiliori potius tribunali, quod est Ecclesiæ, quam ignobiliori convenit. In secundo casu, si reus juste damnatus turbas movet, compescendus est a seculari potestate, et judici Ecclesiastico auxilium seculare adjungendum : si injuste damnatus; turbando rempublicam injuste agit, dum implorandus esset judex superior, aut cura Principi relinquenda ; cui monenti haud difficulter cederet Ecclesia, uti Bernardo in ep. 108, testante semper consuevit.

Quoad 3. *R.* — *N. A.* Etenim 1° Jurisdictionis Ecclesiasticæ unica origo est Christus, sapiens profecto et potens suæ Hierarchiæ institutor : indicia illius ap. Matth. 18, v. 15 et seq., 1 ad Timoth. 5, v. 19, et 2 ad Cor. 13, expressa habentur : illius per tria secula prima usus etiam miscellam secularem excludit. 2° Ecclesia leges Imperatorias nonnullas correxit : quas adoptavit, ut suas tantum observat : alias ipsa addidit novas, ex quibus et Laici quasdam sua in tribunalia transtulerunt. 3° Irritum fuit judicium latum contra leges Imperatorias, non ut datas a Principe, sed ut adoptatas ab Ecclesia; unde in hoc casu neque ad Imperatorem, sed ad Concilium vel Metropolitam aut Patriarcham, seculis primis fiebat appellatio.

Inst. 1° Imperatores etiam post judicia Conciliorum cognoverunt causas Ecclesiasticas : nempe Constantinus M. causam Cæciliani et Donatistarum; Zeno causam Petri Mongi et Timothei Solofacioli; Mauritius causam Adriani Ep. Thebani cum Joanne Ep. Larissæo. 2° Episcopi celeberrimi usi sunt appellatione a judicibus Ecclesiasticis ad Tribunal Imperatorium : uti Athanasius a Synodo Tyria ad Constantinum; Flavianus Antiochenus a Syn. Capuana et Alexandrina ad Theodosium; Hincmarus Laudunensis a judicibus Ecclesiasticis electis ad seculares. 3° Ipsi Pontifices recurrerunt ad Imperatores in simili causa : Leo I quidem a Theodosio supplicans pro suspensione decretorum Latrocinii Ephesini; Ejus Legati in Conc. Chalcedonensi, pro rescissione Canonis 28, Judices Imperatoris invocantes; Leo IV. Ludovico Imp. arbitrium relinquens, ut, si quid à se *incompetenter* actum foret, ipse judicio suo emendaret, ut Caus. 2, Qu. 7, Can. 41, refertur.

R. Modus probandi jus per facta, nec semper satis tutus est ab erroris periculo, cum non omnia fiant favente aut impellente jure; nec semper liber ab excessu, cum et Græcorum et Latinorum attentata habeantur non tantum contra judicii sed etiam ipsius Ecclesiæ rationes; nec semper congruus rei, cum potius in contrarium prostent monumenta : uti dum Justinian. Nov. 83, c. 1, ab Ecclesiæ judicio cognitionem secularem dimovit, Valentinianus Chronopium ad tribunal laicum appellantem mulctavit, aliique auctoritatem Ecclesiastici judicii prompta executione confirmarunt : nec semper favet intentioni, ut in objectis exemplis apparet.

Hinc quoad 1. *R.* Quæ in causa Donatistarum Constantinus fecit, ea jure facta non fuisse, fatetur ipse in epistolis apud S. Augustinum : quæ judicia Episcoporum tum Arelate constituit, licite quidem fecit; quia cum consensu Melchiadis ac Sylvestri disposuit : quod vero ipse judicium tum Romæ tentavit, tum Mediolani perfecit, bono quidem animo sed non absque culpa suscepit, Aug. ep. 162 sic scribente : *Eis ipse cessit, ut de illa causa post Episcopos judicaret, a sanctis Antistitibus postea veniam petiturus;* de quo vide Tract. de Legibus. Zenonis per Anthemium actio non erat judicii usurpatio, sed Ecclesiæ defensio, qua Petrum ab hæreticis in cathedram Alexandrinam intrusum e sede expulit, et Canonum ac judiciorum Episcopalium executio, qua Theophilum Patriarcham legitimum sedi restituit; ideoque non ab Acacio Constantinopolitano tantum, sed et a Simplicio Romano Pontifice fuit laudatus. Quod Mauritius Adrianum Thebanum appellantem remiserit ad Joannem Larissæum, recte fecit, cum hic Adriani Metropolita esset; quod Metropolitano adjunxerit Joannem Ep. Justinianæ primæ, male egit; ideoque a Gregorio l. 2, ep. 7, Indict. 11 reprobatur, irritata etiam sententia : quod postmodum Honorato sedis Apostolicæ Diacono delicta judicaturo addiderit Senatorem, ea mente fecisse videtur, ne accusatus falsis criminationibus opprimeretur; quam etiam ob causam Gregorius eadem ep. jussiones Imperatoris *rectas* compellavit.

Quoad. 2. *R.* — *N. Ass.* Etenim Athanasius a judice Ecclesiastico non appellavit ad secularem, sed ab hostium violentia confugit ad auxilium Imperatoris. Conventum enim Tyrium nec fuisse Synodum Ecclesiasticam, asserunt PP. Alexandrini in ep. Synodica, et declarat Præsces conventui datus Dionysius Comes : nec fuisse legale judicium, sed latrocinium, docent non tantum Eusebiani, unice hic collecti, jurati hostes Athanasii; sed omissa etiam omnis justitiæ et religionis species : nec juridicam fuisse provocationem, probat protestatio apud Dionysium facta, et discessio Constantinopolim ante suscepta, quam sententia a congregatis ferretur. Flavianus Antiochenus contra Capuanam Synodum imploravit Theodosium, non deferendo judicium, sed petendo duntaxat synodi celebrationem in Oriente, ut ipse præsens interesse posset : judicium etiam Alexandrinum refugit, sed sine appellatione : opera demum Theophili Alexandrini, a Synodo Capuana et Damaso constituti mediatoris, reconciliatus cum Ecclesia universali. Hincmari Laudunensis criminibus accessit frivola hæc et illusoria appellatio; sed quam refutavit Hincmarus Rhemensis, et repulit Carolus Calvus.

Quoad 3. *R.* Recursus Pontificum ad imperatores pro sua duntaxat et juris tutela fuerat, minime pro deferendo iisdem causæ Ecclesiasticæ judicio. *Primum* patet in Leonis I provocatione, ad noxios Latrocinii Ephesini effectus sufflaminandos : *Secundum* in *Legatorum* Apostolicorum postulatione, ut innotesceret an canon 28 a Patribus reipsa ac libere fuisset

statutus : quem, quamvis Legatorum intercessioni non cederent judices, vigore juris tamen caruisse, alias jam est dictum. LEONIS alterius delationem quod attinet, non fuisse illum hujus nominis IV innuit silentium hujus rei in omnibus illius epistolis, et absentia cujuscumque cum Imperatore controversiæ. De LEONE III Anastasius quidem refert, sponte obtulisse se Carolo suam innocentiam probaturum ; sed Episcopos ne hoc quidem permisisse.

Cæterum cujuscumque hoc LEONIS effatum sit, de judicio quodam in Romanos civili exercito dictum videtur : in quod utique Imperator ea ætate jus etiam habuit ; quamvis non *emendari* Pontifex a judicibus dandis, sed errorem ab illis indicatum ipse *emendare* voluerit.

Inst. 2. Etenim : 1° Conc. Romanum gratias agit Gratiano et Valentiniano, quod Damasi causam judicarint hi Imperatores. 2° Conc. Francofordiense, Can. 6 statuit partes judicio Metropolitani non acquiescentes, posse deferre suam causam ad Regem. 3° Justinianus Nov. 123, cap. 21 mandat causam ad Imperatorem deferri, ubi judex laicus et sacer in eamdem sententiam contra Clericum ferendam non convenirent : simile quid sanxerunt Carolus M. et Ludovicus Pius in Capitularibus. 4° Ludovicus sanctus causas beneficiales et judicia de his fieri decrevit secundum Jus commune et canones : cujus etiam rei curam postmodum Martinus V in Bulla *Apostolicæ sedis* Regibus Gallorum commisit. Ergo.

Quoad 1. *R.* Imperatores ut custodes pacis publicæ et Ecclesiæ defensores, et quidem rogati, schismaticis restiterunt, Damasum legitime electum tuiti ; et hinc merito a Patribus grates retulerunt.

Quoad 2. *R.* Siquidem Canon 6 cum reliquis, præter definita contra Felicis et Elipandi errores, confirmatus fuit a Pontifice ; is quidem pro perturbato tunc Ecclesiæ Gallicanæ statu erat proficuus : sed nec prohibebat appellationem ad sedem Apostolicam, nec agnoscebat hanc potestatem tanquam jus Imperatori proprium ; sed velut officium ex prudenti œconomia transferendum committebat.

Quoad 3. *R.* Mandatum JUSTINIANI pertinet ad delicta non Ecclesiastica, in quibus hoc tempore Clerici a judice seculari non erant omnino exempti. CAROLI M et LUDOVICI PII nulla est oppositio, cum ex Capitularibus l. 1, c. 38 ; l. 2, cc. 179, 225 et 237 ; l. 6, c. 125 et l. 7, c. 107, manifestum sit, ad Episcoporum tribunal non Ecclesiastica tantum, sed et civilia Clericorum delicta pertinuisse, iisque recursum ad Principes fuisse prohibitum.

Quoad 4. *R.* Quod S. LUDOVICUS statuit, postulantibus Episcopis fecit ; et defensoris Ecclesiæ munus implevit, non judicis partes assumpsit. MARTINI concessio, si quid ultra custodiam Canonum in beneficiorum collatione impertit, privilegium tribuit, jus non supponit. Porro quam non aliena a nobis sint Concilia et Principes, docent Synodi Antiochena Can. 12 et sub finem seculi 4 Carthaginensis III, Can. 9 et Milevitana, Can. 10 : Imperatores Constantinus M. ap. Optat. Milev., l. 1 con. Parm., et Athanas., in ep. ad Solitar. ; Marcianus apud Facund. Hermian., l. 12, c. 31 ; Basilius, in Syn. VIII, act. ultima, qui Episcopis judicia Ecclesiastica firmarunt, laicos ab iis removerunt, appellationes ab illis ad hos legibus ac pœnis cohibuerunt.

185. *Respondeo II.* Remedium appellationis ad Pontificem in causa etiam personali Episcoporum est juris Divini, antiqui usus, et propriæ significationis. Dixi 1° *In causa personali* ; causas enim fidei et disciplinæ a personis

abstractas videntur ipsi adversarii tribuere. 2° *Episcoporum*; quia quamvis eadem sit ratio juris etiam pro Clericis inferioribus; item usus antiquus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Alexandrinæ et Gallicanæ, ex Cœlestini epist. 19; Leonis, epp. 57, 58, 92; ex Greg., l. 1 epist. 72; l. 2, epist. 33; l. 10, epist. 32 et 33, facile probetur; imo et Africanæ ex Zosimi et Gregorii epistolis colligatur : impropria autem significatio locum hic non capiat : cum tamen propter incommoda et abusum, Synodi Carthaginensis disciplinam suis Clericis propriam voluerint, Tridentinum autem circa hæc pluribus prospexerit; ab his supersedemus.

Prob. 1ª *p.* Quæ sunt primatus supremi munia vel sequelæ, non sunt donata a Synodis, sed data a Deo, ut ipsa primatus institutio et Nicolai, epist. 8 ad Michaelem Imp. ostendit : sed jus recipiendi appellationes in Episcoporum causis etiam personalibus est primatus Romani munus aut sequela, ut Art. 3, ostensum est, et vel sola Canonum custodia et executio ab Adversariis concessa Pontifici exigit : ergo.

Conf. Cyprianus epist. 67 a Stephano Papa petit depositionem Marciani, et Episcopi alterius substitutionem; ep. 68 autem non queritur, Basilidem ad dictum Papam confugisse, sed eidem obrepsisse : Cæciliani in Africa damnati causam Romæ fuisse jure recognitam a Melchiade, Optatus Milev., l. 3 contra Parmen. et Aug., Conc. 2 in Psal. 37, alibique sæpius declarant : Julius reprehendit Eusebianos ep. ad illos data, quod sua sede inconsulta Episcopos deposuerint; depositosque Athanasium, Paulum, Marcellum et Asclepam ad se profugos, communioni ac sedi restituit : idque recte factum, *quoniam Ecclesia Romana privilegium præter cæteras obtinebat*, Socr., l, 2, Hist., c. 15, et *quia propter sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectaret*, Sozom., l. 3 Hist., c. 8 testantur. Ergo ante Sardicense Concilium jus Pontificis judicandi causas Episcopales, et Episcoporum jus appellandi ad Pontificem jam vigebat : ergo neutrum est institutum ab hoc Concilio, quod Adversarii volunt; sed utrumque tantum est confirmatum.

Prob. 2ª *p.* Sardicenses Canones viguerunt in Oriente ante *Trullanam Synodum*. Provocarunt enim ad Pontificem in causis personalibus, teste Basilio epist. 74. Eustathius Ep. Sebastenus, in Conc. Tyanensi restitutus ob Liberii litteras; narrante Palladio in Vita ejus, Chrysostomus, tam post Synodum ad Quercum quam post alteram Constantinopoli habitam, ad Innocentium I provocans; scribente epist. 8 Leone, Eutyches juste damnatus, et epist. 25. S. Flavianus injuste condemnatus, uterque ad Sedem Apostolicam conversus; ex Syn. Chalced., Act. 1 et propria auctoris historia, Theodoretus Ep. Cyrensis ab invocato Leone restitutus, et secundum hujus sententiam ab illo Concilio receptus. In Occidente ante 8ᵘᵐ Seculum simili facto celebres sunt Cœlestius et Pelagius apud Zosimum Papam epist. 3 ad Afros; Chelidonius Ep. Prov. Viennens. cum Hilario apud Valentinianum III in Novella; Lupicinus Afer apud Leonem epist. 87; *Contumeliosus* Ep. Rejensis apud Agapetum epist. ad Cæsarium : Salonius Ep. Ebredunensis et Sagittarius Vappincensis apud Greg. Turon., l. 5 Hist., c. 20; Adrianus Thebanus, Januarius Malacitanus, Stephanus Hispanus apud Greg., l. 2 Regesti Indict. 11, epist. 6 et l. 11, Ind. 6, epist. 52. Ergo antiquioris usus est appellatio hujusmodi, quam adversarii velint et statuant.

Conf. De usus antiquitate testantur Valentinianus Imp. in epist. ad Theodos. Imp. scribens : *Fidem a Majoribus traditam debemus cum omni devotione defendere, et dignitatem venerationis B. Petro propriæ intemeratam conser-*

vare; quatenus Romanæ civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat et facultatem de fide et sacerdotibus judicare; Aug., ep. 162 de Cæciliano loquens ait : *De Collegis agebatur, qui possent aliorum Collegarum judicio, præsertim Apostolicarum Ecclesiarum, causam suam integram reservare;* Leo, ep. 89 ad Epp. Prov. Viennens : *Nobiscum vestra Fraternitas recognoscat, Apostolicam sedem pro sui reverentia a vestræ etiam Provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, et per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum, aut retractata aut confirmata fuisse judicia;* Gelas., ep. 13. ad Epp. Dardan. : *Sed nec illa præterimus, quod Apostolica sedes frequenter, more majorum, etiam sine ulla synodo præcedente, et absolvendi quos synodus inique damnaverat, et damnandi, nulla existente synodo, quos opertuit, habuerit facultatem.*

Prob. 3ª *p.* Canones Syn. Sardicensis sic habent; et quidem Canon 3 : *Quod sit aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa, et putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur, si vobis placet, S. Petri Apostoli memorium honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt, Julio Romano Episcopo; et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur et det judices : si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirmata erunt.* Can. 4 : *Cum aliquis Episcopus depositus fuerit, eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, et proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma : alter Episcopus in ejus cathedra, post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata.* Can. 7 : *Placuit autem ut si Episcopus accusatus fuerit, et judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, et de gradu suo eum dejecerint; si appellaverit, qui dejectus est, et confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ et voluerit audiri; si justum putaverit ut renovetur judicium vel discussionis examen, scribere his Episcopis dignetur, qui in finitima et propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, et juxta fidem veritatis definiant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo Presbyterum mittat; erit in potestate Episcopi, quid velit et quid æstimet : et si decreverit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio.*

Ex his patet. 1º Appellationis vocabulum usurpari iterato, revisionis nunquam : 2º Pontifici inesse potestatem confirmandi judicia, lata in Synodis Provinciæ, consequenter et cognoscendi et decidendi causam, et e contrario judicia in irritum mittendi; cum utraque potestas confirmandi et irritandi sit indivisibilis : 3º Eumdem posse nominare judices omnino novos, quibus auctoritatem judicandi et definiendi committat; mittere etiam posse legatum, qui auctoritate sedis Romanæ cum novis judicibus jus dicat : 4º In altera a judicibus primo datis appellatione, ipsum Pontificem per se causam retractare ac determinare posse : 5º Interposita Episcopi provocatione, si primi judices etiam ad depositionis executionem processerint, hunc reum videri tantum depositum; et prohiberi penitus, ne novus ordinetur Episcopus. Hæc autem dilucide monstrant, nec nomen, nec rem, nec ullam conditionem propriæ appellationis hic abesse; adeoque esse falsum, quod Pontifici merum jus decernendi revisionem a Sardicensibus asseratur.

Conf. Ex dictis et factis inter probationes priorum partium allatis; quæ propriam appellationis significationem undique produnt.

186. *Objic.* Nobilissimæ Ecclesiæ, etiam post Sardicenses Canones, legibus et factis repugnarunt juri appellationis ad Pontificem. *Prob. de Eccl. Africana :* Hæc 1° In Conc. Milevitano II, Can. 22, sub excommunicationis pœna prohibet appellationes transmarinas; et in Codice Can. Afr., c. 125, dicit *idem sæpe constitutum de Episcopis :* Can. 24 autem, uti et in Africano Can. 87, appellationem qualemcumque *a judicibus electis* reprobat. 2° In Carthaginensi VI, ut ex hujus ep. Synodica ad Cœlestinum liquet, detegit jus appellationis fuisse fundatum in canonibus supposititiis : declarat illegitimum ex repugnantia cum Canonibus Nicænis, ex defectu approbationis Ecclesiasticæ, ex absurdis et incommodis : spernit et impune violat, damnando Apiarium ad sedem Apostolicam iterato appellantem.

R. ad Arg. Assertum permitti forsan posset salva Theseos veritate; cum usum quidem probaret contrarium, non tamen universalem, nec continuum nec necessarium : quoniam vero plura continet falsa, aut falsum inferendi occasionem præbet. *N. Assert.* Ad ejus *prob.* de *Eccl. Africana :*

Quoad 1. *R.* Milevitanus quidem Canon 22, hanc prohibitionem continet : sed 1° pertinet ista duntaxat ad Clericos Episcopo inferiores : 2° Potuit ista disciplina a Pontifice Afris permitti absque juris sui læsione; cum a jure distinguatur usus et exercitium : 3° Nec potuit præjudicare Pontifici, cum lex inferioris non valeat contra jus superioris : nec Pontifex sibi præjudicium inferri est passus; cum lege hac insuper habita, appellationem Apiarii Clerici Presbyteri eodem tempore admiserit.

Additamentum de Episcopis est irreptitium, nec in ulla Milevitanorum Canonum editione habetur : quin etiam a pluribus Codicis Africani exemplaribus abest. Quod subditur Canone 24, de *judicibus electis,* spontaneam remedii juris abdicationem supponit, usum autem per se illicitum et invalidum non probat. Quanquam hanc ordinationem ad causas tantum profanas Clericorum pertinuisse, constet ex Africana arbitros hic eligentium consuetudine, quæ ex Can. 15 et 96, ejusdem Codicis colligitur.

Quoad 2. *R.* Quamvis Episcopi Afri, inter Acta Concilii Nicæni a Patriarchis Orientalibus petita et missa, non deprehenderint Canonem de Appellationibus agentem; non detexerunt tamen appellationem fundari in Canonibus suppositiiis, sed ad summum pseudonymis : dum Zosimus, ut communius respondetur, Sardicenses Canones laudavit velut Nicænos; quia Concilium Sardicense, cum definitione fidei careret, habebatur appendix Nicæni, et illius Canones in Codice Romanæ Ecclesiæ Nicænis immediate subjiciebantur. Joannes tamen Theologus, in Sess. 20. Concilii Florentini ex antiquissima et authentica epistola docuit : 1° Jam Athanasii ætate in omnibus Orientalibus Ecclesiis ab Arianis fuisse corrupta acta Nicænæ Synodi : 2° Romæ originaria fuisse custodita integra : 3° Ex iisdem prolatum fuisse a Julio canonem de Synodis, quo Conc. Antiochenum ob defectum consensus sedis Apostolicæ ostendit illegitimum; a Liberio autem alterum de Appellationibus, quo Athanasii ab ea Synodo ad Pontificem provocationem defendit tanquam legitimam.

Quod rationes concernit, quas Synodus Carthaginensis protulit; earum 1ª fingit repugnantiam appellationis cum Canonibus Nicænis, qui synodos provinciales et majores pro judicibus ordinariis, et secundum instantiarum

seriem assignant, nulla mentione facta judicis extraordinarii ac supremi; 2ª falsa est, cum adsint saltem Canones Sardicenses : reliquæ abusum indicant, et promiscuam frequentationem impugnant; usum autem moderatum non tollunt. Quod de contemptu additur, ab Afrorum reverentia et a veritate alienum est. Nam fervente etiam Apiarii causa, ipse S. Aug. Afrorum tunc præcipuus, ep. 261, Antonii Ep. Fussalensis appellationi ad sanctam sedem detulit : ipsius Apiarii etiam appellationem primam et restitutionem ejus a Pontifice factam admiserunt omnes : secundam autem repudiarunt; quia probare non potuit a se fuisse appellatum, ac dein sua crimina tandem confessus est : ut in ipsa ep. Synodica ad Cœlestinum narratur.

Inst. 1. *De Eccl. Occidentali* testatur 1º Epistola Synodica Concilii Italiæ ad Theodosium, qua Damasus et Patres declarant in causa Maximi Constantinopolitani d positi se non cognoscere posse sine Orientalibus. 2º Epistola Constantii ad Conc. Ariminense, qua ab hoc nihil in causa Orientalium definiendum enuntiat : 3º Constitutio Gratiani, ad postulationem Syn. Romanæ edita, et in append. Codicis Theodosiani superstes, qua alius a Sardicensi judicorum ordo præscribitur.

Quoad 1. *R.* 1º Epistolam hanc supposititiam esse, indicat stylus involutus, Gregorius Naz. falso Episcopus Alexandrinus hic nominatus, Maximi ordinatio domi privatæ facta perperam asserta, et Damasi epistola ad Acholium in plerisque contraria. *R.* 2º Permissa epistolæ sinceritate, Pontifici cum Occidentalibus jus fuisse in hac causa, testantur tum ipsius epistolæ verba, *jure et more majorum* hanc appellationem factam enuntiantia; tum narratio de restitutione Maximi, absque Orientalium interventu decreta, ibidem inserta : Pontificem tamen fuisse paratum ad remittendum de jure suo pro pace conservanda, facile concedimus.

Quoad 2. *R.* Non sane ex Constantii litteris jus controversum decidi potest aut debet. sicut nec ex aliis ejus factis jura alia Ecclesiæ ullus colligere audebit. Cui tamen inde aliquid inferre placet, plus non exsculpet, quam Ariminensibus, nec provocatis nec a Pontifice auctoratis, haud convenisse, ut occuparentur tractandis Orientalium causis, dum illi ipsi cœtum eam in rem Seleuciæ agerent.

Quoad 3. *R.* Gratiani constitutio non pertinet ad causas Episcoporum quascumque et universim, sed speciatim ad contumaces in schismate Ursicini et pacem Ecclesiæ turbantes; ubi turbarum atrocitas et Episcoporum Damaso adhærentium postulatio etiam ordinem in Nicæno statutum observari haud sinebant.

Inst. 2. *De Eccl. Orientali* patet : 1º Ex ep. Cyrilli Alexandrini ad Domnum Antiochenum, qua Petri ab hoc depositi causam in Synodo Patriarchali judicari postulat. 2º Ex Socrate, l. 2 Hist., c. 40 dicente, quod Cyrillus Hierosolymitanus solus ac primus contra Canonis Ecclesiastici consuetudinem provocarit ad majores judices : 3º Ex querelis Episcoporum Macedoniæ contra Innocentium I quod is causam Bubaliani et Tauriniani in provinciali Synodo damnatorum retractasset.

Quoad 1. *R.* Ad rem nostram epistola Alexandrini non pertinet; cum causa Episcopi Antiocheni nec apud Cyrillum Alexandrinum, nec apud Proclum Constantinopolitanum, quo etiam Petrus se verterat, tractari posset : illorum siquidem officia una mediatione ac supplici interventu finiebantur.

Quoad 2. *R.* Appellatio Cyrilli Hieros. non ad Pontificem, sed ad Imperatorem ferebatur : adeoque et hoc factum huc est impertinens.

Quoad 3. *R.* Nec querelæ Episcoporum Macedoniæ spectabant appellationem, cum ipsi causam detulissent ad Rufum Thessalonicensem, Vicarium Pontificum, damnati autem ad Pontificem ipsum : sed conquerebantur de communione, quam Bubalianus et Taurinianus datam sibi a Pontifice litteris suppositiis mentiebantur.

Inst. 3. *De Eccl. Universali* asserit : 1° Conc. Constantinopolitanum I quod Can. 2 et 3, supremam Synodis Diœcesanis h. e. Primatialibus auctoritatem tribuit : 2° Conc. Chalcedonense, quod Can. 9 et 17, iisdem Conciliis definitivum de Episcoporum depositione ac cæteris disciplinæ rebus judicium adstruit : 3° Justinianus in Nov. 123. Cap. 22. Patriarcham postremum appellationis judicem statuit, interdicta ultiore provocatione.

Quoad 1. *R.* Constantinopolitanus Canon 2us limites tantum Patriarcharum definit, nullos Romano Pontifici præscribit : 6us prohibet Episcopis, et quidem accusatoribus tantum, in Conc. Provinciali damnatis, appellare ad Imperatorem vel Concilium œcumenicum, non delata prius ad Patriarchale judicium causa ; neuter appellationem ad Pontificem vetat.

Quoad 2. *R.* Chalcedonense Concilium primam cognitionem causarum inter Clericos et Episcopum ortarum defert synodo Provinciali ; inter Episcopos autem aut Clericos et Metropolitam natarum ad Primatem vel Synodum Diœcesanam : de ultima instantia nihil enuntiat.

Quoad 3. *R.* Justinianum hic locutum de causis Episcoporum civilibus, quas utique Imperator judici cuilibet pro sua voluntate committere poterat, patet tum ex Nov. 137 ubi Cap. 4 et 5, de causis Ecclesiasticis loquens, appellari non prohibet : tum ex Conc. Constantinopolitano sub Menna et tempore Justiniani, in cujus Actione 1ª et 4ª adsunt exempla appellationis hujusmodi factæ et acceptatæ. Qui aliter Imperatorem sensisse evicerit, nil tamen proficiet, quia Constitutiones ejus nec jus nec usum pro Ecclesia facere poterant.

187. *Respondeo III.* Fas non est appellare a Pontifice ad Concilium Generale. Sequitur hæc assertio tum ex Articulo proximo ; quia appellatio ad judicem superiorem facienda est ; non autem Concilium Pontifice, sed Concilio Pontifex est superior : tum ex præcedenti ; quia Tribunal Pontificis est in Ecclesia summum, tam propter primatum jurisdictionis Pontifici competentem, quam propter perfectæ Monarchiæ regimen in Ecclesia constitutum : item quia Tribunal Pontificis est Christi ipsius tribunal, propter vicariam Christi potestatem in Pontifice residentem, et certam juris decisionem, quod unum sit tribunal Vicarii et Principalis. Speciatim tamen :

Prob. Appellatio hujusmodi est illegitima, perniciosa et nulla : ergo.

Ant. 1ª *p.* patet 1° quia est contraria Canonibus, Causa 9, Quæst. 3 relatis, qui auctores habent Bonifacium I, Gelasium I et Nicolaum I, Pontifices. Bonifacius quidem in ep. ad Rufum Thessalon. inquit : *Intelligant de nostro judicio non esse retractandum : nunquam enim licuit de eo quod semel statutum est ab Apostolica sede, rursus tractari ;* Gelasius in Commonit. ad Faustum : *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluerunt deferri ; ab ipsa vero nunquam prorsus appellari sanxerunt ;* Nicolaus, ep. 8 ad Mich. Imp.: *Non liceat cuiquam de Sedis Apostolicæ judicare judicio ; siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint ; ab illa autem nemo sit appellare permissus.* Hos præcessit Zosimus in ep. ad Carthagin. scribens : *Patrum traditio Apostolicæ Sedi Auctoritatem tantam tribuit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet, idque per Canones semper*

regulasque servavit, et currens adhuc suis legibus Ecclesiastica disciplina reverentiam, quam debet, exsolvit. Item : *Cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia, etc.*

2° Quia rejecta est in Generalibus Conciliis : nimirum qualicumque illa Thaddæi, pro Frederico II. Oratoris, ad Concilium magis plenarium provocatione a Lugdunensi I insuper habita, Innocentius IV ad ferendam sententiam processit : objecta autem Constantiensi Sess. ult. a Poloniæ Legatis ad futurum Concilium appellatio a Patribus, quantumvis circa libri damnationem idem sentientibus, fuit neglecta, a Martino V autem pœnis propositis compressa.

3° Quia reprobata est a judicibus ; utpote a Pio II in Bulla *Exsecrabilis*, variis et gravissimis censuris notata ; quæ constitutio a Sixto IV, Callixto III, Julio II, aliisque innovata, etiamnum quotannis in Cœna Domini, a qua nomen sortita est, promulgatur.

Ant. 2ª *p.* declaratur. Est enim *perniciosa* 1° regimini Ecclesiæ quia Pontificis quantumlibet legitimi superioris, auctoritas labefactatur, imperandi vis inhibetur, inobedientia inulta manet : 2° Paci ac unitati ; quia schismati facilis datur aditus, difficilis autem fit medela : 3° Fidei et integritati ; quia hæresis diu hac impune grassari potest : cum appellatione interposita, Concilium, ad quod provocatur, vel longe post, vel nunquam sit congregandum ; quandoquidem ab ultimo, scilicet Tridentino, jam duo secula fluxerint, quin post varias appellationes injectas Concilii generalis cogendi necessitas aut occasio fuerit.

Ant. 3ª *p.* colligitur : quia *nulla* est 1° Ob defectum judicis, qui necdum est, cum ad futurum Concilium appellatur ; incertus est, cum Concilio superioritas ista probabilissime negetur ; forsan nunquam erit, cum generale Concilium congregari vel moraliter hoc rerum statu non possit vel non expediat : 2° Ob defectum finis appellationis, qui, utpote cessatio litis, sperari nequit, sed, timeri potius debet litium immortalitas, tum ob rationes nuper allatas : tum quia collecto forsan etiam Concilio sine Pontifice deest auctoritas ; cum Pontifice autem collecto et ab ejus confirmatione dependenti, veneratio ab appellantibus ægerrime est deferenda : 3° Ob defectum finis Appellantium : qui in plerisque tum antiquis, ut Seculi 16 sectariis, tum recentioribus, ut Jansenianis appellantibus, deprehenditur esse declinatio Pontificis et damnationis, et frustratio judicii Ecclesiastici.

His accedit frivola inutilitas, quæ oritur tum quod definitio dogmatica Pontificis mutari nequeat, tum quod appellantes confirmatæ rursus sententiæ obedire nollent, ut Tridentino experimento patuit in Protestantibus.

188. *Objic.* Ratio et experientia stant pro valore appellationis a summo Pontifice ad Generale Concilium. *Prob.* Appellatio est remedium juris naturæ contra gravamen ex sententia condemnatoria : ergo a Pontifice ad Concilium debet esse legitima ; nam alias 1° injuste gravatus nullum haberet remedium : 2° sæpius acquiescendum foret Papæ in propria causa judicanti ; 3° ipsi Papæ non suppeteret medium corrigendi errorem judicii, quem auditi in Concilio universi orbis Episcopi, impertiendo factorum maxime notitiam, tollere possunt.

R. ad Arg. — *N. Assert.* Frustra adversus jus apertum provocatur ad rationem, si hæc ex meris congruentiis tantum deducatur ; aut ad experientiam, si novitia sit et antiquis ignota : prout fit in materia præsenti. 1ᵘᵐ qui-

dem patet ex collatione objectionis cum probatione Theseos; 2um autem ex tempore; quia in duodecim seculis primis exemplum appellationis hujus reperitur nullum, nisi forsan Pelagianorum aut hæreticorum aliorum facta quis imitationi proponenda judicet, quæ tamen communi Ecclesiæ consensu reprobantur.

Ad prob. R. — D. ant. Appellatio generice sumpta est remedium juris naturæ, C. quælibet in specie, præsertim illegitima perniciosa et nulla, N. certe, jura etiam humana appellationes quasdam prohibent, et ut iis remotis procedatur imperant.

Ad prob. Cons. 1. R. — N. seq. superest enim remedium supplicationis, repræsentationis, aut alterius nominis usitatum, ubi de fide non agitur.

Ad 2. Concedo id quidem fieri posse, sed nego id esse absurdum aut iniquum, cum teneat in omni judice supremo : et nisi valeret, etiam contra œcumenicum Concilium imploratum pugnaret.

Ad 3. R. — N. seq. Quia notitia hæc capi potest per litteras et Legatos : sin minus, judicium Pontificis omne sine Concilio generali latum haberi posset erroneum : et si vero in materia cum dogmate non connexa forsan falleret, non ideo tamen judiciorum ordinem perrumpendum docent secularia tribunalia.

Inst. 1. Experientiam 1° ostendit paritas; quia datur appellatio ab Imperatore ad comitia : ergo et a Pontifice ad Concilium. 2° Probant exempla, queis Fridericus Imp. ab Innocentio IV, Episcopi Angliæ ab Urbano IV, Anglorum Rex etiam Henricus III a Clemente V, Philippus Pulcher et Regnum Franciæ a Bonifacio VIII, provocarunt ad Concilium Generale. 3° Confirmant, post Gersonem singulari Tractatu, Doctores Galli et maxime Sorbona, qui hanc sententiam non solum doctrina sed interpositis sæpe appellationibus sunt tuiti.

Quoad *1. R. — N. parit.* Qualecumque hic sit Comitiorum jus, quod tamen negant ICti non pauci, fundatur illud in eo, quod Imperator suam potestatem immediate habeat a Statibus vel Electoribus, qui poterant illi eam conferre magis aut minus limitatam : Pontifici auctoritatem, quam habet, nullatenus tribuerunt fideles, Episcopi aut Electores, sed Christus immediate contulit; unde limitare illi nihil possunt, nec in appellationis ordine Papam sibi subjicere.

Quoad 2. *R.* de exemplo Friderici Imp. num. 187 dictum est. De altero Angliæ, unus testis est Parisius, famosus Pontificiæ dignitatis denigrator. Præterea querelæ motæ sunt, non contra Pontifices ipsos, sed eorum in Anglia Legatos, et ad ipsum Pontificem in Concilio Viennensi delatæ. De Philippi pulchri et Galliæ exemplo, ex Puteano et Spondano constat, Bonifacium VIII ex Gallorum opinione fuisse illegitime in sedem Apostolicam intrusum, ideoque appellatio ad Concilium œcumenicum et Pontificem legitimum futurum fuit interjecta : hujusmodi autem casus a controversia nostra est alienus.

Quoad 3. *R.* Quod facta attinet, ipse de Marca, l. 4 Concord., c. 17 testatur, hæc fuisse recens suscepta, ut rei se subduceret a Pontificis judicio; Canus autem l. 5 de Loc. Theol., c. ult. ait, ea hæresi patrocinari, obedientiam Ecclesiasticam et pietatem perdere : quod auctoritatem spectat, satis dictum est Articulo præcedenti, et post sequentem addentur aliqua.

189. *Observa.* Ut virorum sanctissimorum a Conciliis ad Pontificem appel-

lantium auctoritatem declinent Adversarii, eorum quidam statuunt in omni ad Papam appellatione inclusam esse hanc conditionem : salva Conciliorum Generalium auctoritate. Ne fingere hoc pro libitu videantur, Athanasium dicunt communioni ac sedi non fuisse restitutum a Julio, nisi suffragante quinquaginta Patrum Synodo : Flavianum volunt appellasse, non ad solum Pontificem, sed una ad Synodum Occidentalem : Theodoretum denique, post appellationem a Papa restitutum, contendunt novum in Concilio Generali examen habere debuisse. Verumtamen nec ista fictionis commentum satis purgant.

Nam Athanasii restitutionem unius Julii auctoritati tribuendam esse, testantur tum Socrates, l. 2 Hist., c. 15 his verbis : *Ubi cum Julio Romanæ Urbis Episcopo causam suam exposuissent, ille, quæ est Romanæ Ecclesiæ prærogativa, liberioribus litteris eos communitos in Orientem remisit, singulis suas sedes restituens :* tum Sozom., l. 3 Hist., c. 8 scribens : *Episcopus Romanus cum omnes in Nicænæ Fidei doctrina consentientes reperisset, in communionem recepit : et quoniam propter sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat, suam cuilibet Ecclesiam restituit.* Suffragatur ratio; quia quinquaginta Italorum ille conventus, sine Pontifice, nihil omnino juris habebat in res ac judicia Orientis aut aliarum Provinciarum : prout similes etiam Synodi Romanæ sub Hilario ac Gelasio coactæ disertis verbis fatentur.

Flaviani appellatio non minus ad solum Leonem Romanum Pontificem erat directa; ac ante Ephesinum latrocinium, ab illo solo tranquillitatem, etiam non celebrato Concilio, reddi posse, in sua ad Leonem epistola scripserat. Neque ipse appellationis libellus, neque Leonis epistola post appellationem Concilium urgentis, neque Valentiniani eo de negotio ad Theodosium litteræ ullam Concilii mentionem fecerunt. Unde, quod Placidia ad Theodosium scribat, Flavianum misissæ suum libellum *ad Apostolicam Sedem et omnes Episcopos harum partium*, eatenus duntaxat verum est, quatenus hi Episcopi uniti sunt cum Pontifice, aut sub missionis tempus forsan erant congregati; cum certum sit unum tantum libellum Romæ appulisse.

Theodoretum admissum esse in Concilium Chalcedonense ex eo, *quia restituit ei Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo*, actione 1ª legitur : eadem etiam ex causa Judices Act. 8ª eumdem sedi suæ restituendum edixerunt, et Legati Pontificii Apostolicæ sedis nomine decretum restitutionis protulerunt. Ante tamen oportuit Theodoretum dicere anathema Nestorio, juxta disciplinam scilicet Ecclesiæ constantissimam, non recipiendi ad communionem aut sedem suspectum de hæresi, nisi præmisso anathemate in eam ejusque auctorem : quæ ratio etiam fuit, cur diverso modo Conc. Chalcedonense egerit cum Theodoreto et Iba, quam cum Eusebio Doryleensi sine formula hac enuntiata suscepto, quamvis hic non minus ac illi ab Ephesino Conciliabulo fuerit depositus.

ARTICULUS IV.

AN ROMANUS PONTIFEX SUMMAM HABEAT AUCTORITATEM?

190. *Nota.* Quam num. 149 de Concilio proposuimus quæstionem, eamdem et hic tractamus : auctoritatem summam accipiendo scilicet pro INERRANTIA PONTIFICIS, et irrefragabilitate judiciorum; materiam restringendo ad eosdem terminos fidei, morum et factorum dogmaticorum; per judicia autem definitiones positivas, perspicuas et certas intelligendo. Præterea vero in Papa duplicem quasi personam distinguimus; considerando eum jam ratione suppositi ut hominem præcise seu doctorem privatum, jam ratione officii ut summum Pontificem, seu ut constitutum a Christo universalem Doctorem ac Magistrum omnium fidelium; discrimine olim jam in disputatione Rustici Ecclesiæ Romanæ Diaconi contra Acephalos insinuato, et postea in Libello ad Clementem V a Galliæ Proceribus etiam usurpato. Ut *Doctor privatus* spectatur, dum Papa absque potestatis propriæ ostentatione, opinionem duntaxat suam et sensum velut personalem ac privatum exponit : spectatur ut *Doctor universalis*, dum auctoritate publica usus ut supremus Ecclesiæ Magister aliquid proponit toti Ecclesiæ, obligans omnes fideles sub anathemate seu pœna hæreseos ad illud propositum assensu interno ac fide divina credendum : sic vero enuntians dicitur loqui *ex cathedra;* phrasi ex Matth. 23, v. 2 ad indicandam præceptivam docendi auctoritatem desumpta.

Locutionis hujusmodi velut *conditiones* afferuntur, servata definientis a metu et violentia immunitas, præmissum rei decernendæ maturum examen, præhabita Ecclesiæ Romanæ seu Cleri, nunc Cardinalium, consultatio et fusæ ad Deum ante definitionem preces : his a Gallis adhuc, pro suæ Ecclesiæ libertate, prævia causarum in loco ubi natæ sunt præparatio, et certarum loquendi formularum absentia tanquam requisita adjunguntur : ab aliis e contra, præter libertatem in Pontifice requisitam, cætera omnia rejiciuntur.

Quantumvis vero videatur Spiritus sancti assistentia, PETRO illiusque successoribus promissa, non pendere per sese ab humanis hisce adminiculis, nec illis a Christo fuisse alligata; quia tamen a gubernatione hominum divinitus etiam instituta non respui debet modus agendi rectæ rationi ac prudentiæ accommodatus; ac ipsi præterea Pontifices potestatis suæ usum ad has regulas semper conformarunt, quin et ubi ad Galliam causæ pertinebant, ad illius mores se composuerunt : hinc requisita ista haud difficulter permittimus, cum cautela tamen hac gemina : 1° Ut ea plus aut minus exigantur pro varia materiarum qualitate : 2° Ut non teneantur fideles inquirere aut scire an media hæcce sint adhibita; sed certi de Pontificia ad omnes fideles directa, eosque sub anathemate ad assentiendum obligante, propositione solemniter edita, possint ac debeant supponere omnia necessaria fuisse observata, nisi manifeste constet de opposito : quandoquidem alias ipsius Ecclesiæ infallibilitas et Conciliorum œcumenicorum auctoritas simili ex capite elevari etiam posset, et intemperantissima crisis supremum sibi judicium in res omnes dogmaticas arrogaret; cum tamen certum sit,

Deum in necessariis ibi non defuturum, ubi infallibilitatem ipse promissit, res autem omnino exigit.

Porro controversia non est de Pontifice ut *Doctore privato;* cum omnes ultro concedant, Papam sub hac consideratione, non minus ac homines alios, errori obnoxium, ejusque sententiam reformationi subesse. Versatur itaque tantum circa Pontificem, ut doctorem universalem et supremum Ecclesiæ Magistrum seu ex cathedra loquentem, materia et judicio ad memoratos limites reductis. In hac vero controversia, altera, quæ Gallis tribuitur, sententia statuit Pontificem infallibilem non esse, nec definitionem ejus irrefragabilem, ante quam accedat consensus Ecclesiæ, aut congregatæ in Concilio, aut saltem per orbem diffusæ : altera, quæ a Benedicto XIV in ep., an. 1748, ad Inquisitorem generalem Hispaniæ data, extra Galliam *ubique recepta* dicitur, sententia tenet, etiam independenter ab Ecclesiæ consensu Pontificem e cathedra loquentem inerrare, ejusque definitionem immutabilitate pollere, quam nunc, quantum rerum multitudo patitur, paucis asserendam et vindicandam suscipimus.

191. *Dico.* **Romanus Pontifex e cathedra loquens in materia fidei, morum et factorum dogmaticorum, habet summam auctoritatem : seu ipse quidem est infallibilis, ejus definitio autem irrefragabilis ac irreformabilis, etiam independenter a consensu Ecclesiæ.** Hæc propositio est de fide.

Ita enim Concilium Vaticanum summi Pontificis infallibile magisterium definivit. « *Nos traditioni a fidei Christianæ exordio perceptæ fideliter inhærendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicæ exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus : Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in Beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse.*

» *Si quis autem huic Nostræ definitioni contradicere, quod Deus avertat, præsumpserit; anathema sit.* »

Probatur Auctoritate; et quidem;

1. Ex *SCRIPTURA*, quæ duplicem præcipue nobis textum suggerit, alterum Matth. 16, v. 18 : *Et ego dico tibi : quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* Luc. 22, v. 31 et 32 : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Horum uterque 1° Convenit Petro ut contradistincto ab aliis Apostolis; cum Christus interrogatione ad omnes præmissa, et mentione diabolicæ omnium cribrationis facta, ad solum Petrum, nomine proprio ac pronomine compellatum, orationem convertat : 2° tribuit eidem speciale donum ad utilitatem Ecclesiæ; quale est ratio *fundamenti* in ordine ad ædificium Ecclesiæ, et indefectibilitas fidei ad confirmationem fratrum : 3° declarat hoc donum concedi Petro, non ut personæ privatæ, sed ut publicæ ac præpositæ; quia sustentare Eccle-

siam aut *confirmare fratres* officium est præsidis ac superioris : 4° id ipsum adstruit Petri successoribus; tum propter transiturum ad eos idem officium, tum propter perpetuitatem Ecclesiæ et necessitatem confirmandi posteros.

His præmissis pro *textu primo* suppono ex num. 107, 110 et 115, infallibilitatem Ecclesiæ illis verbis rite probari; ex iisdem autem nunc argumentor : Vi verborum Christi apud Matthæum infallibilitas non tantum tribuitur Ecclesiæ, sed etiam petræ ac fundamento : sed non Petrus tantum, verum etiam ejus successores Romani Pontifices, sunt petra et fundamentum Ecclesiæ : ergo infallibilitas tribuitur etiam Romanis Pontificibus. *Subs.* Atqui infallibilitas tributa et conveniens petræ ac fundamento non dependet ab Ecclesiæ adjumento : ergo infallibilitas Romanorum Pontificum est independens ab Ecclesiæ consensu.

Major constat ex Origene ap. S. Thom. in Catena : *Non exprimit, utrum petræ non prævalebunt, in qua ædificat Christus Ecclesiam; aut Ecclesiæ, quam ædificat supra petram : tamen manifestum est; quia nec adversus petram, nec adversus Ecclesiam portæ prævalebunt inferorum;* Epiphan., in Anchorato : *Solidæ illi petræ supra quam Ecclesia fundata est, portæ inferi non prævalebunt;* Leo, ep. 75 ad Leon. Augustum : *Cum Petrus ex Domini voce audierit : Tu es Petrus, etc., quis est, nisi antichristus aut diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem hujus petræ firmitatem?*

Similiter *Minor* patet ex Aug. in Psalm. cont. part. Donati : *Petri sedes ipsa est petra, quam non vincunt inferorum portæ;* S. Maxim. in ep. ad Marinum : *Sancta Romanorum Ecclesia est fundamentum solidum et maximum, contra quod portæ inferi nullo pacto prævalebunt juxta ipsiusmet Salvatoris promissionem;* Theodor. Studita, ep. ad Naucrat. : *Coryphæa sedes, adversus quam non prævaluerunt per omne seculum, nec prævalebunt usque in finem seculi inferorum portæ, ora videlicet hæreticorum, sicut promisit ille, qui non mentitur.* Similia de Romana sede enuntiant Joannes Patr. Constantinopolitanus in libello ad Hormisdam, Petrus Damiani Opusc. 38, Aelredus in Isaiam, etc. Item ex Ambros. in Psal. 40 : *Ipse est, cui dixit : Tu es Petrus, etc. Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia; ibi nulla mors;* Chrysolog. in epist. ad Eutych. : *Petrus in propria sede vivit, et præsidet, et præstat quærentibus veritatem;* Possessor Ep. Afric. in epist. ad Hormisdam : *A quo magis nutantis fidei stabilitas exspectanda quam ab ejus sedis præside, cujus primus rector a Christo audivit : Tu es Petrus, etc.* Similia de Romano Pontifice scribunt Ignatius Constantinopolitanus in ep. ad Nicolaum, Anselmus Ep. Lucensis cont. Guibertum, et Anselm. Cantuar., l. 3, epist. 15.

Denique *subsumptum* colligitur tum ex significatione petræ, quæ per sese, ac sine respectu ad aliud, firmitatem importat : tum ex data Petro appellatione, qui nomen et rationem petræ accepit ante formationem Ecclesiæ; tum ex paritate domus materialis, cujus stabilitas desumitur a fundamento, adeo ut pro hujus soliditate vel mobilitate Luc. 6, v. 48 et 49, ædificium duret aut cadat; non vero vicissim fundamenti constantia a firmitate domus dependeat. Unde citra mentionem consensus Ecclesiæ, Petrum ac Romanum Episcopum vocat Hieron. in epist. ad Damasum *petram fidei*, Chrysost. in Psal. 50 *basin fidei immobilem*, Conc. VI in Prosphonet. *adamantem fidei cujus solida mens aggressionibus atque conflictibus alienæ a fide opinionis non est vulnerabilis.*

Pro usu *Textus secundi*, suppono Petro non tantum indefectibilitatem

fidei collatam, cum Christus dubio procul pro sua reverentia sit exauditus; sed etiam cum confirmationis fraternæ officio, certitudinem executionis assertam; cum fratribus sive Ecclesiæ nihil profuisset, posse aut debere per fidem Petro donatam confirmari, si postulante necessitate reipsa non confirmarentur. Dehinc sic argumentor : Vi verborum apud Lucam Christus illi infallibilitatem tribuit pro quo oravit, ne fides ejus deficeret, et ut confirmaret fratres : sed Christus hic oravit non tantum pro Petro, sed et pro ejus successoribus seu Romanis Pontificibus : ergo infallibilitas his fuit collata. *Subs.* Atqui infallibilitas hic collata non fuit pendula ab Ecclesiæ consensu : ergo.

Major constat ex Aug. l. de Corr. et grat., c. 8 : *Quando rogavit, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?* Ambros., l. 4 de fide : *Ut scias, quia secundum hominem rogat, divinitate imperat; habes in Evangelio quia Petro dixit : Ego rogavi pro te, etc. Eidem etiam respondit : Tu es Petrus, etc. Ergo qui propria auctoritate regnum dabat, hujus fidem firmare non poterat, quam cum petram dixit, firmamentum Ecclesiæ indicavit?* Leone, Serm 3 de Anniv. Assumpt. : *Pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro omnium fortitudo munitur, et divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.*

Etiam *Minor* patet ex Cyrillo apud S. Thom. in Catena : *Secundum hanc Christi promissionem, Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione et hæretica circumventione manet immaculata;* Leone IX in epist. ad Petrum Antiochen. : *Hæc Christi oratio : rogavi pro te, etc. Obtinuit quod hactenus Petri fides non defecit, nec defectura creditur in throno illius usque in seculum seculi;* Paschali II in Conc. Lateran. : *Pro hac Ecclesia Romana filius Dei in passione sua oravit, dum dixit : Ego, rogavi pro te, etc.* Similia de Rom. Ecclesia scribunt Innocentius III; Serm. 2 de Consecr. Rom. Pont.; Petrus Damiani, Serm. 23 de Nativ. Joannis, Anselmus Havelburg. ad Græcos, S. Thomas in exposit. symboli. Item ex Agathone in epist. ad Constantium : *Consideret vestra clementia, quoniam Dominus, qui fidem Petro non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit : quod Apostolicos Pontifices prædecessores fecisse semper cunctis est cognitum;* Leone IX, epist 1 ad Michael. Cerularium *Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a sede Principis Apostolorum, tam per eumdem Petrum quam per suos successores, convicta et expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus non defecit nec in finem deficiet, sunt confirmata?* Anselm. Lucens. adv. Guibertum : *Cum pro fide Petri, ne deficiat, a Domino oratum sit; unius Romani Patriarchæ fides, in qua fratres suos confirmet, nunquam deficiet.* Similia pro Rom. Pontifice ediderunt Innocent. III, ep. 20 ad Patr. Constantinopolitanum, Theodor. Studita ap. Gennadium pro Conc. Florentino, Albertus M. in hunc locum.

Tandem *Subsumptum* liquet; tum quia ex dictis promissioni et orationi Christi unice tribuitur hæc infallibilitas, non autem Ecclesiæ consensui : tum quia Rom. Pontifex in fide confirmat fratres, non ipse ab his confirmatur; ut textus aperte dicit, et Joseph Ep. Methonensis in resp. ad libell. Marci Ephesini urget : tum quia ratione privilegii prius jam dati Romanus

Pontifex a Theodoro Stud., l. 2, epist. 13 dicitur *fons vere illimis ac sincerus fidei*; a Tharasio in epist. ad Adrian. : *Oculus totius corporis, ostendens rectam veritatis semitam;* ab Ignatio Patr. Constantinopolitano in epist. ad Nicolaum : *Medicus a Deo provisus sanandis Christi membris :* quæ sunt metaphoræ, nihil ab Ecclesia infallibilitatis accipi edocentes.

II. Ex *TRADITIONE* quæ colligitur 1° ex Conciliis œcumenicis, inter quæ Conc. Constantinopolitanum IV, act. 1 exhibet libellum ab omnibus Patribus subscriptum, ita loquentem : *Quia non potest prætermitti sententia Christi dicentis : Tu es Petrus, etc; hæc quæ dicta sunt, rerum probantur eventibus : quia in sede Apostolica immaculata est semper reservata catholica religio et sancta celebrata doctrina..... sequentes in omnibus Apostolicam sedem, speramus ut in una communione esse mereamur cum illa, in qua est integra et vera Christianæ religionis soliditas :* et in Lugdun. II acceptata Græcorum fidei professio sic habet : *Sicut Romana Ecclesia præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere; sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri.* His similia de Rom. Ecclesia referunt Viennense in Clementinis de Sum. Trin., et Florentinum in decreto unionis cum Græcis. Item in Conc. Ephesino Act. 2 Philippus Leg. Pont. ait : *Nulli dubium, imo seculis omnibus notum est, S. Petrum Apostolorum principem et caput, fideique columnam et Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, a Jesu Christo regni cœlestis claves accepisse, nec non per successores suos hucusque semper vivere, causas decernere, semperque victurum :* et in Constantinopolitano III in epist. ad Agathonem Patres inquiunt : *Itaque tibi ut primæ sedis Anstistiti, universalis Ecclesiæ capiti, quid agendum relinquimus, stanti supra firmam petram, acquiescentes veræ confessionis litteris, per quas, ut a summo Apostolorum vertice divinitus prescriptas, exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus.* In his concinunt de Rom. Pontifice in Chalcedonensi Act. 3. Legati pronuntiantes sententiam in Dioscorum, et in Nicæno II, Act. 2, tum Patres omnes, tum maxime Tharasius et Joannes Ep. Tauromeniæ in acceptatione litterarum Adriani : Utrisque addi potest Constantiense in censuris errorum Wicleffi, maxime trium primorum.

2. Ex Pontificibus et Patribus. Inter *priores* Bonifacius in epist ad Epp. Orient. inquit : *Nemo unquam Apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit : nemo in hoc rebellis extitit; nisi qui de se voluit judicari;* et Gelasius in epist. ad Anastas. Imp. : *Hoc est, quod sedes Apostolica magnopere cavet, ut quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si (quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proveniret, unde cuiquam resistere auderemus errori? vel unde correctionem errantibus posceremus?* Eadem de Rom. Ecclesia testantur Innocentius I in epist. ad Carthaginenses, Gregor. in ep. ad Epp. Galliarum, Agatho in epist. ad Impp., Nicolaus in ep. 8 ad Michael. Imp., Joannes VIII, in epist. ad Petrum Comitem. Item Sixtus III epist. ad Joannem Antiochenum scribit : *Petrus Apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab ejus se velit separare doctrina, quem ipse inter Apostolos primum magister edocuit? absolutam et simplicem fidem, et quæ controversiam non haberet, accepit :* et Simplicius epist. ad Zenonem. : *Perstat in successoribus suis hæc et eadem Apostolicæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam ovilis injunxit, cui se usque ab finem seculi minime defuturum, ac portas inferi nunquam prævalituras esse promisit.* Æqualia de Rom. Pontifice proferunt Innocen-

tius in epist. ad Milevitanos, Zosimus in epist. ad Carthaginenses, Agatho in epist. ad Concilii Patres, Nicolaus, Joannes VIII et Leo IX jam sup. laudati.

Inter *posteriores*, Irenæus, l. 3 adv. hær., c. 3 ait : *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, h. e. eos, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique fideles, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio* : et Cypr., epist. 55 ad Cornelium contra Felicissimum et Fortunatum sic scribit : *Navigare audent, et ad Petri cathedram, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum.* Item Hieron., ep. 57 ad Damas. hæc inter alia eloquitur : *Apud vos solos incorrupta servatur Patrum hæreditas : vos estis lux mundi, vos sal terræ : Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior : super illam petram ædificatam esse Ecclesiam scio. Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Decernite, si placet; et non timeo tres hypostases dicere :* et Aug., epist 157 : *In verbis Apostolicæ sedis tam antiqua atque fundata, certa et clara est catholica fides, ut nefas sit dubitare Catholicis Christianis.* Alterutri parti de Romana sive sede sive sedente dictis congruunt Origenes, l. 5 comment. in epist. ad. Romanos, Hippolytus in Orat. de Consummat, mundi, Flavianus in epist. ad Leonem, Maximus Mart. in epist. ad Thalassium et Marinum, etc.

3. Ex Ecclesiis et Doctoribus. De *Orientali Ecclesia* testatur Justinianus Comes in causa de uno in Trinitate passo, scriptis Orientalium nomine ad Hormisdam litteris sic elocutus : *Imponite nobis semel susceptum laborem, etiam in hoc prædecessores vestros sequentes, et de hac intentione liberos nos properate reddere ac securos Hoc enim credimus esse catholicum, quod vestro responso nobis fuerit intimatum* : et Theodoretus post latrocinium Ephesinum suo et Catholicorum nomine ad Leonem ep. 113 confugiens scribit : *Si Paulus præco veritatis ad magnum Petrum se contulit, ut explicationem iis, qui de legalibus ambigebant, ab illo referret : multo magis nos humiles et pupilli ad Apostolicam sedem vestram recurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedia a vobis accipiamus. Multis siquidem prærogativis ornatur sedes vestra : præcipue autem, illam fides ornat, cujus testis idoneus est Paulus clamans : fides vestra annuntiatur in universo mundo*, etc. De *Occidentali* specimen præbent Africani Præsules e tribus Synodis ad Theodorum in Synodica quæ in Secretario 2 Conc. Later. sub Martino extat, ita scribentes : *Antiquis regulis sancitum est, ut quidquid ageretur, quamvis remotis in Provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum : ut hujus auctoritate, juxta quæ fuisset pronuntiatio, firmaretur; indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, velut de natali fonte suo prædicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptæ manent fidei incrementa salutis* : et Hispani e Conc. Tarraconensi ad Hilarum litteras mittentes : *Proinde nos Deum in vobis penitus adorantes, cui sine querela servitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.* His addi poterant litteræ Theod. Studitæ ap. Gennadium, post Iconomachorum Conciliabulum ad Paschalem recurrentis, et Thomæ Cantuariensis ad Epp. Angliæ ac Joannis Sarisberiensis ad Alexandrum epistolæ : nec minus Gallicanæ Ecclesiæ testimonia, de quibus tamen infra.

Ex Doctoribus sufficiant divus Thomas et S. Antoninus. Prior quidem 2. 2, q. 1, a. 10, in corp, sic inquit : *Dicendum, quod nova editio symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur; hoc autem pertinet ad auctoritatem summi Pontificis,* etc. *Et hujus ratio est; quia una fides debet esse totius Ecclesiæ secundum illud 1 Cor.* 2, etc., *quod servari non posset, nisi quæstio fidei exorta determinaretur per eum qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur.* Eadem habet ibid. resp. ad 2um, q. 11, a. 2, ad 9 et de Potent., q. 10, a. 4. ad 13. Posterior autem p. 4, tit. 8, c. 3, § 5 inquit : *Ratio, quare fides Ecclesiæ in generali deficere non potest, est quia divina providentia Ecclesia regitur, scilicet Spiritu sancto eam dirigente, ut non erret. Et licet Papa in particulari* (h. e. ut contradistinctus ab Ecclesia universali) *errare possit, ut in judicialibus, in quibus proceditur per informationem; alias in his quæ pertinent ad fidem, errare non potest, scilicet ut Papa in determinando, etiamsi ut particularis et privata persona. Unde magis standum est sententiæ Papæ de pertinentibus ad fidem, quam in judicio proferret, quam opinioni quorumcumque sapientum.*

Ne alios addam, facit testimonium Ruardi Tapperi, quod Tract. 3 Theol. num. 6 et 7, edit his verbis : « An autem Præpositus familiæ Christi falli possit in sua sententia, quando cognoscit circa fidem et mores fidelium, sicut Reges et Episcopi in suis judiciis, ab annis centum et quinquaginta cœptum est disputari in utramque partem. A tempore enim Concilii Constantiensis et Basileensis, Doctores quidam apud solum Conc. œcumenicum docent esse infallibilis sententiæ privilegium. Veteres vero scriptores Petro totius familiæ Christi præposito, et Romano Pontifici post Petrum in terris Vicario, ejusque cathedræ, proprium esse hoc privilegium infallibilis sententiæ, concorditer ex Scripturis tradunt. »

Prob. RATIONE. Et quidem I ex *momentis Juris.*

1° Romanus Pontifex est centrum unitatis; ut ex num. 101 aliisque præsentis Capitis constat : ergo fideles omnes debent, non tantum communione, sed et fidei professione, cum Pontifice convenire, et sicut lineæ in centro concurrere. Atqui si Pontifex non foret infallibilis in dogmaticis, nec deberent nec possent cum eodem convenire in fidei professione fideles; cum alias ad errorem tenerentur, et Ecclesia universa posset in errorem induci : si autem Pontifex tantum infallibilis evaderet ex consensu Ecclesiæ, mutato jam concursus apice et dissipata unitate, fidelium alter ad alterum et Pontifex ad communitatem tanquam ad centrum ferri deberet. Ergo.

2° Romanus Pontifex est universalis Pastor, Rector et Doctor; ut ex pluribus Scripturæ ac Traditionis testimoniis passim allatis apertum est : ergo fideles omnes eidem debent non tantum externam obedientiam, sed sincerum mentis obsequium; quia Pastori animarum, Rectori conscientiarum, et Doctori salutis, solum exterius sine interiori obsequium haud respondet et satis esse noquit. Atqui auctoritas cui sincerum mentis obsequium debetur, infallibilis sit necesse est; cum iniqua esset obligatio, et quidem sub anathemate, assentiendi rebus fallibilibus ac incertis : præterea auctoritas hæc jam ante assensum infallibilis supponi debet; cum infallibilitas sit ratio determinans assensum, aliasque Pastor ob ovibus, Rector a subditis, et Doctor a discipulis vim suæ manuductionis, imperii ac doctrinæ acciperet; ergo.

3° Romanus Pontifex etiam in judicio dogmatico est judex Ecclesiæ supremus et ultimus; ut ex Articulo et Quæstione præcedentibus satis colligitur : ergo ejus sententia est irreformabilis ; quia judex superior deest : ergo et ipse est infallibilis ; quod ostenditur. Si in judicio dogmatico, ubi sententia est irreformabilis, judex non foret infallibilis, Ecclesia posset stringi a sententia fallibili et erronea, adeoque et ipsa falli ac errare : atqui hoc fieri non posse demonstratum est Cap. 1 : ergo.

4° Si Romanus Pontifex non esset infallibilis, nisi dependenter a consensu Ecclesiæ, ergo Papa suam infallibilitatem mutuaret ab Ecclesia; nec majori gauderet infallibilitate, quam Episcoporum, imo Pastorum simplicium quilibet ex Ecclesiæ probatione habere posset; nec scissæ forsan in partes Ecclesiæ controversiam finire valeret. Atqui 1um est contra Scripturam, ex qua Ecclesiam solidari a petra, et fratres confirmari a Petro, non e converso rem fieri, novimus : 2um est contra universam Traditionem, ex cujus omnibus locis Pontifici infallibilitatem, tanquam singularem prærogativam attribui didicimus : 3um est contra historiam schismatis in Ecclesia frequentis, tempore Arianorum, Iconomachorum, Photianorum et Græcorum ; ubi infallibilitas dogmatis non habebatur a consensu universalis Ecclesiæ, utpote in partes distractæ : nec ab accessu partialis Ecclesiæ; quia sicut altera pars opposita, sic et illa hoc privilegio carebat : adeoque ab uno Pontificis judicio aut accessu provenisse dicenda est.

II. Ex *momentis Facti*. 1° Tribus seculis primis damnatæ sunt multæ hæreses a Rom. Pontificibus, præcipue Cerdonis et Valentini an. 155, ab Hygino ap. Euseb., l. 4 Hist., c. 10; Theodoti an. 196, a Victore ap. eumd., l. 5, c. 27; Montani, an. 215, a Zephyrino ap. Tertul. L. de jejun., c. 1; Novatiani an. 254, a Cornelio ap. Euseb., l. 6, c. 43; Pauli Samosateni an. 273, a Felice ap. Cyrillum in apol. pro 12 anathematismis. Damnatæ autem sunt 1° sine Conciliis; quia ad has maxime pertinet Augustini, l. 4 ad Bonif. c. ult. dictum : *Hæreses multo ac incomparabiliter plures extra Concilia, quam in illis, fuerunt condemnatæ :* 2° irreformabiliter; quia certo, constanter, et sine ulla hæreseos posthac retractatione : 3° jam ante consensum Ecclesiæ, utpote qui illo persecutionum tempore ægre poterat innotescere; nec tamen suspendisse fidem Catholicorum damnationis Pontificiæ consciorum dici aut probari potest.

2° Pontifices Romani tanquam jus Sedi suæ proprium postularunt, ut causæ omnes dogmaticæ quarumlibet provinciarum ad se referrentur; prout ex Innocentii epist. ad Milevit. et Carthaginenses, ex Zosimi epist. ad priores, ex Gregor. l. 4 epist. 52 ipsisque Conc. Africanis constat : Episcopi passim judicarunt, pronuntiatæ in his judiciis sententiæ Pontificiæ esse acquiescendum; ut præter Africanos Patres Basilius epist. 52, Ambros. epist. Synodica Conc. Mediolanensis ad Siricium, Sophron. in allocutione Legati sui ap. Conc. Lateran. sub Martino, Ignatius Constantinopolitanus epist. ad Nicolaum aliique testantur. Ergo utrique declararunt facto et praxi judicium Pontificis esse irreformabile ac infallibile.

Illustratur hoc per effatum celebre Augustini, quod Serm. 2 de Verb. Apost., c. 10, de causa Pelagianæ hæresis edixit : *Jam enim de hac causa duo Concilia missa sunt ad sedem Apostolicam : inde etiam rescripta venerunt : Causa finita est, utinam aliquando finiatur error!* Ex quibus constat 1 solis rescriptis Romanis quibus Innocentii sententia contra Pelagianos errores est lata, rem totam ita fuisse confectam, ut nedum in integrum,

sed nec in dubium hæc fidei causa vocari amplius posset : 2. hanc irreformabilitatem jam convenisse sententiæ Pontificiæ ante Ecclesiæ consensum ; cum a die 27 Januar. an. 417, quo Papa rescripserat, usque ad diem 23 Septemb. ejusdem anni, quo Augustinus sermonem habuit, et sic intra octo menses incompletos, perferri responsa Romana ad omnes Orbis Ecclesias, et inde Ecclesiarum consensus sive tacitus sive expressus referri in Africam nullatenus potuerint : atque hoc tanto minus possibile fuerit, cum non Innocentius, sed altero demum anno Zosimus litteras Tractorias de hac causa ad universam Ecclesiam miserit. Similem auctoritatem habuit Zosimi sententia de facto dogmatico Pelagii et Cœlestii, ut Prosper in Chronico ad an. 418 refert : *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum et quatuordecim Episcoporum, ad Papam Zosimum Synodalia decreta perlata : quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.* Gemina his memorat Marius Mercator in Commonitorio, et addit Juliani aliorumque Episcoporum refractariorum oppositam appellationem Imperialibus Honorii legibus et sacerdotalibus Apostolicæ Sedis statutis compressam fuisse et abjectam.

3° Ex dictis num. 177 in Confirmatione 2ª part. Pontifex Conciliis etiam œcumenicis præscribit normam et regulam definiendorum, a qua discedere congregatis non liceat : ibidem et in probatione prævia fatentur Patres ad eamdem in decretis suis sequendam se obligari, factoque ipso eam sequuntur. Ergo Pontifex hanc normam præscribens debet esse infallibilis; cum Conc. œcumenicum illam alias sequi nec posset, nec deberet : neque infallibilitatem hanc accipit a consensu Concilii; quia rectitudinem regula non trahit a regulato, sed regulatum a regula.

Ab *Exceptionibus* refutandis abstinere licebit. Quæ enim inter generales contra auctoritatem prima est, quod scilicet distinguere oporteat inter Sedem Apostolicam et Pontificem Romanum, jam in præfamine ad præsens Caput occupata fuit : præterea vero data opera factum est, ut testimonia diserta non minus de sedente quam de sede ipsa passim proferrentur. Altera, qua quidam Scripturæ aut Traditionis elogia, non de Pontificibus singulis, sed de omnibus tantum, seu de serie Pontificum continuata ac integra accipi volunt, frivola omnino est, sine fundamento ullo conficta, et si pari libertate ab aliis ad Ecclesiam transferretur, erronea. Postrema, quæ putat testimonium quodcumque enervari injecta hac clausula : si Ecclesia consentiat; alibi speciatim fuit refutata, alibi verbis ipsis exclusa : nullibi autem ex ipso textu aut scopo reperiet patrocinium.

Speciales cavillationes singulis locis hinc inde oppositas persequi præsentis instituti non est : quas tamen Natalis Alexander, putatitius Bossuet, et Tournelius in lucem dederunt, in Animadversionibus Constantini Roncaglia atque in Operibus Galli Cartier et Anonymi JCti Taurinensis dissolutas legere poterit, cui extremas contentionum fibrillas consectari libuerit. Quæ restant, aut contra momenta Theologica obmoveri possunt, pleraque numeris sequentibus comprehendentur.

192. *Objic.* Scriptura non favet, Ratio adversatur, Praxis Ecclesiæ est contraria infallibilitati Pontificiæ : ergo.

Prob. Textus allatos Patres exponunt alii de persona Petri, alii de Sede Apostolica, alii de Ecclesia vel Romana vel universali; ergo infallibilitatem Pontificum non probant; præsertim cum regula Tridentini prohibeat, Scripturæ textum, nisi secundum unanimem Patrum sensum, interpretari.

Conf. Si non tantum Ecclesia, sed etiam Pontifex foret infallibilis, deberet id Scriptura non minus clare et expresse de Pontifice, ac de Ecclesia, pronuntiare : sed hoc non facit; cum omnia in hanc rem testimonia variis contentionibus inter Catholicos sint obnoxia : ergo.

R. ad Arg. — *N. Assert.* — Ad *Prob. N. Cons.* Idem textus ex Aug., l. 12; Confess., c. 31 et D. Thom., Quodlib. 7, Art. 14, ad 5, multiplicem expositionem patitur, quarum quælibet, nisi oppositam offendat, ex divini etiam Auctoris intentione valet et probat. Allatarum expositionum nulla nostræ contrariatur : quin 1ª supponitur; 2ª et 3ª nostræ congruit; 4ª eamdem, sicut totum præcipuam partem includit. Regula Tridentini interpretationem sensui quem Ecclesia aut unanimis Patrum consensus tenet, congruentem æstimat et probat : iisdem contrariam reprobat et prohibet : assertam a quibusdam Patribus, ab aliis autem omissam, non tamen exclusam, nullibi dicit illegitimam aut inefficacem; prout adversarii etiam fateri debent, iisdem textibus pro primatu aut alio dogmate probando uti passim soliti.

Ad *Conf. R.* 1° — *N. M.* Nec enim Scriptura est unica Theologicæ probationis sedes, nec æqualitas certitudinis in utraque thesi asseritur : cum infallibilitatem Ecclesiæ ut certam de fide, illam autem Pontificis ut minus certam defendamus.

R. 2° — *N. M.* Scripturæ quidem lux et claritas opinioni nostræ haud deest : quod tamen obnoxia sit Catholicorum contentionibus, facit permissa adhuc sentiendi libertas, vigensque apud homines sive ingeniorum sive studiorum diversitas.

Inst. 1. Potest dari Pontifex Scripturarum et Traditionis ignarus, vitæ insuper pessimæ et doctrinæ morum parum sanæ, qui aut nemine aut nonnisi fidei osoribus in consilium adhibitis audeat aliquid definire : atqui dicere hujusmodi hominem aut definitionem esse infallibilem, est exspectare a tentatore Dei miraculum : ergo.

Conf. Episcopi sunt nati controversiarum fidei judices; et hinc tum ante tum post Pontificis definitionem judiciali sua auctoritate possunt res illas examinare ac discutere, sententiamque et judicium de iis ferre : sed si Pontifex esset infallibilis, saltem post ejus definitionem examinare et judicare has causas non possent, sicque non judices, sed Pontificis tantum Consiliarii ac meri Papalium constitutionum executores forent : ergo.

R. 1° Idem casus est possibilis respectu Concilii Generalis, ubi omnem vel plurimam partem congregationis homines similis conditionis constituunt; quin tamen hinc negari queat Synodi œcumenicæ infallibilitas : unde sicut ibi respondendum est, sic nunc *R.* 2° imprimis *N. M.* Quia, quamvis id physice possibile concedatur, moraliter tamen possibile non est ob suavem simul ac fortem Dei circa Ecclesiam providentiam. Deinde *N. M.* Non enim exspectari a Papa, humanis mediis penitus destituto aut abutente, infallibilem definitionem, præsumi tamen posse ac debere prudentiæ necessariæ usum, si definitio universam Ecclesiam obligans emanarit, num. 190 est declaratum.

Ad *Conf. R.* 1° Argumentum eamdem difficultatem patitur et solutionem exigit in Episcopis definitionem Synodi œcumenicæ suscipientibus : Unde *R.* 2° *D. M.* Episcopi post definitionem Pontificis possunt fidei controversias tractare auctoritate judiciali omnimoda ac libera, examinare examine curioso et adhuc fluctuante, judicare judicio mere juridico utrinque indifferenti, N.

Possunt tractare auctoritate judiciali obnoxia et obedientiæ memori, exa mine studioso et jam addicto, judicio accessorio et consentiente, C. Episcopi sunt quidem nati et ex sua institutione judices dogmatum, non tamen supremi et eximii sed subordinati ac penduli a Pontifice.

Antecedente aut comitante etiam Pontificium judicium tempore, iidem rem examinare curiosi, causam discutere incerti, in veritatem inquirere animo suspensi, quin et capta notitia instructi sententiam aliquam ferre possunt, salva tamen auctoritate Pontificis superiori, et animi promptitudine illam audiendi : post definitionem autem Pontificis non superest illis examen aliud, nisi cognitionis, instructionis et confirmationis, qua Episcopi rationem dogmatis reddere, adversarios refellere, suos erudire queant; nec judicium aliud, nisi simplicis adhæsionis, conformationis, aut adoptionis, qua cum capite consentiant, eique hac ratione omnes conjuncti judicium universalis Ecclesiæ efforment.

Atque in hac judicii posterioris via, servatur etiamnum integra judicialis Episcoporum potestas; tum quia eorum consensio non est actus meræ obedientiæ, ut in cæteris fidelibus, sed auctoritatis ac judicii; cum definitioni Pontificiæ adhærentes sententiam forment, qua se Pontifici, in his quæ decidit, jungunt et accedunt : tum quia obedientiæ, quæ judicio huic admiscetur, exercitium facultati judiciali non plus detrahit, quam quod, si quid decerpit, subordinatio et obediendi promptitudo in iisdem ante Pontificem quidquam decernentibus detraxerat : tum denique quia, quod de re jam certa ac indubia examen scilicet informationis et judicium conformationis fieri possit, Patres in Conciliis frequenter ostenderunt; ubi præcedentes Synodos œcumenicas relectas et discussas adoptarunt et confirmarunt.

Inst. 2. Nec in quæstione de celebrando Paschate Episcopi Asiatici Victorem, nec in controversia de rebaptizandis hæreticis Cappadoces et Afri Stephanum, nec in causa trium Capitulorum Orientales et Occidentales Vigilium ejusque successores censuerunt infallibiles, sed eorum decretis repugnarunt : Ergo seculo 2, 3 et 6 infallibilitas Pontificia erat Ecclesiæ adhuc ignorata.

R. 1° — *D. Cons.* Infallibilitas in his seculis non agnoscebatur a quibusdam errantibus et peccantibus, C. ab Ecclesia aut orthodoxis et morem Ecclesiæ gerentibus, N. Erroris ab omnibus illis commissi argumentum est, quod deinceps Ecclesiam a Pontificis partibus stetisse, et adhuc stare sit certum : peccasse autem eosdem contra obedientiam manifestum est, tum ex auctoritate Pontificum legitima imperandi, tum ex subsequa Ecclesiæ obedientia. Ut igitur mirum non est peccantes et errantes in alium quoque errorem prolabi, sic iniquum est ab illorum exemplo aut facto argumentum veritatis desumere : præsertim cum eadem ratione lacessi posset infallibilitas Ecclesiæ, cujus universali consuetudine, et non tantum decreto Pontificio, hæc exempla repugnarint.

R. 2° — *D. aliter.* Ergo non agnoscebatur infallibilitas Pontificis in decretis œconomicis et circa res disciplinæ, T. in definitionibus dogmaticis et circa materiam fidei aut morum, N. Decreta œconomica ad potestatem legislativam spectant; et res disciplinæ pendent a variis circumstantiis loci, temporis, usus et aliorum : unde sicut variare et immutari, sic fallere aut deficere possunt. Quæstiones porro objectas de rebus meræ disciplinæ fuisse, nemo facile negaverit.

Et de 1ª quidem quæstione, ipsa festi celebratio ac Calendarii sola notio satis demonstrat.

2ª Complectebatur quidem partem geminam, alteram quæstionem *speculativam* : an Baptismus hæreticorum sit validus? alteram *practicam* : an baptizati ab hæreticis sint rebaptizandi? omissâ tamen priori, quæ erat fidei, controversia maxime vertebatur circa posteriorem, quæ tractabatur tanquam res meræ disciplinæ, tum ab Afris, utpote qui suis in Conciliis ac litteris protestabantur, cuilibet Ecclesiæ liberum hac in re relinqui usum ac sensum, quod de fidei quæstione dici nullatenus potest; tum a Stephano, qui tantum præcepit nihil innovandum in praxi, sed retinendum morem traditum; aliam autem quæstionem, teste Aug., l. c. nec *diligenter pertractabat*, nec definiebat.

3ª Similiter involvebat controversiam duplicem : priorem *fidei* : an dogmata Theodori, Theodoreti ac Ibæ sana sint vel erronea? et in hac Pontifex nec ab Orientalibus nec ab Occidentalibus differebat; posteriorem hanc : an auctores suorum dogmatum, mortui in pace Ecclesiæ aut recepti a Concilio, sint damnandi ac dogmata sub eorum nomine proscribenda? De œconomia hic et de *re disciplinæ* quæri, manifestum est : et in hoc Vigilius primo repugnabat Orientalibus; deinde vero ad schisma Orientis avertendum iisdem indulgens approbavit Synodum quintam : Occidentalibus autem tum ipse tum ejus successores constanter restiterunt; donec tandem, mitiores adhortatione ac studio, ferociores vel pœnis vel tempore ac patientia in suas partes flecterent; de quibus vide Acta Conc. Constantinopolitani II.

Inst. 3. Irenæus cum aliis Episcopis Victorem, excommunicare Asiaticos ausum, *litteris acerbius perstrinxisse*, apud Euseb., l. 5 Hist., c. 24 scribitur : Cypr. et Firmilianus suis in litteris Stephanum multiplicis defectus, ejus autem sententiam erroris aperte arguunt : Aug., l. 2 de Bapt. contra Donat., c. 4 dicit Cyprianum *facillime fuisse correcturum suam sententiam et sine dubio cessurum, si veritas per plenarium Concilium eliquata et declarata fuisset* : additque in hac quæstione, *nec se ausurum aliquid asserere, nisi universæ Ecclesiæ concordissima auctoritate firmaretur*; ergo sancti etiam Patres infallibilitatem negabant Pontifici, asserebant Conciliis.

Quoad 1. *R.* Quod Victor pacem et communionem cum Asiaticis ruperit, quam illius antecessores Anicetus et Eleutherius adhuc servarant, illud est quod Irenæus exagitat : adeoque non defectum in dogmate, sed excessum severitatis in disciplina carpit. An vero id recte an perperam? statuere forsan licebit ex judicio Ecclesiæ, quæ non tantum eamdem ubique observantiam induxit, sed et observatores cum Judæis convenientes in Conc. Nicæno anathemate percussit.

Quoad 2. *R.* Non solum Pontificiæ auctoritati officium præstitit, sed Cypriani et Firmiliani honoribus etiam consuluit Raymundus Missorius, dum nuper horum epistolas in Stephanum injuriosas suppositionis convincere conatus est, ac saltem corruptas probavit. Certe Cyprianus, dum absque simultate et pacato animo scribebat, in suis ad Antonianum et Cornelium Epist., Pontificem Romanum unitatis et communionis catholicæ centrum, hujusque contemptum aut neglectum originem schismatum et hæresum pronuntiavit : ita autem loquenti, ni fallor, fidei plus tribuendum est, quam ubi iratus, et humani quidpiam passus, alia protulit, *passionis falce purganda*, ut Aug., l. 1 de Bapt. contra Donat., c. 18 scribit.

Quoad 3. *R.* Aug. in *primo textu* affirmat œcumenicæ synodo a Cypr. fuisse

deferendum, non autem negat idem obsequium solemni Pontificis definitioni ab eodem præstandum : in *secundo* iterum affirmat prius, et nullatenus excludit posterius; quia in neutro fit comparatio inter Pontificem ac Concilium, nec Cypriani ætate, Pontifex aut Concilium Generale definitionem hujus materiæ dogmaticam ediderat; altero tandem seculo Synodum Generalem decidentem primum audiente. Cæterum si comparativum etiam sensum Augustini evinceres, in disciplinæ tantum rebus Pontificem probares fallibilem, in quibus corrigi quoque Concilia Generalia a posterioribus posse, idem S. Doctor, l. 2 de Bapt., c. 3 declarat. Vid. num. 153.

193. *Objic, II.* Patres, Concilia, imo ipsi Pontifices contestantur, Papam non esse infallibilem sine accessione consensus Ecclesiæ. *Prob.* 1° Tertull. ab universis Ecclesiis fidem exquirendam et obtineri posse declarat, ita l. de Præscript., c. 21 scribens : *Quid autem prædicaverint Apostoli, et hic præscribimus non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias Apostolicas : constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus et originalibus in fide conspiret, veritati deputandam.* 2° Aug. judicium Pontificis et retractari et errare posse docuit; 1um quidem epist. 162 scribens : *Ecce putemus illos Episcopos, qui Roma judicarunt non bonos judices fuisse : restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus causa posset agitari*, etc. 2um autem l. 2 contra 2 epist. Pelag., c. 3 dicens : *Sed si, quod absit, ita tum fuisset de Cœlestio et Pelagio in Rom. Ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipsis et cum ipsis Innocentius damnaret, approbanda et tenenda pronuntiarentur; ex hoc potius esset prævaricationis nota inurenda.* 3° S. Columbanus acerbis litteris Bonifacium IV reprehendit ob defensam trium Capitulorum damnationem. 4° Julianus et Patres Conc. Toletani XV dogmaticum in quasdam priores propositiones Judicium Benedicti II tanquam *incuriosa lectione* decepti respuerunt, quin ipse Benedictus postea probavit, quod ante reprobarat.

R. ad Arg. — N. Assert. — Ad prob. Quod 1. *R. D.* Tertull. ait, quid prædicarint Apostoli, non aliter probari debere nisi per Ecclesias Apostolicas, excludendo a probatione synagogas hæreticas earumque Traditiones, uti ex libri scopo patet, C. ad fidei notitiam exigendo omnium Ecclesiarum consultationes, N. Quin, si hoc necessarium jam foret, sola Romana Ecclesia consuli posset; cum nulla jam amplius, præter illam, fundata per Apostolum, Ecclesia particularis sit superstes.

Quoad 2. *R.* 1. Utrobique Aug. loquitur duntaxat ex hypothesi, et quidem ut satis indicat, impossibili, unde illatio absoluta nequaquam deduci potest. *R.* 2. Neutro in loco de materia fidei agitur : sed prior quidem ad causam Cæciliani, posterior ad judicium personale Pelagii et Cœlestii refertur; in qua etiam prævaricationis notam non dicit Pontifici, sed *Romanis Clericis*, ut addit, inurendam.

Quoad 3. *R.* Rectius præsumptis S. Columbani litteris negatur fides, quam ut, his admissis, ille dicatur cum solis Istriæ et Venetiarum Præsulibus, non solum Pontifici, sed universæ Ecclesiæ repugnasse. Si quis tamen epistolam esse genuinam contendat, virum sanctum quidem nobis contrarium, sed et schismaticum faciet, et erroris postea revocandi reum eumdem : non vero testem fide dignum et audiendum probabit.

Quoad 4. *R.* Benedictum II minus cautum ac deceptum reprobasse S. Ju-

liani et Patrum Toletanorum epistolam, minus æque minusque vere scripsit Rodericus Archiep. Toletanus : cum Pontifex hic, ad tollendam ambiguitatem, recte et duntaxat postularit explicari has propositiones : « In divinis voluntas procedit ex voluntate; et Christus constat ex tribus substantiis. » Catholicam harum expositionem a Juliano et Conc. Toletan. XV obedienter missam Sergius I acceptavit; non autem exinde reprobatum approbavit Benedictus, biennio jam ante defunctus.

Inst. 1. Concilia forent inutilia, si Papa foret infallibilis; cum per hæc infallibilitatem infallibilitati Pontificiæ addere impossibile esset aut frustraneum. 2. Ad decidendas fidei controversias necessaria esse Concilia, enuntiant apud Tournelium tum Eusebius narrans, *majoris momenti controversias aliter quam per synodos componi non posse;* tum Innocentius I scribens, *synodali cognitione opus esse, hancque solam procellarum motus sopire posse;* apertius autem statuit Conc. Gen. V ad Conciliorum morem provocans et ita loquens : *Nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari* : 3. Licet Cœlestinus Nestorii, Leo Eutychetis, Martinus et Agatho Monothelitarum hæreses damnarint; Ephesinum tamen, Chalcedonense et Constantinopolitanum III Concilia easdem causas tractarunt, ipsas Pontificum definitiones examinarunt, nec nisi post examen susceperunt. 4 Conc. Gen. VI Honorium I Pontificem cum aliis hæreticis, repetitis vicibus, tanquam hæreticum damnavit; quam damnationem Concilia Generalia VII et VIII confirmarunt.

Quoad 1. *R.* — *N. seq.* — Ad. *Rat. D.* Infaillibilitati vel plane non vel frustra additur infallibilitas, quæ faciat intensionem certitudinis, C. quæ extensionem certitudinis faciat, N. Tametsi definitis a Pontifice Concilium alteram et distinctam Ecclesiæ indefectibilitatem addere haud valeret, priorem tamen certitudinem firmaret extrinsecus, et latius propagaret. Accedente enim ad Pontificiam sententiam Concilio, hæreticorum audacia reprimitur fortius, et pertinacia frangitur facilius. Catholicorum instructio perficitur commodius, et unitas doctrinæ percipitur evidentius; decretorum observantia impetratur suavius, et executio urgetur efficacius.

Quoad 2. *R.* Sicut pro absoluta Conciliorum necessitate ratio solida omnis deficit, sic allata hic auctoritas nihil proficit. Eusebius enim non de necessaria rerum conditione loquitur, sed de ætatis suæ consuetudine : quæ ipsa tamen adeo necessitatem non probat, ut potius nimia Conciliorum frequentia Ecclesiam violentius turbatam historia Arianorum ostendat. Innocentii dictum ad causam S. Joann. Chrysostomi pertinet; cui non tam ratione sui, quam ratione adjunctorum Concilium potuit esse proficuum, ut num. 178 sub finem diximus. Conc. Gen. V tandem hæc dicere poterat, tum quia hæreticorum obstinatio et artes Vigilii una et Concilii Chalcedonensis auctoritatem fecerunt dubiam : tum quia Orientis et Occidentis pactum præcesserat de celebrando Concilio. Cæterum non tam fidei quam facti quæstionem fuisse in causa trium Capitulorum ex Hist. Conc. constat : ipsis autem Concilii verbis, minime absolutam necessitatem, sed difficultatem duntaxat fuisse indicatam, phrasis usitata declarat.

Quoad 3. *R.* Concedo imprimis, easdem a *memoratis Conciliis* tractatas esse causas. Rei hujus justa, nec Pontificiæ auctoritati noxia, ratio fuerat, quod hæretici Pontificis sententiæ non acquiescerent, patronos malæ causæ plures ac potentes nacti, contra quorum pertinaciam et proterviam Concilia esse utilia nuper statuimus : cum omnibus, quam uni, resistere sit inso-

lentius, cedere autem minus verecundum. Deinde *Nego* quod nonnisi post examen Patres in Conciliis Pontificias definitiones admiserint : Acta siquidem Conciliaria ostendunt post litteras Pontificis simpliciter lectas ab Ephesinis actione 1ª, a Chalcedonensibus act. 2ª, a Constantinopolitanis act. 4ª, ubique pro data primæ lectionis occasione, fuisse acclamatum : quod autem in duobus postremis lectio sit repetita, et facta discussio, in Chalcedonensi pro informatione hæsitantium circa vim vocis Palæstinorum et Illyricianorum, in Constantinopolitano pro convictione refragantium tribuebatur. Denique examine quocumque admisso, et acceptatione Patrum quandocumque secuta, assero nihil hinc profici contra Pontificum inerrantiam. Certum enim est 1° Pontificum horum definitiones, jam ante Concilia, ab occidente universo et maxima parte Orientis fuisse acceptatas : unde si quid auctoritatis detrahant ejusmodi examina, non Pontifici soli, sed Ecclesiæ etiam maximam partem cum Pontifice conjunctæ detrahunt, contra Catholicorum omnium sententiam. Certum etiam est 2° materias in prioribus Conc. Generalibus jam decisas, a Patribus tamen sequentium Conciliorum fuisse examinatas, et ad Scripturæ ac Traditionis regulam discussas, quin existimet quispiam inde auctoritatem Conciliorum esse imminutam. Cur ergo simili examini non potuerint subjici definitiones Pontificiæ, salva harum infallibilitate.

Quoad 4. *R.* Communior opinio concedit a Concilio damnatum Honorium, non tamen ut hæreticum dogmate ac sensu, sed tantum ut hæreticum favore et œconomia : Recentior autem concedit quidem illum ut verum hæreticum esse damnatum a Patribus, non tamen a Concilio; quia hæc Patrum sententia nec a Leone nec ab alio Pontifice posteriore fuerit approbata vel confirmata. Hinc vero Leonis imprimis epistolæ, quæ ad Regem et Episcopos Hispaniæ circumferuntur scriptæ, rejiciuntur ut suppositiæ : suppositionis autem indicia, præter alia olim a Baronio indicata, afferuntur tum numerus ordinis sextus Concilio huic illis in litteris adsculptus eo tempore, quo Hispani adhuc Concilium V admittere renuebant : tum argumentum earum litterarum in Synodo Toletana XIV relatum, quod solam fidei definitionem, nihil de Honorii damnatione, continet. In aliis etiam ad Imp. Constantinum litteris fraudem et insitionem verborum factam prodere dicitur tum contextus ipse Honorii mentionem circumstans, tum laus Græcis hujus Concilii Patribus plane immerito data.

Additur aperta Anastasii Bibliothecarii negatio et perpetuum Pontificum posteriorum silentium de approbatione hujusmodi. Neque contra hoc permittitur proferri *Liber Diurnus*, utpote qui, præterquam quod alibi multa adulterina adjecta contineat, in recentiore et Latina fidei professione Pontificis electi non meminit Honorii; quamvis meminerit in antiquiore, sed quæ a Græco et pro Græco Patriarcha, non pro Romano Pontifice, conscripta appareat. De *Conciliis* VII et VIII, eadem est responsio; Honorii scilicet damnationem a Græcis Patribus, Græcos priores sequentibus, non item ab ipsis Conciliis, esse repetitam : atque in his, cum nequidem canones recens constituti omnes probentur, multo minus a Pontifice approbata credi posse, quæ sine disquisitione exscripta tantum videntur.

Inst. 2. Leo I multipliciter ostendit, a Synodo exspectandam Pontificiæ definitioni infallibilitatem. Imprimis post damnatam jam a Flaviano et a se hæresin Eutychetis, Theodosio postulante, consensit in Concilii celebrationem in ep. ad Concilium scribens : *Quia pie et religiose Imperator haberi*

voluit Concilium, ut pleniori judicio possit aboleri error, et Fratres communi nobiscum sententia, quæ Deo placita sunt, constituant : dein hac Synodo in latrocinium versa, ipse ab Imperatore rogat indici in Italia Synodum, *quæ omnes offensiones ita aut repellat aut mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in charitate divisum :* demum post Conc. Chalcedonense in epist. 63 ad Theodoret., gloriatur illud, *quod ipse definierat, universæ fraternitatis irretractabili fuisse firmatum assensu;* declarat etiam, *prius fuisse inventos, qui ambigerent* de Pontificiis judiciis; et *ad veritatem illustrandam* prodesse, dum *quæ fides prius docuerat, hæc postea examinatio confirmaret;* hinc observat effectum, ut *ubi summorum servabatur auctoritas, in nullo inferiorum pateretur imminuta libertas.*

R. Poterat Leo hæc omnia tum dicere tum facere absque auctoritatis suæ detrimento. Imprimis quidem Eutychete amicis prævalente et turbas machinante, poterat pro remedio et tutela acceptare Concilium, illudque dicere *judicium plenius,* quam fuerit Flaviani Constantinopolitanum et suum Romanum, non æque numerosa. Dein cum partes Eutychetis jam essent auctæ, et Dioscorus Conciliari auctoritate abusus; poterat Leo postulare Concilium in Italia, a vi scilicet aulicorum remotum, ut æqualibus armis fidei causam defenderet, et conspirantibus jam omnium votis, nec imprudens *de fide dubium* relinqueretur. Demum in epist. ad Theodoret., recte dicit Concilii assensum *irretractabile judicium;* quia illo omnis retractandi ratio et via etiam hæreticis esset adempta; licet jam ex sola Pontificis definitione ea præcideretur fidelibus, ut Patres in relatione ad Marcianum testantur, de Leonis epistola loquentes : *Credentibus sufficit ad utilitatem fidei indiscussa perspectio, ad confessionem pii dogmatis devotos pertrahens animos.* Item recte declarat *fuisse qui ambigerent,* ignaros scilicet sermonis ac sensus alios, alios hæreticos; eosdem etiam altera jam lectione et examine partim edoctos, partim convictos; ac utrumque ad *illustrandam veritatem* valuisse, ut illud nimirum S. Thomæ dubium plus profuit ad fidem Resurrectionis. Tandem recte observat, *non esse imminutam libertatem,* qualem etiam retinent Episcopi, ut judices subscribendo œcumenicæ Synodo, et fideles ut subditi amplectendo decreta; quia in utroque libertas remanet, ut fides possit esse meritoria.

Inst. 3. Eugenius IV in Bulla 3ª adv. Basileenses fatetur in his, *quæ ad fidem respiciunt et statum universalis Ecclesiæ, potius attendendum esse Concilii, quam Papæ sententiam.* Greg. XI autem in suo Testamento revocat, *si in Consistorio, Concilio vel sermonibus aliqua dixerit erronea contra catholicam fidem,* quod ipsum Clemens VI in diplomate A. 1351, in testamenti morem edito scripsit. Paulus IV demum in Consessu. A. 1557 celebrato edixit : *Non dubito, quin ego et Prædecessores mei errare aliquando potuerimus.*

R. Verbis, quæ reperire non licuit, objectis Eugenius satis contrarium se præbuit tum facto, quo potestatem in cœtum Basileensem exercuit, tum et Bullis, queis illius decreta contrivit. Si quæ tamen ejusmodi pronuntiavit, de dubio aut privatim loquente Pontifice accipienda forent. Nec Greg. nec Clemens revocant, quæ ut Doctores publici et loquentes ex cathedra dixerant, sed forsan quæ ut privatis Doctoribus exciderunt : ideo enim citatis locis dicunt, prior quidem : *Si quæ dixi erronea contra catholicam fidem ex lapsu linguæ aut alias ex aliqua perturbatione;* posterior autem : *Si quæ ex lapsu linguæ præcipitanter forsan protulimus.* Similiter si Pauli IV dictum, quod unice Mich. Castelnavi Malvisserii testimonio nititur, supponatur ve-

rum, Pontificem de causarum matrimonialium judiciis ac dispensationibus loquentem exhibet, et hinc velut judicem ac particularem Doctorem, nobis haud dissentientibus, declarat fallibilem.

Inst. 4. ADRIANUS II in epist. ad Syn. VIII fatetur Honorium ex consensu etiam Sedis Romanæ damnatum ob hæresin, his verbis: *Licet Honorio ab Orientalibus post mortem anathema dictum sit, sciendum tamen est quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solam licitum est minoribus resistere majorum suorum motibus, vel pravos sensus libere respuere: quamvis et ibi nec Patriarcharum nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferre sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset auctoritas.* ADRIANUS autem VI diserte asserit et probandum sumit, *plures Romanos Pontifices fuisse hæreticos.*

R. ADRIANUS II soluturus comparationem, quam Photius ab Honorii damnatione pro suo contra Nicolaum sacrilego ausu objecerat, in allato epistolæ fragmento triplex discrimen, quo adversam omnem juris ac licentiæ speciem dissipat, proponit. Cum enim PHOTIUS excommunicasset Nicolaum viventem, Patres Orientales damnarunt Honorium mortuum: cum ille defectus tantum disciplinæ objiceret Pontifici, hi hæresis accusarunt Papam: cum prior repugnante Sede Apostolica ac sine auctoritate jurisdictionem usurparet, posteriores consentiente et auctoritatem judicandi tribuente Romana Ecclesia dicebant sententiam. Neque tamen Honorii causæ nocet, sed prodest potius, tot capitibus exaggerata differentia.

Quod enim sententia dicta sit in mortuum, facit ut nomen tantum et fama sit læsa non autem persona nec jurisdictio, quæ in vivente duntaxat subjectatur: quod hæresis sit objecta, ostendit quæstionem factam in Honorium ut privatum doctorem, non ut Pontificem: cum in hunc crimen hæreseos cadere non posse, ex acceptis ab AGATHONE litteris Orientales certo ac recentissime scire debuerant: quod denique addatur quidpiam de præcedente Pontificis consensu, non evincitur inde Honorium consentiente Papa, ac ideo auctoritate Concilii, fuisse damnatum, ut hinc necesse sit ad corruptionem vocis recurrere, et lectionem *præcessisset* in *præcederet* commutare. Ex hoc ipso enim, quod legatur Pontificis consensus præcessisse, sequitur hunc consensum referri ad damnationem Honorii non posse, cum ex historia manifeste constet, Pontifices omnes concilium sextum præcedentes pro Honorii innocentia unanimiter stetisse.

Unde tandem postremam periodum *D.* Orientalibus non licuisset qualemcumque sententiam dicere, nisi præcessisset Pontificis consensus in damnationem Honorii, N. nisi præcessisset consensus in judicium de Honorio habendum, et tum ferendam sententiam, *subd.* sententiam provisoriam tantum aut aliam quamcumque non ultimatam, C. definitivam et ultimatam, N. Cum Honorius post mortem jam a Pyrrho insimulatus erroris fuerit, et hinc timendum erat ne Orientales hanc accusationem repeterent, poterat AGATHO (indicantibus factum ADRIANI litteris) dedisse Legatis mandatum, ne pertinacius urgentibus Græcis obsisterent, sed causam agi sententiamque pro Conciliorum more dici sinerent, servata sibi sua auctoritate, hanc sententiam suæ decisioni subordinatam aut confirmandi, aut rescindendi, aut omittendo eam auctoritate conciliari frustrandi; quod postremum etiam evenisse ex nuper dictis vero est simillimum.

Quod *ADRIANI VI* assertum attinet, de eo, tanquam a Lovaniensis Doctoris dicto, jam. num. 480 est responsum, quem vide.

194. *Obj. III.* PONTIFICES ipso facto ostenderunt se esse fallibiles, partim agendo contra fidem, partim consentiendo hæreticis, partim docendo errores et hæreses, partim sibi ipsis mutuo contradicendo. *Prob.* 1° S. PETRUS Joan. 18, v. 25, ter Christum negavit; et ad Galat. 2 CEPHAS sive Petrus, quod variata simulatione gentes cogeret Judaizare, a Paulo fuit reprehensus. 2° MARCELLINUS narrante Lib. Pontificali thus adolevit Diis in templo Isidis ac Vestæ; ob quod delictum celebratum etiam est Conc. Sinuessanum. 3° BONIFACIUS IX justa Bernardin. Corium in hist. Mediol. concessit indulgentiam extraordinariam etiam non pœnitentibus. 4° INNOCENTIUS VIII a Raphal. Volaterrano l. 7 Geogr., dicitur permisisse Norwegis consecrationem calicis sine vino : ALEXANDRUM VI voluisse idem permittere aliis refert Barth. Fumus in Summa. Ergo.

R. ad Arg. — *N. Assert.* — Ad *prob. R.* 1° — *D. Cons.* Pontifices egerunt contra fidem imprudentia conversationis, ut priores, aut dispensationis, ut posteriores, T. Prædicatione falsi aut definitione erroris, N. Per actiones hujusmodi, quantumvis fidei etiam contrarias, nemo dixerit illos Pontifices e cathedra locutos, aut Ecclesiæ universæ tanquam credendum proposuisse aliquid. *R.* 2° in plerisque aut falsa aut impertinentia afferuntur. Unde singillatim :

Quoad 1. *R.* Quantum ad negationem Christi, Concedo *PETRUM* ea peccasse, sed Christo adhuc vivente, ideoque necdum ut Christi vicarium ac summum Pontificem. Quantum ad simulationem legalis observantiæ ac meritam hinc reprehensionem, Nego hunc CEPHAM, de quo in epist. ad Galatas narratio est, fuisse eumdem cum Petro Apostolo. Quamvis enim pro identitate utriusque stent Patrum plurimi, non desunt tamen ex iisdem alii, nempe Clemens Alex., l. 4 Hypoth., Irenæus, l. 3 adversus hær., c. 12; Methodius in Frag. cont. Porphyrium; Eusebius, l. 2 Hist., c. 13; Dorotheus Tyrius in Synopsi, Auctor Chronici Alex. et Œcumenius in comment. epist. ad Galatas, qui distinctionem inter Cepham reprehensum et Petrum Apost. vel asserant, vel ut probabilem enuntient. Prætereа hæc objurgationis Petrinæ historia nec vero similis est ratione personarum; cum Cephæ tribuantur prædicata ejusmodi, quæ Petro haud congruunt; Paulus ea agat cum Cepha ,quæ cum Petro non ageret; narrentur de Cepha et Petro, quæ discrimen inter utrumque prodant : nec vero similis est ratione circumstantiarum; cum causa simulandi in Petri characterem non cadat; tempus simulationis nec ante nec post Conc. Hierosolymitanum figi possit; locus denique seu commoratio Antiochiæ, cum Chronologia Petri et discessu Pauli ab Hierosolymis conciliari nequeat.

Quoad 2. *R.* MARCELLINI lapsum et Synodum Sinuessanam esse commentitiam. 1um quidem tum ob improbabilitatem ipsius facti ex adjunctis sive Sacrificii sive instigantis apparentem, tum ob silentium auctorum coævorum et apertam S. Augustini l. de Bapt. un., c. 16, oppositionem contra Petilianum primum hujus facti narratorem; 2um tum ob fictionem ex Concilii loco, Patrum numero ac testium mysterio emicantem, tum ob acta Chronologiæ ac moribus illius ætatis contraria : a quibus tamen deceptum tum Nicolaum in epist. ad Michaelem. Imp. tum Librum Pontificalem et Breviarium Romanum fatemur; cum fabulæ hujus antiquitatem non negemus, utpote a Donatistis confictæ aut usurpatæ.

Quoad 3. *R.* Concessioni a BONIFACIO IX factæ nec satis est testis unicus, nec testis hujus auctoritas. Veritate tamen dissimulata, indulgentia hic data

duntaxat fuit pœnæ canonicæ et ab Ecclesia exigendæ ideoque extraordinaria ; cum alias dari solita remissio sit pœnæ naturaliter debitæ etiam a Deo infligendæ, et quidem præsupposita culpæ venia ; unde nonnisi confessis aut contritis indulgetur.

Quoad 4. *R.* Volaterrani de Innocentio VIII narratio caret auctoritate ; tum ob rationem adjectam falsam, quod scilicet vinum in Norwegia ob frigus immensum acescat, tum ob omnium Theologorum contradictionem. Fumi relatio ex incertis tantum rumoribus prodiit, inde exorta, quod Alexander VI postulantibus quibusdam hujus facultatis copiam, quid fieri possit, jusserit examinari.

Inst. 1 Zephyrinus teste Tertull., l. cont. Prax., c. 1, probavit prophetias Montanistarum, et his communionem Ecclesiæ restituit. 2° Liberius juxta Hilarium, Hieronymum et alios subscripsit formulæ Sirmiensi, et damnato Athanasio communicavit Arianis. 3° Zosimus ex Aug., l. 2 ad Bonif., et Facundo Hermian., l. 7 libellum ac fidem Pelagii et Cœlestii tanquam catholicam laudavit, et Afros illis contrarios reprehendit. 4° Honorius docentibus Conc. VI actis, sensum ac mentem Monothelitarum in suis ad Sergium litteris penitus est secutus. Ergo.

R. 1. — *D. Cons.* Pontifices consenserunt hæreticis sua dogmata dissimulantibus aut emendationem fingentibus ; et sic errore duntaxat facti, T. hæreticis sua sensa prodentibus aut errores defendentibus, et sic errore juris, N. Patebit distinctio et ratio permissi duntaxat membri ex dicendis ad singula.

Itaque *R.* 2 et quidem quoad 1. *N. Ass.* Nec enim credendum est Tertulliano post lapsum in hæresin de favore Pontificis in suam Montanistarum sectam mentienti : nec Zephyrinus omisit tum decreto de recipiendis pœnitentibus ap. Tertull. ipsum l. de Pudicit., c. 1, laudato, tum facto concessæ Natalio veniæ ap. Euseb., l. 5, c. 21 relato, declarare dogma principale Montanistis contrarium. Quominus tamen Zephyrinus hæsitaret primum de Montanistarum prophetiis, ac paratum se ad eos pœnitentes recipiendos præbuerit, aut forsan illorum fraude in aliquem facti errorem perductus fuerit ; repugnantius negare nec animus est, nec ad defendendam Pontificum inerrantiam necessarium.

Quoad 2. *R.* Admodum probabile est Liberium in nullo ex dictis capite esse lapsum. Etenim cum hoc lapsu nec causa reditus in urbem, nec comparatio Romanorum redeuntem excipientium, nec Catholicorum cum restituto communio, nec Arianorum post impetratam restitutionem agendi ratio verosimiliter conciliari potest : testimonia autem Patrum opposita aut suppositionis aut corruptionis olim a Corgneo et nuper ab Hagiographis Antuerpiensibus fuerunt convicta. Si tamen, permissa scriptorum hujusmodi integritate, Liberius dicatur subscripsisse formulæ Sirmiensis primæ, neutiquam in fide, sed fortudine duntaxat et œconomia, defecisse Liberium, convinci potest, ut in Tr. de Deo Trino est ostendendum.

Quoad 3. *R.* Zosimum a Pelagio et Cœlestio mendaciis et simulatione deceptum fuisse fatemur : negamus autem approbasse unquam eorum errores, ipso Augustino et Facundo loc. cit. itemque Mario Mercatore in commonit. suffragantibus. Ex quibus etiam constat, laudem libello ac fidei professioni datam, non ad illa secundum se et doctrinam, sed ad ea secundum simulatam mentis præparationem pertinuisse ; quod in Tr. de Gratia, c. 2 declarabitur.

Quoad 4. *R.* Diximus num. superiore, Honorium, non a Concilio, sed

tantum a Patribus fuisse damnantum : addimus nunc immerito id factum; quia Pontifex nec in asserenda unica Christi voluntate, nec in supprimendo unius aut duplicis operationis vocabulo, Monothelitarum mentem aut sensum est secutus. 1um Enim asserendo, negavit tantum in humanitate Christi voluntatem duplicem, et voluntatem carnis seu contrariam; non autem in persona Christi geminam, et voluntatem mentis seu humanam, distinctam quidem a divina, sed huic tamen conformem; ut ex epistola ejus prima qualicumque superstite, ac defensione illius multiplici, plerisque manifestum videtur. 2um Honorius nunquam scripsit, sed falsarii assuerunt : unde ex epistolis, sub Honorii nomine vulgatis, secundam penitus adulterinam, primam adulteratam credimus : cum illa tota, hæc parte de silentio operationis tractet.

Quod autem Honorius genuinis suis in litteris de suppressione vocabuli operationis nil scripserit, negative probat silentium usque ad synodum sextam perdurans tum Monothelitarum Honorii accusatorum, tum Catholicorum ejus defensorum, tum judicium ipsius in Conc. Lateranensi examinantium; penes quos nullibi mentio hujus criminationis facta conspicitur : positive autem demonstrant testimonia Joannis Abbatis Romani, Stephani a Sophronio legati, Maximi martyris, et trium Pontificum, Joannis VI, Martini I et Agathonis, Honorio sive generatim sive in hac causa speciatim faventia; quæ, conjuncta cum externis suppositionis indiciis ac vitiis ipsarum epistolarum internis, Honorium facile ab objecto cum hæreticis consensu liberant, ut alibi forsan uberius exponetur.

Inst. 2. Bonifacius V in epist. ad Angliæ Regem docet, Christum a solo peccato originali nos morte sua redemisse. 2o Stephanus I edito contra rebaptizantes decreto approbat baptisma hæreticorum omnium, et hinc etiam sine legitima forma baptizantium : Nicolaus I in resp. ad Bulgaros, c. 104, ratum habet baptisma in nomine Christi collatum : Stephanus II demum baptismum in vino datum probat. 3o Joannes XXII testantibus pluribus sensit, asseruit et definivit, visionem Dei intuitivam et facialem mortuis etiam justis differri usque ad resurrectionem universalem. 4o Gregorius III litteris ad Bonifacium Moguntinum datis statuit, a viro posse admitti uxorem, ex infirmitate impotentem ad reddendum debitum : Cœlestinus III definit matrimonium dissolvi posse, conjuge altero in hæresin lapso : Alexander III, cap. Licet. de sponsa duorum, dum matrimonium ratum alio consummato superveniente non dissolvi docet, aliud placuisse suis prædecessoribus memorat. Ergo

R. 1. — *D. Cons.* Pontifices docuerunt errores aut hæresin ut Doctores privati, T. ut magistri universales et loquentes e cathedra, N. Non omnia Pontificum Rescripta habere necessarias definitiones, manifestum est : accusatos etiam hic Pontifices, exceptis paucis nequidem personali judicio errasse, facile ostenditur.

Hinc R. 2 et quoad 1. — *N. Ass.* Nam Bonifacius V exceptionem illam non fecit, nec vox *solo* in epistola legitur. Solam tamen is fecit peccati originalis mentionem; tum quia hoc est principale peccatum, ad quod delendum Christus præcipue mortem oppetiit; unde Joan. 1, v. 29 in græco legitur : Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi : tum quia illud solum commune est toti mundo, ac in parvulis reperitur.

Quoad 2. Dico : Stephani I decretum unice volebat nihil innovari, sed observari quod traditum erat; spectabat controversiam, quæ circa ministri

fidem, non autem sacramenti formam vertebatur; ab ipsis Firmiliano et Cypriano accipiebatur de baptismo sub Trinitatis invocatione collato; ab universa demum Ecclesia acceptabatur : adeoque erroneum esse non poterat; præsertim cum illud *a quacumque hæresi venerit* restringatur a contextu et substrata materia, fueritque eodem sensu ab Eusebio, Hieronymo et Augustino citra noxam usurpatum. Similiter Nicolai Responsum haud agit de forma baptismi, sed de fide partim subjecti seu recipientis, partim ministri seu dantis baptismum. Capitulum Stephani II tandem, quod eadem injuria Siricio etiam adscribitur. Harduinus pluribus rationibus probat suppositi-tium, et ab imperito consarcinatore cæteris Stephani Responsis Carisiacis assutum; Natal. Alexander autem putat mendosum, et ablata interpunctione media, ac conjunctione *si* sensui posteriori addita, restituit.

Quoad 3. *R.* — *N. Ass.* Errorem hunc Joannes XXII neque definivit, cum nullum definitionis monumentum produci possit, et Benedictus successor sua in Bulla referat contrarium : neque asseruit, cum præter ipsam Pontificis protestationem testesque alios, Theologi Parisenses in suo doctrinali Judicio ad Regem et in litteris ad Pontificem, ex fide dignorum relatione testentur, Joannem solummodo id recitando, nihil autem determinando aut asserendo seu opinando dixisse, quidquid in hac materia protulit : neque etiam sensit; cum ipse cuilibet sentiendi et prædicandi libertatem indulserit; disputationes fieri voluerit ad veritatem quæstionis, ab aliis inductæ, eruendam; idemque non tantum sub mortem declararit sententiam suam catholicam, sed jam ante in diplomatibus Canonizationis sanctorum Thomæ Aquinatis, Ludovici Tolosani et Thomæ Herfordiensis, manifeste satis prodiderit.

Quoad 4. *R.* Rescriptum Gregorii III ad Bonifacium commode ac communiter accipitur de infirmitate matrimonium prægressa; qua in acceptione nullus definitioni error inest. Coelestini III erratum, quod fatemur, non est definitio, sed privati sensus opinio; ut Innoc. III errorem corrigens indicat verbis, in Cap. *Quanto* de divort. ita locutus : « Licet quidam Prædecessor noster aliter sensisse videatur; » Gregorius IX autem facto, dum jussit hanc Capituli *Laudabilem* de Convers. Infid. partem ex collectione a S. Raymundo adornata abesse. Eadem est responsio ad illos Pontifices, quos Alex. III errasse, ut privatam suam opinionem in materia adhuc indecisa promentes declarat.

Inst. 3. Vigilius pugnavit secum ipso jam Judicatum a Menna repetens, et quæstionem de Tribus Capitulis haberi prohibens, jam cognitioni per Concilium haberi concessæ per Constitutum intercedens, jam Concilium semestri spatio repudiatum tandem confirmans. 2° Propositionem de uno in Trinitate crucifixo carne Hormisdas damnat, Joannes II autem acceptat. 3° Circa Formosum, ex una parte Stephanus VII et Sergius, ex altera Theodorus II et Joannes IX pugnarunt se mutuo damnantes. 4° Circa Pontificum potestatem in temporalia Bonifacius VIII a Clemente V; circa paupertatem Nicolaus III cum ternario tum ante tum successorum a Joanne XXII; circa editionem Bibliorum Sixtus V a Clemente VIII; circa Bullam *Unigenitus* denique Benedictus XIII qui eam in Conc. Romano dixit regulam fidei, a Benedicto XIV, qui negavit fidei regulam aut saltem negari consensit, arguuntur et emendantur. Ergo.

Quoad 1. *R.* Pugnam, aut potius variationem Vigilii, fuisse prudentis œconomiæ alternam successionem, tum ex dictis supra, tum ex notatis in Concilio sexto facile declaratur.

Quoad 2. *R.* Adeo Hormisdas propositionem allatam non damnavit, ut eum nihil determinasse, nec ab eadem fuisse alienum, ipse Maxentius e Scythis Monachis unus, in epist. contra Pontificem scripta, fateatur. Prudenter vero responsum de hac controversia distulisse eumdem, probat tum multorum relatione, tum insolenti Monachorum studio, injecta suscipio de latente inducendi erroris conatu; nec non periculum scindendæ unitatis ob vocum minus necessariarum discordiam orituram. His postmodum cedentibus ultro aut dissipatis, Joannes II poterat jam tuto ac sine contradictione ulla definire veritatem.

Quoad 3. *R.* Causam Formosi defendit Auxilius libellis editis, et potior Scriptorum pars assensu probat; atque hinc Theodori et Joannis gesta etiam laudantur. Quod Stephanum et Sergium attinet; illorum partim imperio partim consilio patrata in Formosi corpus crudelitas, erat violentia quidem tyrannidis in facto, non autem error in fide : tentata reordinatio eorum qui ordines a Formoso acceperant, vel non erat nova consecratio, sed tantum cæremonialis depositorum restitutio; vel non erat erroris prædicatio, sed actionis aberratio : præsertim cum Pontificum neuter credendum aliquid hic definierit, et valor ordinum a depositis collatorum tum temporis inter res disciplinæ, easque non penitus constitutas, numeraretur.

Quoad 4. *R. Imprimis* circa Pontificum potestatem in temporalia nulla est inter Bonifacium VIII et Clementem V discordia quoad definitionem ac rem fidei; cum posterior, secundum hanc partem, prioris Bullas *Unam Sanctam* et *Rem non novam* confirmarit; unde si quam a Bonifacio secessionem fecit Clemens per moderationes illis adjectas; ea ad privatam Prædecessoris opinionem refertur; quanquam is Oratione in publico consistorio habita an. 1301 protestatus fuerit, nihil a se fuisse cogitatum eorum, quæ sibi objiciebantur, et suppositis suo nomine a Petro Flotta litteris erant vulgata.

Dein circa paupertalem Nicolaus III tria edixerat : 1° in rebus unico usu consumptibilibus posse separari usum a dominio; atque in his Ordini S. Francisci donatis dominium esse penes Romanam Ecclesiam; 2° paupertatem, quæ omne dominium a se removet, solo usu servato, esse sanctam et meritoriam; 3° Christum verbo et exemplo hanc paupertatem docuisse. Porro Joannes XXII circa 1um negat usum a dominio separabilem : sed quia hoc tum per modum rationis tantum et argumentando, non definiendo profertur, tum ad forum Jurisprudentiæ aut Scientiæ moralis spectat; quæstionem id nostram non concernit, nec ulli etiamnum facultatem eripit pro libitu opinandi : circa 2um Idem nihil definit, nec illud directe impugnat; sed solum Rom. Ecclesiæ nomine, renuntiat dominio rerum Franciscanis donatarum, sicque sublata hujus paupertatis existentia, tollere ejusdem qualitates nititur; quod facti plene liberi fuit : circa 3um, quod fidei erat; quantumvis diversi, non tamen sibi contradicunt. Nicolaus enim vult, Christum aliquando hanc paupertatem etiam exemplo docuisse : Joannes autem statuit, esse hæreticorum dicere, Christum nihil unquam proprii hic in terris habuisse; adeoque vult, Eum aliquando hanc paupertatem non exercuisse : quæ duo ita opposita sunt, ut tamen simul vera esse possint.

Demum circa editionem Bibliorum, licet illa Sixti V ab alia Clementis VIII superetur; discrepantia tamen non est ad fidem aut mores spectans : nec prior promisit editionem omnino emendatam sed prout optime fieri poterat: nec posterior negat superesse adhuc emendanda; neuter etiam definit editionem suam quoad omnes minutias, sive grammaticas sive hermeneuticas,

authenticam; sed tribuit duntaxat illius usui legitimam auctoritatem, et usitatam vel corrigendi vel reprobandi licentiam cohibet.

Postremo circa Bullam *Unigenitus* vide Tr. de *Peccatis et Gratia.*

195. *Observa.* Vindicare PONTIFICES ab aliis criminationibus, et a pœna propter has sive per naturales causas, sive per umbras, sive per diabolum illata, nostri instituti haud existimamus; tum quia in plerisque falsitas et calumnia, ab auctoribus pluribus probata sufficienter constat: tum quia ad asserendam thesin nostram, non requiritur sanctitas morum in vita, sed integritas fidei in doctrina, et in hac nequidem omni ac privata seu personali, sed in publica tantum et magisteriali seu Ecclesiæ ad fidem proposita: cujus diversitatis ratio tum ex facto Christi et revelatione, tum ex constitutione Ecclesiæ ac necessitate facile intelligitur. Ex iis tamen, quæ ad vindicandas ab erroribus objectis definitiones Pontificum authenticas diximus, infertur valida Assertionis nostræ confirmatio.

Quod enim per octodecim secula et amplius nullus unquam ROM. PONTIFEX hactenus e cathedra locutus erraverit, est tum in tanta hominum, temporum, morum ac studiorum varietate supra conditionem humanam; tum in particulari nulla Ecclesia, quantumvis ab Apostolis instituta et ad Patriarchalem amplitudinem evecta, fuit observatum: ergo privilegium aliquod est divinitus concessum; ut recte a posteriori colligi posse videtur. Quamvis enim universim non teneat hæc consequentia: Nunquam erravit; ergo errare nec potuit nec poterit: propositio tamen nostra, suis adjunctis vestita, et tot a priori rationibus comitata, illationis plus quam materialiter bonæ veritatem ostendit, et assensum meretur.

QUÆRES I. *Quisnam sit sensus Ecclesiæ Gallicanæ circa auctoritatem summi Pontificis?*

196. *Nota.* In declarando Ecclesiæ Gallicanæ sensu, ad mentem et doctrinam Episcoporum, eorumque numero valentium, et omni ætate loquentium, potissimum advertimus. 1um quidem facit sensum authenticum; quia Episcopi a Deo positi sunt Ecclesiæ Pastores ac Doctores, fideique et sanæ doctrinæ depositum acceperunt: 2um facit sufficientem; quia aut omnium aut plurium saltem suffragium pro Nationis consensu requiritur et accipitur: 3um facit indubium; quia constantia et concordia dubitare non permittunt. In præsenti quæstione tanta difficultas non videtur circa geminas conditiones priores, quam circa posteriorem; propterea quod Sanctio Pragmatica an. 1438 in conventu Bituricensi constituta, et Declaratio Cleri Gallicani an. 1682 die 19 Martii in Comitiis Parisiensibus facta, antiquo Ecclesiæ sensui et traditæ alias doctrinæ videatur repugnare. Ut ut vero detur, Ecclesiam Gallicanam illa sanctione aliquid mutationis aliquamdiu subisse; eam tamen diu obtinere non permisit proximus conditoris successor LUDOVICUS XI, et FRANCISCUS I Francorum Reges, quorum ille Sanctionem rescindere tentavit, iste vero Concordato cum LEONE X in Conc. Lateran. V, an. 1516, constituto penitus abrogavit.

Unde unicum de memorata Cleri Declaratione examen restat; in quo præmissa de antiquæ, et subjuncta de modernæ Ecclesiæ Gallicanæ sensu responsione, disquiretur, utrum exinde aliquid communi sententiæ contrarium elici possit? Hanc in rem juvat eamdem verbotenus adscribere, omisso tamen

proloquio, quod pro Declarationis occasione, variorum conatus contra Libertates Ecclesiæ Gallicanæ, Primatum Petri et potestatem Ecclesiasticam, susceptos designat; nec non capite primo, quod potestatem Pontificis et Ecclesiæ in res temporales tum directam tum indirectam negans, ad nostram controversiam haud spectat.

Sic autem habet : « Nos Archiepiscopi et Episcopi Parisiis mandato Regio congregati, Ecclesiam Gallicanam repræsentantes, una cum cæteris viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu habito, hæc sancienda et declaranda esse duximus.... »

Art. 2. « Sic inesse sedi Apostolicæ ac Petri successoribus Christi vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctæ œcumenicæ Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum generalium; nec probari a Gallicana Ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant. »

Art. 3. « Hinc apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos : valere etiam regulas, mores et instituta Regno et Ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ Sedis, ut statuta et consuetudines tantæ sedis et Ecclesiarum consentione firmatæ, propriam stabilitatem obtineant. »

Art. 4. « In fidei quoque quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. »

197. *Respondeo I.* **Ecclesia Gallicana antiqua stat pro superioritate et infallibilitate summi Pontificis.**

Prob. 1ª *p.* 1. Ex testimonio Ecclesiæ Nationalis; quia Avitus Archiep. Viennensis an. 503 in causa Symmachi ad Urbis senatores *a cunctis Gallicanis Fratribus scribere oneratus*, præter alia num 176 relata, inquit : *Reddet rationem, qui ovili Dominico præest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset. Cæterum non est gregis, pastorem proprium terrere, sed judicis.* Regni Proceres in libello an. 1303 Clementi V oblato scribunt : *Estis enim vos, Pater sanctissime, Jesu Christi Vicarius totum corpus Ecclesiæ representans, qui claves regni cœlestis habetis, nec congregatum totum Concilium sine vobis et nisi per vos posset cognoscere de negotio supradicto, juxta Patrum sancita, sententiamque juris et Ecclesiæ sanctæ Dei.* Episcopus Meldensis, primus Oratorum Galliæ, in Orat. Florentiæ an. 1441 coram Eugenio IV habita disserit : « Tuum Principatum Monarchicum esse a Deo, nedum secundum communem universi providentiam, sed etiam speciali institutione inter opera restaurationis mundi a Christo institutum, teque vera legitimaque successione illum possidere, palam recognoscimus et confitemur. »

2. Ex testimonio Conciliorum. Teste Anastasio in vita Leonis III, Episcopi Gallicani in Pontificis illius causa ad Conc. Romanum evocati, recusarunt judicum partes, causati : *Nos sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus : nam ab ipsa nos omnes et vicario suo judicamur, ipsa a nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos est.* In

Conc. Pontigonensi editi sunt duo canones, quorum alter ait : « Statuimus, ut sancta Romana Ecclesia, sicut est caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur et veneretur : et liceat ei debitum tenere vigorem, et pro universali Ecclesia exhibere curam. » Alter vero : « Ut honor Domino et spirituali Patri nostro Joanni Summo Pontifici et universali Papæ ab omnibus conservetur, et quæ secundum sacrum ministerium suum auctoritate Apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiatur, et debita illi obedientia in omnibus conservetur. » Episcopi Prov. Senonensis ad Conc. Ansanum an. 1112 pro PASCHALIS II causa judicanda invitati, venire respuerunt scribentes : *Non videtur nobis utile ad illa concilia convenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare vel judicare; quia nec nostro nec ullius hominum probantur subjacere judicio... et quia principales Ecclesiæ claves nolumus potestate sua privare, quæcumque persona vices Petri habeat, nisi manifeste ab Evangelica veritate discedat.*

3. Ex testimonio EPISCOPORUM. Hincmarus Archiep. Remensis in Præf. de Divort. inter Lothar. et Teutber. ait : *Omnes senes cum junioribus scimus, nostras Ecclesias subditas esse Romanæ Ecclesiæ et Rom. Pontifici; et ob id salva fide, quæ in Ecclesia semper vigilat, et Domino cooperante florebit, nobis est vestræ auctoritati Apostolicæ obediendum.* Ivo Ep. Carnotensis ep. 159 scribit : *Quoniam judicia Rom. Ecclesiæ a nemine foris retractari posse didicimus, si qui aliquando se prægravatos illius auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut ab ipsa ad ipsam confugiant, et inde exspectent levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen.* Godfridus Ep. Vindocinensis epist 30 inquit : *Si quis igitur Apostolicæ Sedi contrarium sentit, non sapit, quicumque est ille, sed desipit, non cultor vel expositor divinæ legis, sed insidiator et oppressor indubitanter agnoscitur.*

Prob. 2ª p. rursus 1. Ex testimonio ECCLESIÆ NATIONALIS. Avitus supp. cit. in epist. ad Hormisdam scribit : *Jam securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes vestram super statu fidei captare sententiam Orate, ut sic nos prædictorum confessio fucata non fallat, sicut ab unitate, quam regitis, veritas comperta non separet.* Præsules Galli, circa Sec. 10 finem, in causa Arnulphi Ep. Parisiensis ad Joannem XV sic loquuntur : *Tandem imus in sententiam Domini dicentis, si peccaverit in te frater,* etc., *dic Ecclesiæ; si Ecclesiam non audierit,* etc. *Adesto Pater ruenti Ecclesiæ, et sententiam profer in medium : sentiamus in vobis alterum Petrum: ferat Rom. Ecclesia sententiam, ut intelligamus, cur inter cæteros Apostolatum vestrum præferre debeamus.* Optimates Galliæ in Libel. sup. laudato aiunt : *Non quæritur de hæresi Papæ quondam, ut Papæ, sed ut privatæ personæ : nec enim ut Papa potuit esse hæreticus, sed ut privata persona : nec unquam aliquis Papa, in quantum Papa, fuit hæreticus.*

2. Ex testimonio CONCILIORUM. Conc. Arelatense an. 455 in epist. Synod. ad Leon. sic scribit : *Apostolatus vestri scripta, ut symbolum fidei, quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscribit, et tenaci, ut ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit.* Arausicanum II, an. 529 : *Quod nobis secundum admonitionem et auctoritatem Sedis Apostolicæ visum, pauca capitula ab Apostolica Sede nobis transmissa ad docendos eos, qui aliter quam oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre et manibus nostris subscribere deberemus.* Turonense an. 567 statuit : *Quis sacerdotum contra talia decreta, quæ a Sede Apostolica processerunt, agere præsumat? quorum valere possit prædicatio, nisi*

quos Sedes Apostolica approbavit? Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcipit auctoritas.

3. Ex testimonio Cleri Gallicani in comitiis generalibus. Is Meloduni an. 1579, sic præcipit : *Clerici et Laici aperta professione eam fidem pronuntient, quam sancta Romana Ecclesia, magistra columna et firmamentum veritatis, profitetur et colit : ad hanc enim propter suam principalitatem necessum est convenire omnem Ecclesiam.* Et in fine : *Omnia hæc sanctæ Rom. Ecclesiæ, cujus ex præceptis populum fidelem institui, et certam fidei ac morum correctionis regulam constitui oportet, judicio et auctoritati subjicimus.* Idem an. 1626, in monitis ad Archiepp. et Epp. hæc habet : *Venerabuntur etiam sanctum Patrem nostrum Papam, Ecclesiæ universalis caput visibile, Dei in terris vicarium, Episcopum Episcoporum et Patriarcharum, denique Petri successorem, a quo Apostolatus et Episcopatus sumpserunt exordium, ac super quem Christus fundavit Ecclesiam, cui claves cœli tradens cum infallibilitate fidei, quam non sine miraculo immotam in ejus successoribus perseverasse usque in hodiernam diem cernimus.* An. 1653, subscribentibus 85, Episcopis in epist. ad Innocentium X ita loquitur : *Majores causas ad Sedem Apostolicam referri solemnis Ecclesiæ mos est, quam fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri pro jure suo postulat.* An. 1660, ad Alexandrum VII scribens ait : *Quia in hoc monte (Sede Apostolica) Dominus docet; statuimus ibi finem quærendi, stationem credendi, exporrectionem inveniendi.*

4. Ex testimonio Episcoporum conjunctorum. An 455 Episcopi tres, Ceretius nempe Salonius et Veranus, in litteris ad Leonem datis, et inter Leoninas epist. 98 comprehensis, de Pontificia ad Flavianum epistola sic enuntiant. *Illa specialis doctrinæ vestræ pagina ita per omnia Ecclesiarum conventicula celebratur, ut vere consona omnium sententia declaretur, merito illic principatum Sedis Apostolicæ constitutum, unde adhuc Apostolici Spiritus oracula referuntur.* Episcopi sex an. 1140, epistola inter illas S. Bernardi 370 ad Innocent. II scribentes aiunt : *Nulli dubium est, quod ea, quæ Apostolica firmantur autoritate, rata semper existunt, nec alicujus possunt deinceps mutilari cavillatione, vel invidia depravari.* Triginta Episcopi post latam ab Innoc. X Constitutionem an. 1658 ita rescribunt : *Perspectum habemus non solum ex Christi pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, et ex anathematismis adversus Apollinarium et Macedonium, nondum a Synodo œcumenica damnatos, a Damaso paulo ante jactis, judicia pro sancienda regula fidei a summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione, divina æque ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti; cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur.*

5. Ex testimonio Episcoporum singulorum. Hincmarus Remensis, l. de Prædestin., c. 14 ait : *Catholicis hoc debet sufficere, quod omnium Ecclesiarum mater docet : oportet hoc sequi, quod illa Rom. Ecclesia credit.* Ivo Carnot., ep. 8 ad Richerium : *Hujus sedis judiciis et constitutionibus obviare, plane est hæreticæ pravitatis notam incurrere.* Stephanus Ep. Parisiensis an. 1324 : *Ad hanc Rom. Ecclesiam, velut ad universam regulam Catholicæ veritatis, pertinet approbatio et reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio et confutatio errorum.*

Conf. utr. p. 1. Ex testimonio Abbatum. S. Bernardus epist. 213 Pontifices alloquens ait : *Quis mihi faciet justitiam de vobis? extat quidem tribunal Christi : sed absit, ut ad illud appellem! itaque recurro ad eum cui datum*

est judicare de universis, hoc est, ad vos appello : judicate et me et vos. Idem epist. 190 ad Innocentium sic scribit : *Oportet ad Rom. Pontificis Apostolatum referri pericula quæque et scandala emergentia in regno Dei, et præsertim, quæ fide contingunt : dignum namque arbitror, ibi resarcire damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum.* Petrus Cluniacensis in epist. ad S. Bernard. inquit : *Hæc irrefragabilis sanctæ Sedis sanxit auctoritas : nos enim, quia contraire non debemus, nec de ejus unquam, quod nulli mortalium licitum est, judicio judicare.* Petrus Blesensis epist. 99 ad Urbanum scribit : *Hæc sedes, columna et fundamentum veritatis, statum incolumitatis accepit.*

2. Ex testimonio Scriptorum Profanorum. Libri Carolini, l. 1, c. 6 statuunt : *Non ab aliis Scripturis, nisi ab his, quas Ecclesia Romana inter canonicas recipit, testimonia sunt assumenda; nec ailorum Doctorum, nisi eorum, qui a Gelasio vel aliis illius sanctæ Sedis Pontificibus suscepti sunt, dogmata sunt amplectenda.* Annales Metenses ad an. 863, et Chronicon Prumiense ad an. 859 aiunt : *Stultitiæ elogio denotandi sunt, qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt; quæ nec fefellit, nec ab aliqua hæresi unquam falli potuit.* Philippus Galliar. Rex in epist. ad Innoc. III an. 1209 scribens contendit : *Romani Pontificis judicium Deo soli servari ac deberi :* Senatus Parisiensis autem circa an. 1467 Ludovicum XI alloquens, Sedem eamdem *juxta Caus.* 24, *Qu.* 1, *Can.* 9, *errare non posse* testatur.

3. Ex testimonio Sorbonæ. Hæc in Tract. Theologico Clementi V, an 1340 oblato, Romani Pontificis *supremam in Ecclesia auctoritatem, fidem nunquam deficientem, judicialiter in fide definiendi potestatem* asserit et probat : An. 1387 Pontificem alloquens, *ad Petri cathedram pertinere determinationem fidei, approbationem veritatis catholicæ et hæreticæ pravitatis detestationem,* contestatur : An. 1629 præscripsit auditoribus Theses defensuris formulam, qua jurarent, nihil se Scripturæ, Conciliis œcumenicis et *Decretis summorum Pontificum* adversum dicturos aut scripturos, etc.

198. *Respondeo II.* **Hunc Ecclesiæ Gallicanæ sensum antiquum non immutavit Declaratio Cleri Gallicani anno 1682 edita.**

Prob. Conditores enim hujus declarationis nec voluerunt nec potuerunt statuere sensum Ecclesiæ Gallicanæ recentioris diversum a sensu illius antiquæ.

Prob. 1ª *p.* 1. Conditores illi declarant, nihil diversum se velle ab antiqua Gallia sentire. Nam in epist. 1ª ad Innoc. XI profitentur se *pro certo habere, quod majores sui atque Sedis Apostolicæ Antistites circa Rom. Pontificum auctoritatem docuerunt;* et speciatim inter priores provocant ad *S. Bernardum, Goffridum Vindocinensem et Ivonem Carnotensem,* de quorum mente num. prior documenta dedit : inter posteriores autem *Leonem I, Gelasium I, Alexandrum III et Innocentium III,* de quibus prioribus articulis sæpius sermo erat, præsertim laudant. Præterea in 2ª ad eumd. Pontificem epistola hæc addunt : *Quantum olim a Majoribus nostris Sedi Apostolicæ delatum est, tantum nos, qui honoris sacerdotalis successores patriique animi hæredes sumus, vestræ sanctitati debere, solemniter profitemur.*

2. Ipsi tribuunt summam auctoritatem Pontifici. Nam in Declarationis proloquio enuntiant, *Romanis Pontificibus debitam ab omnibus Christianis obedientiam, et reverendam cunctis gentibus* esse *Sedem Apostolicam :* Ibidem

declarant, in Sede Apostolica *fidem prædicari, unitatem servari,* et *pacem Ecclesiæ contineri* : In Declarationis etiam Cap. 2 tribuunt summis Pontificibus *rerum spiritualium plenam potestatem* : et in c. 4 statuunt, *in fidei quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas Ecclesias pertinere.* Demum in epist. encyclica ad Epp. Regni censent, summorum Pontificum *quoad fidem decretis fideles omnes esse obnoxios;* et cum S. Cypriano pronuntiant, Christum unitatem Ecclesiæ ita in Sede Apostolica constituisse, ut, *qui cathedram Petri deserit, in Ecclesia non sit.* Addunt tandem ibidem, hanc declarationis ideam a Benigno Bossuet, horum comitiorum Oratore, in se fuisse efformatam. Hic vero in sua ad Cler. Gal. Oratione præter alia et hæc profert : *Æterna hæc cathedra, in qua Petrus semper docebit, Romæ stabilita et firmata fuit. Hæc est Ecclesia Romana, quæ a Petro ipsiusque successoribus edocta, hæresin non agnoscit. Hæc Ecclesia Romana semper est virgo. Fides Romana semper est fides Ecclesiæ : semper creditur, quod creditum est. Eadem vox ubique insonat, et Petrus manet in suis successoribus fidelium fundamentum.*

3. Iidem, ubi contradicere antiquis videntur, ita sermonem temperant, ut contrarium non decernant. Sic in Cap. 2 decreta Constantiensis Synodi intelligi volunt secundum *Apostolicæ Sedis confirmationem, universæ Ecclesiæ usum, et perpetuam Galliæ observantiam* : præterea nihil de Pontificibus certis atque fidelibus enuntiatur. In Cap. 3 moderandus dicitur Apostolicæ potestatis usus per *canones,* non tamen additur, per illos etiam juris mere Ecclesiastici : Item *valor* regulis et moribus ab Ecclesia Galliæ receptis tribuitur, nec tamen omnino immutabilis decernitur : demum ut statuta et consuetudines firmatæ habeant stabilitatem, asseritur pertinere ad Apostolicæ Sedis *amplitudinem,* non necessitatem, præsertim justis causis mutationem suadentibus. In Cap. 4 negatur *judicium* Pontificis esse irreformabile, nisi *consensus Ecclesiæ* accesserit; sed non distinguitur inter judicium Pontificis privatum et publicum : nec inter consensum vel liberum vel necessarium : nec inter Ecclesiam sive universalem, sive particularem Romanam; de quo postremo tamen distinguendo Gilbertus de Choiseul Ep. Tornacensis frustra mentionem fecerat.

Prob. 2ª *p.* Efformatores Declarationis caruerunt *legitimis conditionibus,* quæ pro colligendo Ecclesiæ Gallicanæ sensu exiguntur.

Nam 1. caruerunt *judicandi opportunitate;* cum Antonius Charlas in Tr. de Libert. Gallican. negotium dicat confectum in comitiis *illegitimis;* Card. Sfondrati in Gall. vindic. totum tribuat *vindictæ et odio* : ac id saltem certum sit, quod declaratio fuerit edita, quo tempore dissidium de regaliis inter Ludovicum XIV et Innocentium XI fervebat, ipsi autem Patres tenebantur *gravi metu,* ut datæ ad Innoc. XI litteræ et hujus ad illas responsoriæ aperte loquuntur.

2. Caruerunt *testantium numero;* cum ex centum triginta et pluribus regni Episcopis, fuerint his in comitiis congregati duntaxat triginta quatuor; illique non unanimi, sed consensu tantum *communi,* capita Declarationis constituerint, ut subscriptiones nominum et litteræ encyclicæ docent.

3. Caruerunt *decidendi auctoritate;* cum reliqui Episcopi a comitiis absentes congregatis, nec mandatum nec vicaria sui suffragia dederint ante; nonnisi pauci autem postmodum suo consensu et litteris pastoralibus accesserint; universi demum a reliquis actis, nomine et auctoritate Cleri Gallican editis, hanc declarationem abesse voluerint.

4. Caruerunt *approbationis subsidio;* Cum Innocentius XI per litteras in forma Brevis datas statim rescinderit Comitiorum Consulta; Alexander VIII autem solemniori Constitutione, quæ incipit *Inter multiplices*, 4 Aug. 1690, edita sic decreverit : *Omnia et singula, quæ tam quoad extensionem juris Regaliæ, quam quoad declarationem de potestate Ecclesiastica, ac quatuor contentas in ea propositiones in supradictis comitiis Cleri Gallicani* an. 1682, *habitis, acta et gesta fuerunt, cum omnibus et singulis mandatis, arrestis,* etc., *a quibuscvis personis editis seu publicatis,* etc., *ipso jure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque et effectu penitus et omnino vacua ab initio fuisse et esse ac perpetuo fore, neminemque ad illorum seu cujuslibet eorum, etsi juramento vallata sint, observantiam teneri, tenore præsentium declaramus,* etc.

5. Caruerunt *constantia et efficacia;* cum non pauci ex Declarationis auctoribus suffragium suum revocarint, testantibus id communibus illorum litteris ad Innoc. XII, an. 1692 datis quarum hic tenor est : *Nihil accidere molestius nobis potuit, quam quod eo nunc loco res nostræ sint, ut aditus in gratiam Sanctitatis vestræ nobis hactenus interclusus videatur. Cujus quidem rei cum eam fuisse rationem perceperimus, quod nos Cleri Gallicani comitiis an.* 1682 *Parisis habitis interfuerimus : idcirco ad pedes Beatitudinis vestræ provoluti profitemur et declaramus, nos vehementer quidem et supra id, quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in comitiis prædictis, quæ Sanctitati vestræ ejusque Prædecessoribus summopere displicuerunt; ac proinde quidquid in eisdem comitiis circa Ecclesiasticam potestatem et Pontificiam auctoritatem decretum censeri potuit, pro non decreto habemus, et habendum esse declaramus.* Quin et ipse Rex Ludovicus adjecta ad eumdem Pontificem epistola hæc declarat : *Atque ut filialis observantiæ, quam possum, luculentissimum specimen præbeam, Sanctitati vestræ lubens lætansque significo, jam data a me esse mandata necessaria, ut, quod ad muniendam Comitiorum anni* 1682 *declarationem, rebus eo tum impellentibus, dederam, edictum omni careat effectu,* etc.

199. *Respondeo III.* **Eumdem sensum etiam post famosam Declarationem retinet Ecclesia Gallicana recentior.**

Prob. Episcopi posteriores cunjuncti æque ac singulares stant pro auctoritate Pontificis tum suprema tum infallibili.

Prob. 1ª *p.* Plures Galliæ Episcopi tenent : 1. Universæ Ecclesiæ firmitatem pendere a soliditate Romanæ Ecclesiæ ac successorum Petri : ita docent Clerus Gallicanus in comitiis an. 1705 in epist. ad Clementum XI, Bossuet Meldensis 1682 in Orat. ad Cler. Gall. habita, Fenelon Archiep. Cameracensis 1714 in Documento Pastorali, Colongue Ep. Aptensis 1717 in Mandato, Mailly Archiep. Remensis 1718 in Mandato, Poncet Ep. Andegavensis 1721 in sermone Synodali, Argentre Ep. Tutellensis 1725 in sententia, La Fare Ep. Laudunensis 1730 in Mandato, S. Albin Achiep. Cameracensis 1739 in Documento, Belsunce Ep. Massiliensis in Documento supra Libertates Gallicanas.

2. Conciliorum generalium necessitatem absolutam esse nullam : ita statuunt Cler. Gallican. in Comitiis 1728 in epist. ad Regem, Abelly Ep. Ruthensis 1686 in Tr de obedientia Rom. Pontifici debita, Languet Archiep. Senonensis 1719 in epist. et monito tertio ad Lamoignon, Mailly l. c. Bissy Ep. Meldensis 1722, 25, 28 in Documentis Pastoralibus.

3. Appellationem a Pontifice ad Concilium esse irritam et reprobandam :

ita decernunt Mailly 1718 in Docum. pastor., Poncet 1720 in approbatione epistolæ Tuillierii, Bissy 1728 in Docum. et epist. ad Ep. Ebroicensem, S. Albin. 1732 in Documento.

Prob. 2ª *p.* Gallicani Episcopi statuunt : 1. Judicio Pontificis dogmatico deberi ab Ecclesia universa conformitatem doctrinæ, ab omnibus autem Christianis sincerum mentis obsequium : ita conventus Episcoporum Parisiis 1714 in epist. ad Clementem, et 1717 in primo ac secundo Memoriali ad Ducem Aurelianensem; Ep. Bellicensis, Ep. Vapincensis, et Rochechouart Ep. Atrebatensis 1705 in Mandatis, Revol. Ep. Oleronensis et Rohau Ep. Argentinensis 1714 in Mandato et epist. ad Arelatensem; Megrigni Ep. Grassensis, Ratabon Ep. Vivariensis, Maboul Ep. Alectensis et Rabutin Ep. Nivernensis 1718 in Mandatis et Memoriali ad Duc. Aurelianensem; Episcopi Bajonensis et Carcassonensis 1729 in Documentis; Ventimille Arch. Parisiensis 1730 in Epist. ad Regem, Tencin Arch. Eberodunensis 1728 et 34 in Mandato et Documento.

2. Judicium Pontificis ante Ecclesiæ consensum jam esse causæ definitivum : ita Bossuet in epist. ad Moniales Portus Regii, Fenelon 1706 in Mandato, Idem et Fleury Ep. Forojuliensis 1714 in Mandatis; Fenelon et Madot Ep. Cabillonensis 1715 in epist. cont. Advocat. generalem; Mailly 1718 in Mandato; Tencin 1728 in Documento; Languet 1731 in Docum.; Belsunce 1736 in Mand. cont. Sermon. Genevensium; S. Albin 1739 in Mandato.

3. Pontifici Romano divinitus datum esse indefectibilitatis privilegium : ita Cler. Gallic. 1714 in Actis Verbalibus; Villeroy Arch. Lugdunensis 1718 in Mandato; Item Abelly, Bossuet, Fenelon, Bissy, Languet, Mailly, S. Albin, Tencin, Colongue, Megrigni, La Fare, Belsunce annis et locis tum laudatis tum aliis; cum Charency Ep. Montispessulano, Norman Ep. Luxoviensi, Bajonensi, Cenomanensi, Arelatensi, aliisque pluribus.

Conf. utr. p. 1. Episcopi Galliæ contestati sunt facto et praxi tum supremam Pontificis potestatem; ubi de Placitis Sanctorum, de famoso casu conscientiæ, de Reflexionibus moralibus Quesnelli, de Sacramentorum administratione petentibus constitutioni Apostolicæ refractariis facienda aut neganda, communibus litteris et regio cum consensu judicium Pontificis decretorium postularunt : tum infallibilem auctoritatem; ubi Constitutionem Innocentii XII. *Cum alias* an. 1699, Clementis XI. *Vineam Domini* an. 1705, ejusdem Clementis *Unigenitus Dei filius* an. 1713, et Benedicti XIV. Litteras ad Galliæ Epp. encyclicas an. 1756, memoratis postulationibus correspondentes, summa veneratione et promptissimo obsequio, ante omnem aliarum Ecclesiarum consensum atque de hoc notitiam, exceperunt.

2. Contestati sunt verbis et scriptis; partim dum appellationes a quibusdam etiam Episcopis a Bulla *Unigenitus* ad Concilium generale injectas spreverunt et refutarunt : partim dum Declarationis Cap. 4ᵘᵐ a sensu negante et exclusivo ad affirmantem et positivum traduxerunt, sententiam sic interpretati : Judicium Pontificis est irreformabile, quando Ecclesiæ consensus accesserit; quemadmodum de priore testantur Bissy, Languet, Mailly, S. Albin, Poncet loc. citatis; de posteriore iidem Bissy et Languet cum Clero Gallicano in comitiis 1705, ad quæ provocat responsio ad memoriam libellum a Card. Tremouille an. 1707 oblatum data : de utroque Clerus Gallicanus comitiorum an. 1755 in epist. ad Benedictum XIV et litteris encyclicis, nec non Beaumont Arch. Parisiensis an. 1756 in Instructione Pastorali Confluentiæ data, cui eod. anno S. Simon Ep. Metensis, Gabriel Ep.

Ambianensis, Condorcet Ep. Altisiodorensis, La Roche Ep. Meldensis, Rosset Ep. Carnotensis, Montmorency Ep. Aurelianensis, Poncet Ep. Trecensis, et an. sequente Quenet Ep. Pontiensis per Litteras encyclicas accesserunt.

3. Quamvis Magistratus politicus usum et doctrinam Declarationis hactenus sæpe et nuper etiam urserit vehementius; nulla tamen Cleri Gallicani comitia, nec Episcopus ab appellantium numero sejunctus ullus, post editas Romanas damnationes, hucusque aut ejus observantiam præceperunt, aut ad ejusdem auctoritatem provocarunt : qui, secundum nuper dicta, Episcopi noluerunt hanc Declarationem cæteris Cleri Actis impressis typo simul excriptam adjungi.

200. *Observa.* A Benigno Bossuet Ep. Meldensi ad jussa Ludovici XIV, circa an. 1688, conscriptam fuisse defensionem Declarationis Cleri Gallicani sexennio ante confectæ, testis est alter Bossuet, prioris nepos, Ep. Trecensis in Instructione Pastorali an. 1729 edita. Altero post anno typis tum Luxemburgicis tum Basileensibus apparuit liber præferens hanc defensionem : quæ num genuinum magni Bossueti opus sit, ex sequentibus momentis dubitare licet.

1. Suscipionem movet quod hæc defensio extra Galliam, vigenti sex annis post mortem Auctoris, et eo tempore prodierit, quo jam constabat non paucas lucubrationes posthumas huic Episcopo fuisse suppositas :

2. Ex testimonio Domini d'Aguesseau, Galliæ Cancellarii, habetur, scriptam defensionem ab ipso auctore ante suum obitum fuisse in multis correctam et valde mutatam, præsertim autem fine ad Regem Christianissimum dedicatorio auctam; quin tamen in defensione typis vulgata aut ille finis extet, aut notæ vel loca mutationis indicentur :

3. Defensionis vulgatæ auctor Ep. Meldensi tribuit titulum Religiosissimi et Doctissimi, eum ex gravioribus Theologis et Doctoribus unum appellat, ejusdem libros alios laudat et legendos proponit; quæ de se ipso scripsisse Bossuetum, haud est verosimile :

4. Multa hujus defensionis scriptor habet, quæ contradicunt certis Bossueti scriptis, maxime sermoni in Comitiis habito et instructioni Pastorali de Promissionibus Ecclesiæ factis.

5. Ipse hic scriptor sibi plurimum contradicit, tribuendo multis in locis Ecclesiæ Romanæ, aut Pontifici cum Clero Romano, infallibilitatem :

6. Episcopis Montispessulano ac Senecensi, ad hanc editionem provocantibus, Episcopus Ruthensis, Belsunce Ep. Massiliensis, et Tencin Arch. tunc Lugdunensis, inde productas objectiones, partim contraria exemplaris in Regia Bibliotheca custoditi lectione, partim quibusdam ex nostrarum numero rationibus dubitandi oppositis, dissolvere, et scripto eripere auctoritatem studuerunt. De his, uti etiam de ipsa declaratione, qui plura cupit, consulat opus Avenione 1747 excusum, et de suprema Rom. Pontificis auctoritate hodierna Ecclesiæ Gallicanæ doctrina, inscriptum.

Quæres II. *Quisnam sit Principiorum Directivorum in Theologia usus?*

201. *Nota.* Non principia tantum, sed et ipsas fere argumentationis Theologicæ regulas circa Ecclesiam, Concilia et Pontificem præoccupavit institutæ hactenus disputationis materia : Unde præter morem in superioribus usurpatum, singulis Capitibus usum principiorum directivorum non subjunximus. Quanquam vero id impedire non debeat, quominus, quæ dispersa

sunt in varios articulos, hic colligamus in unum ; hoc tamen facile præstabit, ut argumentationis licitæ capita nunc proferamus, velut corollaria, nec operose eadem rationibus muniamus, utpote quas jam in prioribus uberrime produximus. Ne vero aut evagemur ultra præfixos limites, aut eadem sæpius repetere cogamur, responsa nostra ad materiam fidei et morum adstricta profitemur.

202. *Respondeo I.* Circa Ecclesiam tenent sequentes Regulæ. I. Nullius alterius Ecclesiæ, præterquam Romano-Catholicæ auctoritas per se præbet efficax argumentum. II. Ex communi consensu totius Ecclesiæ Catholicæ, amplectentis veritatem aliquam vel repudiantis falsitatem, firmum habetur fundamentum pro eadem veritate recipienda vel falsitate rejicienda. III. Judicium dogmaticum Ecclesiæ, aliquid pro vero aut falso habendum declarantis, certum est momentum, ad illud tanquam verum aut falsum evincendum. IV. Si quidpiam teneat Ecclesia priorum seculorum, id ipsum etiam nunc a quovis orthodoxo tenendum esse, legitime infertur. V. Ubi antiqua siluit Ecclesia, aut dubitari impune passa est, si quid circa illud moderna definiat aut communi consensu probet, improbetve, indubie id tenendum est. VI. Ecclesia docens vel consentiens, dispersa non minus quam in Concilio congregata, auctoritatem certam obtinet, et obsequium credulitatis meretur. VII. Non enervatur argumentum ab Ecclesiæ auctoritate depromptum exinde, quod pauci respective Episcopi ejus definitioni refragentur. VIII. Cavendum, ne quid pro Ecclesiæ universalis doctrina adducatur, quod tale revera esse per se non constet, aut idoneis testibus haud probetur.

203. *Respondeo II.* Circa Concilia valent Regulæ subnexæ. I. Concilium œcumenicum præbet argumentum irrefragabile. II. Non æquale quidem, validum tamen, momentum suppeditat Concilium generale, nec positive reprobatum, nec tamen legitimæ definitioni contrarium. III. Nullius valoris est ratiocinium, quod ex Conc. Generali vel simpliciter vel quoad illam partem improbato desumitur. IV. Concilium particulare, quantumvis a summo Pontifice approbatum, majus certitudinis fundamentum non exhibet, quam quantum præbet Rom. Sedis auctoritas. V. In formando ex Conciliis argumento distinguendum est. 1. Inter consultationes aut disceptationes Patrum, et enuntiationes judiciales aut doctrinales : 2. Inter unius aut plurium Patrum opiniones aut sententias, et decreta conciliariter edita : 3. Inter decretorum præambula, rationes, clausulas, aut alia forsan præter institutum incerta, et ipsam dispositionem : 4. Inter sensum verborum alienum et proprium, rei modum et substantiam, enuntiationis criterium probabile duntaxat et certum, ipsiusque certitudinis gradus varios.

204. *Respondeo III.* Circa Sedem Apostolicam seu summum Pontificem e cathedra loquentem obtinent Regulæ Proximæ. I. Ex sententia decretoria summi Pontificis, quam major Episcoporum, etiam per orbem dispersorum, pars pacifice acceptarit, firmissimum oritur argumentum. II. Etsi de fide non sit, hujusmodi sententiam ante acceptationem memoratam, esse penitus irrefragabilem; exinde tamen convincens argumentum derivari posse, ex disputatis colligitur. III. Ex auctoritate etiam eadem per se saltem idoneum ac solidum argumentum ubique formari posse, nemo facile negaverit. IV. Discernendum semper est in Pontifice officium a persona, magister uni-

versalis a privato Doctore, et duplex distinctionis genus, quod in Conciliis distinguendum proxime monuimus.

205. *Observa.* Brevitatis nunc usurpatæ rationes eædem faciunt, ut de quæstione circa judicem controversiarum speciatim tractanda abstinere liceat. Quod enim necessarius sit hujusmodi judex in Ecclesia; probant ea, quæ num. 35 et 37, pro necessitate Interpretis Scripturæ, et num. 70, pro necessitate Traditionis allata sunt. Quod inter qualitates judicis hujus præcipuas, numerare oporteat auctoritatem divinitus collatam et immunitatem ab errore; controversiæ decidendæ argumentum declarat. Quod tandem qualitates hujusmodi, ac consequenter judicis officium, nec Scripturæ ipsi, nec spiritui cujuslibet privato, nec Magistratui etiam politico conveniant; num. 39 et 40, est ostensum. Easdem autem qualitates cum passim in præsenti Disputatione Ecclesiæ universali, tum substantialiter sumptæ, tum repræsentative acceptæ, vindicaverimus, satis expeditum videtur, titulum judicis controversiarum nec docenti Ecclesiæ, nec Concilio œcumenico, nec Pontifici e cathedra loquenti denegari posse.

APPENDIX

DE SUMMIS PONTIFICIBUS, ET PATRIARCHIS ORIENTALIBUS.

206. *Nota.* Notitiam Summorum Pontificum tum chronologicam tum historicam Theologo, utilem non tantum, sed et necessariam esse, nemo rerum gnarus facile negarit : optandum proin, ut, ubi publica discendæ Historiæ opportunitas est, ea non negligatur ; aut illius forsan defectus privata industria compensetur. Pro priori saltem in necessariis aliquantum supplendo, aut posteriori juvando, sequentem catalogum adjicimus. Cum vero constet, in supputatione Pontificum ordinanda præstantissimos etiam Chronologos passim a se invicem differre, fas erit, illos sectandos deligere, qui cum chronologia S. Petri superius exposita proxime conveniunt, aut aliorum inventis uti, et nova invenire addereque in hoc genere potuerunt. Unde in tribus quidem seculis prioribus Francisci Pagi Breviarium, in reliquis Epitomen Chronologicam Macqueri recentissimam plerumque adoptamus.

Ad Pontificatus initium et finem, ubi monumenta non deficiunt, notamus, præter annum, mensem ac diem, servatis regulis Pagianis, quas de diebus Electionis et Ordinationis aut de mortis et sepulturæ diebus præmisit. Ex historia unice indicamus facta dogmatica, omissis etiam brevitatis studio iis, quæ ad disciplinam pertinent. Antipapas addimus, notato saltem eorum exordio; quorum, qui certo illegitimi sunt, nomina charactere diverso notantur. Denique subjungimus, adjectis decessus annis, Patriarcharum Alexandrinorum, Antiochenorum, Hierosolymitanorum et Constantinopolitanorum nomina quorum cognitio qualiscumque subinde juvabit.

Seculum I.

S. Petrus Christi Vicarius An 29, Rom. Pontifex An 42. † 29 Jun. 67. Alius est a Cepha, quem Paulus reprehendit; scripsit 2 epist. Canonicas.

Linus Petri Vicarius An. 56 succedit An. 67. † *An. eod.* Damnat Menandrianos.

Clemens I. 67. Pontificatum abdicat 77. Scrip. 2 epist. ad Corinthios.

Cletus 77. † 83.

Anacletus 83. † 95.

Evaristus 95. † 108.

PATRIARCHÆ ALEXANDRINI. S. Marcus 68. Anianus 86. Albilius 96. Cerdon.

ANTIOCHENI. S. Petrus. 41. Evodius 98. Ignatius.
HIEROSOLYMITANI. S. Jacobus min. 62. Simeon.

Seculum II.

Alexander I. 108. † 116.
Sixtus I. 116. † 126.
Telesphorus. 126. † 137.
Hyginus. 137. † 141. Damn. Cerdonem.
Pius I. 141. † 151.
Anicetus. 151. † 161. Urget celebrationem Paschæ in Dominica, refragante S. Polycarpo.
Soter. 161. † 170.
Eleutherus. 170. † 185. Convenitur a S. Irenæo ob quasdam Ecclesiæ quæstiones.
Victor I. 185. † 197. Damn. Sabellium, Noetum et Valentinum. Decidit controversiam de Paschate.
Zephirinus. 197. † 217. Recipit Natalium, damn. Proclum cum Montanistis.
PATR. ALEXANDRINI. Cerdon 120. Primus 122. Justus 133. Eumenes 143. Marcus II 153. Celadion 167. Agrippinus 179. Julianus 189 Demetrius.
ANTIOCHENI. Ignatius 107. Heros 128. Cornelius 142. Heros II 168. Theophilus 181. Maximus 190. Serapion.
HIEROSOLYMITANI. Simeon 107. Justus, Zachæus, Tobias, Benjamin, Joannes, Matthias, Philippus, Seneca, Justus II, Levi, Ephrem, Joseph, Judas, *hi omnes natione fuerunt Judæi.* Marcus, Cassianus, Publius Maximus, Julianus, Gajanus, Symmachus, Caius, Julianus II, Capito, Maximus II, Antoninus, Valens, Dotichianus, Narcissus, Dius, Germanio, Gordius.

Seculum III.

Callixtus I. 217. † 222.
Urbanus I. 222. † 230.
Pontianus. 230. † 235.
Anterus. 235. † 236.
Fabianus. 236. † 250. Confirmat damnationem Privati.
Cornelius. 251. † 252. Damn. Novatum. Scrib. epist. apud Cyprianum.
Antip. *Novatianus* 251.
Lucius I. 252. † 253.
Stephanus. I. 253. † 257. Controv. de Rebaptismo cum S. Cypriano.
Sixtus II. 257. † 258.
Dionysius. 259. † 269. Absolvit. Dionysium Alexandrinum.
Felix I. 269. † 274. Damn. Paulum Samosatenum.
Eutychianus. 275. † 283.
Caius. 283. † 296.
Marcellinus I. 296. † 304. Lapsus ejus fictitius.
PATR. ALEXANDRINI. Demetrius 231. Heracleas 248. Dionysius 264. Maximus. 283. Theonas 300.
ANTIOCHENI. Serapion 211. Asclepiades 220. Philetus 228. Zebenus 237. Babylas 250. Fabius 253. Demetrianus 260. Paulus Samosatenus 269. Domnus 271. Timæus 284. Cyrillus.
HIEROSOLYMITANI. Alexander 252. Maxabanus 260. Hymenæus 298. Zabdas.

Seculum IV.

Marcellus I. 19 Maii 308. † 16 Jan. 310.
Eusebius. 2 Apr. 310. † 26 Sept. *an eod.*
Melchiades. Jul. 311. † 10 Jan. 314. Absolvit Cæcilianum.
Silvester I. 31 Jan. 314. † 31 Dec. 335. Confirm. Arelatense, Præsidet per Legatos Œcumenico I.
Marcus. 18 Jan. 336. † 7 Oct. *an. eod.*
Julius I. 6 Febr. 337. † 12 Apr. 352. Judicat Orientalium causas. Scrib. epist. ad Eusebianos et Ecclesiam Alexandrinam.
Liberius. 24 Maii 352. † 24 Sept. 366. Sirmiensi Formulæ nulli subscribit. Damn. Conc. Ariminense. Exuli surrogatur Felix II 355. † 365.
Damasus I. 1 Oct. 366. † 11 Dec. 384. Damn. Apollinarem, resistit Macedonio, Confirm. Œcumenicum II. Scrib. epist. et carmina.
Antip. *Ursicinus* 366.
Siricius. 1 Jan. 385. † 26 Nov. 398. Damn. Jovinianum, Manichæos, Priscillianistas. Scrib. epist. ad Himer. et Epp. Afros.
Anastasius I. 9 Oct. 399. † 27 Apr. 402. Damn. Origenem.
PATR. ALEXANDRINI. Petrus 311. Achillas 312. Alexander 326. Athanasius 373. Petrus II 381. Timotheus 385. Theophilus.
ANTIOCHENI. Cyrillus 302. Tyrannus 313. Vitalis 319. Philogonus 323. Eustathius 337. Huic an. 329 exuli substitutus Paulinus an. 330. *Post hunc Ariani aut de Arianismo suspecti per* 30 *annos* Eulalius, Euphronius, Placillus, Stephanus, Leontius, Eudoxus sederunt. *Successerunt universim* Meletius 381 et Flavianus; *pro Eustathianis autem* Paulinus 389 et Evagrius 392.
HIEROSOLYMITANI. Zambdas 302. Hermon 312. Macarius 331. Maximus III 351. Cyrillus 386. Joannes II.
CONSTANTINOPOLITANI ab an. 381. *Patriarchæ*, Metrophanes 313. Alexander I 336, Paulus cui deposito Eusebius 341 mortuo successit 351. Macedonius 360. Eudoxius *Arian.* 370. Evagrius *Exul*, et Gregorius Naz. *abdicans* 381. Nectarius 397. Joannes Chrysostomus.

Seculum V.

Innocentius I. Apr. 402. † 12 Mar. 417. Absolvit Chrysostomum : damn. Pelag. et Cœlestium : conf. Conc. Africana : Scrib. epist. ad Decentium, Victricium et alios.
Zosimus. 18 Mar. 417. † 26 Dec. 418. Detecta fraude damn. iterum Pelag. et Cœlestinum : Scrib. præter alias, epist. Tractoriam.
Bonifacius I. 30 Dec. 418. † 25 Oct. 422. Urget Constit. Imp. contra Pelagianos, subscriptionem Tractoriæ et jus appellationum : Scrib. epist. ad Illyricianos et Gallos.
Antip. *Eulalius* 418.
Cœlestinus I. 3 Nov. 422. † 6 Apr. 432. Resistit Semipelagianis : prædamn. Nestorium : præsid. per leg. Œcumenico III. scrib. epist.
Sixtus III. 26 Apr. 432. † 28 Mar. 439. Recip. appellationes : rejic. Julianum Elcan., scrib. epist.
Leo I. 1 Sep. 439. † 11 Apr. 461. Damn. Eutychen et Latrocinium Ephesinum : præsid. per leg. Œcumenico IV, scrib. epist. serm., etc.

Hilarius. 12 Nov. 461. † 17 Sep. 473. Resist. Macedonianis : scrib. epist.
Simplicius. 27 Sep. 473. † 2 Mar. 483. Damn. Petrum Fullonem : scrib. epist.
Felix III. 6 Mar. 483. † 25 Feb. 492. Rejic. Zenonis Henoticon : damn. Acacium, Pet. Fullonem et Mangum : scrib. epist.
Gelasius. 1 Mar. 492. † 19 Nov. 496. Resist. Manichæis : edit decretum de libris : scrib. epist. Tract. et Libros.
Anastasius. II. 24 Nov. 496. † 16 Nov. 498. Studet paci Orient. restituendæ : scrib. epist.
Symmachus. 22 Nov. 498. † 19 Jul. 514. Damn. Anastasium : sponte se subjicit Syn. Palmari : scrib. epist.
Antip. *Laurentius* 498 et 500.
PATR. ALEXANDRINI. Theophilus 412. Cyrillus 444. Dioscorus 452. Posterius 457. Timotheus Ælurus 460. Timotheus Solophaciolus 482. Joannes Talaia an. eod., Petrus Mongus 491. Athanasius II 497. Joannes II.
ANTIOCHENI. Flavianus 404. Alexander 419. Theodotus 427. Joannes 436. Domnus 451. Maximus 456. Basilius 458. Acacius 459. Martyrius 471. Petrus Fullo, *sæpius pulsus*, mort. an. 486. Stephanus II 479. Stephanus III 482. Calendio 485. Palladius 498. Flavianus II.
HIEROSOLYMITANI. Joannes II 416. Praylus 429. Juvenalis 458. Anastasius 477. Martyrius 485. Salustius 493. Elias.
CONSTANTINOPOLITANI. Joan. Chrysostomus 404. † 407. Arsacius 405. Atticus 426. Sisinnius 428. Nestorius 431. Maximinus 434. Proclus 447. Flavianus 449. Anatolius 458. Gennadius 471. Acacius 484. † 489. Flavita 490. Euphemius 496. Macedonius.

Seculum VI.

Hormisdas. 27 Jul. 514. † 6 Aug. 523. Comp. schisma Constantinopolitanum : suppr. Scytharum novitates, rejic. Faustum Rejen.
Joannes I. 13 Aug. 523. † 27 Maii 526.
Felix IV. 12 Jul. 526. † 12 Oct. 529.
Bonifacius II. 15 Oct. 529. † 12 Dec. 531. Conf. Conc. Arausicanum cont. Semipelagianos.
Antip. *Dioscorus* 530.
Joannes II. 22 Jan. 532. † 26 Apr. 535. Acceptat Propos. Scytharum : rejicit damnationem Acœmetarum : tractat causam Contumeliosi.
Agapetus I. 4 Maii 535. † 12 Apr. 536. Resistit Anthimo Trapezuntino.
Sylverius. 8 Jun. 536. † 20 Jul. 538. Intruditur *Vigilius* 22 Nov. 537, tandem legitime eligitur idem.
Vigilius. 20 Jul. 538. † 10 Jan. 555. Resistit Acephalis : utitur œconomia circa tria Capitula ; conf. Œcumenicum V.
Pelagius I. 16 Apr. 555. † 2 Mar. 559. Persuadet Occident. pluribus damnationem trium Capitulorum.
Joannes III. 27 Jun. 559. † 13 Jul. 572. Defen. Œcumenicum V.
Benedictus I. 16 Maii 573. † 13 Jul. 577.
Pelagius II. 30 Nov. 577. † 8 Febr. 590. Laborat pro schismate Istriæ tollendo : rescindit synodum Joannis Jejunatoris.
Gregorius I. 3 Sep. 590. † 12 Mar. 604. Reprobat titulum *Œcumenici* a Patriarcha Constantinopolitano Joanne IV usurpatum ; urget damnationem trium Capitulorum.

PATR. ALEXANDRINI. Joannes II 506. Joannes III 517. Dioscorus II 519. Timotheus IV 535. Theodosius 536. Paulus 537. Zoilus 551. Apollinaris 570. Joannes IV 581. Eulogius.

ANTIOCHENI. Flavianus II 512. Severus 516. Paulus II 521. Euphrasius 526. Ephrem 546. Domnus III 561. Anastasius exul mort. an. 599. Anastasius II.

HIEROSOLYMITANI. Elias 513. Joannes III 525. Petrus 546. Marcius II 552. Eustochius 561. Macarius *redux* 571. Joannes IV 595. Amos.

CONSTANTINOPOLITANI. Macedonius 511. Timotheus 515. Joannes II 520. Epiphanius 535. Anthimus 536. Mennas 552. Eutychius 565. Joannes III 578. Eutychius *redux* 582. Joannes IV seu Jejunator 596. Cyriacus.

Seculum VII.

Sabinianus. Sep. 604. † 2 Feb. 605.

Bonifacius III. 25 Feb. 606. † 12 Nov. *an. eod.*

Bonifacius IV. 18 Sep. 607. † 25 Maii 614.

Deusdedit. 13 Nov. 614. † 8 Oct. 617.

Bonifacius V. 29 Dec. 617. † 25 Oct. 625.

Honorius I. 14 Maii 626. † 12 Oct. 638. Non favet Monothelitis scripto aut facto.

Severinus, 28 Maii 640. † 2 Aug. *eod an.* Dam. Ecthesin.

Joannes IV. 25 Dec. 640. † 22 Oct. 642. Defend. Honorium : damn. Monothelismum.

Theodorus. 24 Nov. 642. † 13 Maii 649. Damn. Pyrrhum et Typum.

Martinus I. 5 Jul. 649. † 16 Sep. 655. Facit eadem in Syn. Lateranensi. Exuli surrogatur 8 Sep. 652, et mortuo succedit.

Eugenius I. 16 Sep. 655. † 2 Jun. 658.

Vitalianus. 30 Jul. 658. † 27 Jan. 672.

Adeodatus II. Apr. 672. † 17 Jun. 676.

Donus I. 2 Nov. 676. † 11 Apr. 679.

Agatho, 26 Jun. 679. † 10 Jan. 682. Damn. Monothelitas : mittit Legatos et litteras ad Conc. Œcumenicum VI.

Leo II. 17 Aug. 682. † 28 Jun. 683. Conf. Œcumenicum VI.

Benedictus II. 26 Jun. 684. † 8 Maii 685. Inquirit in prop. ambiguam.

Joannes V. 23 Jul. 685. † 2 Aug. 686.

Conon. 21 Oct. 686. † 21 Sept. 687.

Sergius II. 15 Dec. 687. † 8 Sept. 701. Acquiescit expositioni propositionis : non probat Cann. Trullanos : extinguit Schisma Istriæ.

Antipp. *Paschalis et Theodorus* 687.

PATR. ALEXANDRINI. Eulogius 606. Theodorus 609. Joannes Eleemosyn. 618. Georgius *mort.* 630. *Successorum Melchitarum anni et nomina non sunt cognita præter* Cyrum, et Petrum an. 650 *mortuum.* Ex *Jacobitis autem* Gregorio *successerunt* Benjamin 649. Agatho 668. Joannes 677. Isaac 680. Simon.

ANTIOCHENI. Anastasius II 608. Anastasius III 640. Macedonius *intrus.* et Macarius *depos.* 681. Theophanes 695. Alexander. II *post quem Sedes diu vacat.*

HIEROSOLYMITANI. Amos 601. Hesychius 609. Zacharias, Modestus,

Sophronius 636 *sub quo urbs capta a Musulmanis non reliquit seriem Patriarcharum.*

CONSTANTINOPOLITANI. Cyriacus 606. Thomas 610. Sergius 639. Pyrrhus 641. Paulus II 655. Petrus 660. Thomas II. 671. Joannes V 674. Constantinus 676. Theodorus 678. Georgius 684. Paulus III 693. Callinicus.

Seculum VIII.

Joannes VI. 30 Oct. 701. † 11 Jan. 705.
Joannes VII. 1 Mar. 705. † 18 Oct. 707.
Sisinnius, 19 Jan. 708. † 7. Feb. *an. eod.*
Constantinus. 25 Mar. 708. † 9 Apr. 715. Resistit Monothelitis.
Gregorius II. 19 Maii 715. † 12 Febr. 731. Exting. schisma Anglorum circa celebr. Paschatis : resistit Leoni Iconomacho.
Gregorius III. 18 Mar. 731. † 28 Nov. 741. Scriptis et factis obstat Iconomachis : resp. ad QQ. Bonifacii.
Zacharias. 3 Dec. 741. † 15 Mar. 752. Eadem, quæ prædecessor, facit.
Stephanus II. 26 Mar. 752. † 26 Apr. 757. Dat Responsa Gallis : damnat Conc. Iconomachorum.
Paulus I. 28 Maii 757. † 29 Jun. 767. Conatur reducere Copronymum.
Antip. *Theophylactus* 757.
Stephanus III. 7 Aug. 768. † 1 Feb. 772. Damn. Conc. Constantinopol. Iconomachorum.
Antip. *Constantinus* 767.
Adrianus I. 9 Feb. 772. † 26 Dec. 795. Præsidet per. Leg. et confirmationem dat Œcumenico VII.
Leo III. 26 Dec. 795. † 12 Jun. 816. Damnat err. Felicis et Elipandi : non probat additionem : *Filioque*, in Symbolo.

PATR. ALEXANDRINI. Ex *Melchitis* Cosmus 730. Politianus 778 ex *Jacobitis* Simon 703. Alexander 727. Cosmus 728. Theodorus 739. Michael 762. Mennas 781. Joannes 799. Marcus.

ANTIOCHENI. Stephanus IV 744. Theophylactus 751. Theodorus, Georgius, David *intrus.* Georgius *redux*, Cyriacus.

HIEROSOLYMITANI. Theodorus, Elias, Joannes V. Georgius.

CONSTANTINOPOLITANI. Callinicus 703. Cyrus 711. Joannes VI 714. Germanus 730. Anastasius 753. Constantinus II 760 Nicetas 780. Paulus IV 784. Tarasius.

Seculum IX.

Stephanus IV. 22 Jun. 816. † 22 Jan. 817.
Paschalis I. 25 Jan. 817. † 11 Maii 824.
Eugenius II. 5 Jun. 824. † 27 Aug. 827.
Antip. *Zinzinus* 824.
Valentinus. Sep. 827. † 10 Oct. *an. eod.*
Gregorius IV. 5 Jan. 828. † 11 Jan. 844.
Sergius III. 27 Jan. 844. † 27 Jan. 847.
Leo IV. 12 Apr. 847. † 17 Jul. 855. Renuit confirmationem Conc. Suessionensis. *Fabula hic sequitur de Joanna Papissa.*
Benedictus III. 1 Sept. 855. † 10 Mar. 858.
Antip. *Anastasius* 855.

Nicolaus I. 25 Mar. 858. † 13 Nov. 867. Reprimit Theopaschitas, Photium et Pneumatomachos : respondet consultis Bulgarorum.
Adrianus II. 14 Dec. 867. † 25 Nov. 872. Damn. Photium : præs. per. Leg. Œcumenico VIII : controvertit cum Hincmari.
Joannes VIII. 14 Dec. 872. † 15 Dec. 882. Rescindit Concilium Photii restituti.
Martinus II. 23 Dec. 882. † 23 Feb. 884.
Adrianus III. 1 Mar. 884 † 8 Jul. 885.
Stephanus V. 25 Jul. 885. † 7 Aug. 891.
Formosus, 19 Sept. 891. † 4 April. 896.
Antip. *Sergius* 891. Formoso juxta aliquos succedit Bonifacius VI.
Stephanus VI. 2 Maii 896. † Aug. 897. Furit contra Formosum defunctum.
Romanus, 17 Sept. 897. † 8 Feb. 898.
Theodorus II. 12 Febr. 898. † 3 Mar. *an. eod.*
Joannes IX. 12 Mar. 898. † 26 Mar. 900. Agit pro Formoso : respondet consultationibus.
PATR. ALEXANDRINI. Ex *Melchitis*, Politianus II 804. Eustathius 808. Christophorus 836. Sophronius 847. Michael 872. Christodulus. Ex *Jacobitis*, Marcus 826. Jacobus 837. Simeon 838. Joseph 856. Michael 858. Cosmus II 866. Sanutus 877. Michael.
ANTIOCHENI. Job 844. Nicolaus 867. *Sedes vacat.* Theodosius 892. Simeon
HIEROSOLYMITANI. Georgius 811. Thomas 821. Basilius 839. Joannes 842. Sergius 858. Salomon 863. Theodosius 879. Elias.
CONSTANTINOPOLITANI. Tarasius 806. Nicephorus 815. Theodotus 821. Antonius 832. Joannes VII 842. Methodius 847. Ignatius 858. Photius 867. Ignatius *restitutus* 878. Photius *redux* 886. Stephanus 893. Antonius II 895.

Seculum X.

Benedictus IV. 6 Apr. 900. † 20 Oct. 903.
Leo V. 28 Oct. 903. † 6 Dec. *an. eod.*
Antip. *Christophorus* an. 904.
Sergius IV. 9 Jun. 905. † 6 Dec. 911. Agit contra Formosum.
Anastasius III. 6 Dec. 911. † 6 Jun. 913.
Landus, 4 Dec. 913. † 25 April. 914.
Joannes X. 30 Apr. 914. † 2 Jul. 928. Componit controv. de quartis nuptiis.
Leo VI. 6 Jul. 928. † 20 Jan. 929.
Stephanus VII. 1 Feb. 929. † 12 Mar. 931.
Joannes XI. 20 Mar. 931. † 5 Feb. 936.
Leo VII. 14 Feb. 936. † 23 Aug. 939.
Stephanus VIII. 1 Sept. 939. † 15 Jan. 943.
Martinus III. 22 Jan. 943. † 4 Aug. 946.
Agapetus II. 9 Aug. 946. † 18 Mar. 956.
Joannes XII. 23 Mar. 956. † 14 Maii 964.
Antip. *Leo VIII.* 963.
Benedictus V. 19 Maii 964 *an. eod.* pulsus. † 5 Jul. 965. Succedit, qui prius erat intrusus.
Leo VIII. 24 Jun. 964. † Apr. 965.
Joannes XIII. 1 Oct. 965. † 6 Sept. 972.
Benedictus VI. 22 Sept. 972. † Mar. 974.

Antip. *Franco*, qui se *Bonifacium VII* dicit 973.
Donus II. 5 Apr. 974. † Oct. 975.
Benedictus VII. 19 Dec. 975. † 10 Jul. 984.
Joannes XIV. 19 Oct. 984. † 20 Aug. 985.
Antip. prior *Bonifacius* 985.
Joannes XV. 25 Apr. 986. † 30 Apr. 996.
Gregorius V. 19 Maii 996. † 18 Feb. 999.
Antip. *Philagathus*, dictus *Joannes XVI.* 997.
Sylvester II. 19 Feb. 999. † 12 Mai. 1003.

PATR. ALEXANDRINI. Ex *Melchitis* Christodulus 933. Eutychius 940. *Reliqui desunt.* Ex *Jacobitis*, Michael 902. *Sedes vacat* 916. Gabriel 938. Cosmus 940. Macarius 960. Theophanes 962. Mennas 980. Ephrem 982. Philotheus.

ANTIOCHENI. Simeon 904. Elias 932. Theodosius *alias* Stephanus, Christophorus, Agapius.

HIEROSOLYMITANI. Elias, Christophorus. *Plura desunt.*

CONSTANTINOPOLITANI. Nicolaus Mysticus 906. Euthymius 911. Nicolaus *redux* 925. Stephanus II 928. Tryphon 931. Theophylactus 956. Polyeuctus 970. Basilius 974. Antonius Studita 979. Nicolaus Chrysoberga 995. Sisinnius II 998. Sergius.

Seculum XI.

Joannes XVII. 8 Jun. 1003. † 31 Oct. *an. eod.*
Joannes XVIII. 19 Mar. 1004. † 18 Jul. 1009. Conciliat Ecclesiam Orient. et Occidentalem.
Sergius V. 11 Oct. 1009. † 13 Jul. 1012.
Benedictus VIII. 10 Jul. 1012. † 10 Jul. 1024.
Antip. *Gregorius* 1012.
Joannes XIX. 19 Jul. 1024. † 6 Nov. 1033.
Benedictus IX. 9 Dec. 1033. Abdicat 1044.
Antip. *Joannes* cogn. *Sylvester III* 1044.
Gregorius VI. 28 Apr. 1045. Abd. 17 Dec. 1046.
Clemens II. 25 Dec. 1046. † 9 Oct. 1047. *Redit Benedictus IX sed abd. rursus aut expellitur 17 Jul.* 1048.
Damasus II. 17 Jul. 1048. † Aug. *an. eod.*
Leo IX. 11 Feb. 1049. † 10 Apr. 1054. Damn. Berengarium et Scoti librum : confutat Michaelem Cerularium.
Victor II. 13 Apr. 1055. † 28 Jul. 1057.
Stephanus IX. 2 Aug. 1057. † 29 Mar. 1058.
Nicolaus II. 9. Dec. 1058. † 24 Jun. 1061.
Antip. *Joannes* cogn. *Benedictus X* 1058.
Alexander II. 30 Sep. 1061. † 20 Apr. 1073. Damn. hæresin Incestuosorum.
Antip. *Cadalous* cogn. *Honorius II* 1061.
Gregorius VII. 22 Apr. 1073. † 25 Maii 1085. Persequitur Simoniam, conjugia Clericorum et Investituras.
Antip. *Guibertus* cogn. *Clemens III* 1080.
Victor III. 24 Maii 1086. † 16 Sept. 1087.
Urbanus II. 12 Mar. 1088. † 29 Jul. 1099. Persequitur priora.
Paschalis II. 13 Aug. 1099. † 18 Jan. 1118.

Antipp. *Albertus, Theodoricus, et Maginulfus*, qui cogn. *Sylvester IV.*

PATR. ALEXANDRINI. Ex *Jacobitis* Philotheus 1003. Zacharias 1032. Sanutus 1047. Christodulus 1078. Cyrillus 1092. Michael.

ANTIOCHENI. Æmilianus 1080. Stephanus, Petrus 1090. Joannes 1100.

HIEROSOLYMITANI. Orestes, Simeon. Ex *Latinis* Daimbertus 1099.

CONSTANTINOPOLITANI. Sergius II 1019. Eustathius 1025. Alexius 1043. Michael Cerularius 1058. Constantinus Lichudes 1064. Joannes Xiphilinus 1077. Cosmus 1082. Eustratius Garidas 1084. Nicolaus Grammaticus.

Seculum XII.

Gelasius II. 25 Jan. 1118. † 29 Jan. 1119.

Antip. *Burdinus*, cogn. *Gregorius VIII* 1118.

Callixtus II. 1 Feb. 1119. † 12 Dec. 1124. Præsid. Œcumenico IX. Componit controv. de Investituris.

Honorius II. 21 Dec. 1124. † 14 Feb. 1130.

Innocentius II. 17 Feb. 1130. † 24 Sept. 1143. Præsid. Œcumenico X.

Antipp. *Petrus Leonis*, cogn. *Anacletus II* 1130 et *Gregorius*, cogn. *Victor II* 1138.

Cœlestinus II. 26 Sept. 1143. † 9 Mar. 1144.

Lucius II. 10 Mar. 1144. † 25 Feb. 1145.

Eugenius III. 27 Febr. 1145. † 8 Jul. 1153. Damn. Eonem, et Gilberti errores.

Anastasius IV. 9 Jul. 1153. † 2 Dec. 1154.

Adrianus IV. 8 Dec. 1154. † 1 Sept. 1159. *Sequitur schisma 18 annorum.*

Alexander III. 7 Sep. 1159. † 30 Aug. 1181. Præsid. Œcumenico XI.

Antip. *Victor III* 1159. *Paschalis III* 1164. *Callixtus III* 1168. *Innocentius III* 1178.

Lucius III. 1 Sept. 1181. † 24 Nov. 1185.

Urbanus III. 25 Nov. 1185. † 10 Oct. 1187.

Gregorius VIII. 20 Oct. 1187. † 15 Dec. *an. eod.*

Clemens III. 19 Dec. 1187. † 15 Mar. 1191.

Cœlestinus III. 28 Mar. 1191. † 8 Jan. 1198.

Innocentius III. 8 Jan. 1198. † 16 Jul. 1216. Præsid. Œcumenico XII.

PATR. ALEXANDRINI. Ex *Jacobitis*, Michael 1102. Marius 1129. Gabriel 1146. Michael *an. eod.* Joannes 1167. Marcus 1189. Joannes.

ANTIOCHENI. Ex *Latinis* Bernardus 1135. Robertus 1140. Aimericus 1187. Robertus II. Theodorus Balsamon.

HIEROSOLYMITANI. Ex *Latinis* Daimbertus 1107. Gibelinus 1112. Arnulfus 1118. Germondus 1128. Stephanus 1130. Gullielmus 1144. Fulcherius 1157. Amalricus 1180. Heraclius 1191. Albertus.

CONSTANTINOPOLITANI. Nicolaus Grammaticus 1111. Joannes Chalcedonius 1134. Leo Stypiotes 1143. Michael Oxyta 1146. Cosmus II 1147. Nicolaus Muzalonius 1151. Theodorus, Neophytus, Constantinus 1155. Lucas Chrysoberga 1167. Michael Anchiales 1175. Charito 1177. Theodosius 1183. Basilius Camaterus 1186. Nicetas Muntanes 1190. Leontius 1191. Dositheus 1194. Georgius Xiphilinus 1198. Joannes Camaterus.

Seculum XIII.

Honorius III. 18 Jul. 1216. † 18 Mar. 1227.
Gregorius IX. 18 Mar. 1227. † 21 Aug. 1241. Promulgat Libros quinque Decretalium.
Cœlestinus IV. 22 Sept. 1241. † 8 Oct. *an. eod.*
Innocentius IV. 24 Jun. 1243. † 7 Dec. 1254. Præsid. Œcumenico XIII.
Alexander IV. 25 Dec. 1254. † 25 Maii 1261. Damn. libr. Gullielmi de S. Amore.
Urbanus IV. 29 Aug. 1261. † 2 Oct. 1264.
Clemens IV. 5 Feb. 1265. † 29 Nov. 1268. Conatur reducere Græcos.
Gregorius X. 1 Sept. 1271. † 10 Jan. 1276. Præsid. Œcumenico XIV.
Innocentius V. 21 Jan. 1276. † 22 Jun. *an. eod.*
Adrianus V. 4 Jul. 1276. † 16 Maii 1277.
Joannes XX vel XXI. 13 Sept. 1276. † 16 Maii 1277.
Nicolaus III. 25 Nov. 1277. † 22 Aug. 1280.
Martinus IV. 22 Feb. 1281. † 28 Mar. 1285.
Honorius IV. 2 Apr. 1285. † 3 Apr. 1287.
Nicolaus IV. 15 Febr. 1288. † 4 Apr. 1292.
Cœlestinus V. 7 Jul. 1294. Abd. 13 Dec. *an. eod.*
Bonifacius VIII. 24 Dec. 1294. † 11 Oct. 1303. Edit Libr. sextum Decretalium.
PATR. ALEXANDRINI. Ex *Jacobitis*, Joannes 1206. *Sed. vac.* 1234. Cyrillus 1235. *Sed. vac.* 1243. Athanasius 1292. Gabriel, Joannes 1293. Theodosius 1300.
ANTIOCHENI. Ex *Latinis*, Theodorus Balsamon 1214. Rainerus 1229. Albertus 1234. Elias 1242. Christianus 1268. *Desinunt hic Latini*, qui non sunt Titulares : aliorum notitia vix quidpiam prodest.
HIEROSOLYMITANI. Ex *Latinis* Albertus Eremita 1214. Robertus 1215. Lotharius Geroldus, 1239. Robertus 1255. Jacobus Pantaleon, Pap. Urbanus IV, factus 1291. Wilhelmus 1272. Thomas 1278. Elias 1288. Nicolaus 1291. *Sequuntur Titulares.*
CONSTANTINOPOLITANI. Joannes Camaterus 1205. Michael Auctorianus 1215. Theodorus Irenicus 1221. Maximus II 1226. Manuel Charitopulus 1227. Germanus Nauplius 1226. Methodius *an. eod.* Manuel 1254. Arsenius 1260. Nicephorus 1261. Arsenius *redux* 1264. Germanus 1266. Joseph 1275. Joannes Veccus 1283. Joseph *redux eod. an.* Gregorius Cyprius 1289. Anastasius 1293. Joannes. *Latini* Thomas Morosini 1211. *Sedes vacat.* 1215. Gervasius 1226. Simon 1232. Nicolaus Placentinus 1253. Pantaleon Justinianus 1261. *Desinunt Constantinopoli a Græcis recuperata.*

Seculum XIV.

Benedictus XI. 22 Oct. 1303. † 6 Jul. 1304. Componit simultates, inter Prædecessorem et Galliam, inter Clerum et Religiosos, ortas.
Clemens V. 14 Nov. 1305. † 20 Apr. 1314. *Sedet Avenione.* Præsid. Œcumenico XV. Edit Clementinas.
Joannes XXII. 7 Aug. 1316. † 4 Dec. 1334. *Sedet Aven.* Dirimit. QQ. de paupertate : damn. errores Fratricellorum, asserta Marsilii Patavini et

Joannis de Poliacò : publicat Clementinas et Extravagantes : nihil statuit de visione Dei.

Antip. *Petrus de Corbario*, 1328.

Benedictus XII. 20 Dec. 1334. † 25 Apr. 1342. *Sedet Aven.* Decidit Quæst. de visione beatifica.

Clemens VI. 7 Maii 1342. † 6 Dec. 1352. *Sedet Aven.* Damn. Flagellantes.

Innocentius VI. 18 Dec. 1352. † 12 Sep. 1362. *Sedet Aven.*

Urbanus V. 17 Sept. 1362. † 19. Dec. 1370. *Sedet Aven.* Reducit Palæologum a schismate.

Gregorius XI. 30 Dec. 1370. † 27 Mar. 1378. *Redit Romam* 1377.

Urbanus VI. 9 apr. 1378. † 15 Oct. 1389. *Sedet Rom. Schisma.*

Antip. Clemens VII. 20 Sept. 1378. † 16 Sept. 1374. *Sedet Aven.*

Bonifacius IX. 2 Nov. 1389. † 1 Oct. 1404. *Sedet Rom.*

Antip. Benedictus XIII. 28 Sept. 1394. *Sedet Aven.* Ejus obedientia suspenditur 1398.

PATR. ALEXANDRINI ex *Jacobitis*, Joannes 1320. Joannes 1327. Benjamin 1340. Petrus 1348. Marcus 1363. Joannes, Gabriel Matthæus. *Postrema nomina in seqq. seculis redeunt, sed sine annorum nota.*

CONSTANTINOPOLITANI. Joannes 1302. Athanasius 1310. Niphon 1315. Joannes Glycas 1320. Gerasimus 1321. Isaias 1333. Joannes 1347. Isidorus 1349. Callixtus 1354. Philotheus 1355. Callixtus *redux* 1362. Philotheus *redux* 1376. Macarius 1379. Nilus 1388. Antonius 1396. Callixtus 1397. Matthæus.

Seculum XV.

Innocentius VII. 17 Oct. 1404. † 6 Nov. 1406. *Sedet Rom.* Benedictus XIII recipit obedientiam 28 Maii 1403. Deponitur Pisis 5 Jun. 1409, Constantiæ 26 Jul. 1417. † 23 Maii 1423.

Gregorius XII. 30 Dec. 1406. *Sedet Rom.* Deponitur Pisis 5 Jun. 1409. Abdic. Constantiæ 4 Jul. 1415. † 4 Jul. 1417.

Alexander V post depositionem Pontificum Pisanam 26 Jun. 1409. † 3 Maii 1410. *Sedet Rom.*

Joannes XXIII. 17 Maii 1410. Depon. Constantiæ 29 Maii 1415. † 22 Dec. 1416. *Sedet Rom.*

Martinus V. 11 Nov. 1417. † 20 Feb. 1431. Præsid. postremis Conc. Constantiensis sessionibus : *Sedet cum sequentibus Romæ.*

Antip. *Munio* cogn. *Clemens VIII* 1424.

Eugenius IV. 4 Mar. 1431. † 23 Feb. 1447. Transfert Concilium Basilea Florentiam, ibique præsidet Œcumenico XVI.

Antip. *Amedeus* cogn. *Felix V* 1439.

Nicolaus V. 6 Mar. 1447. † 24 Mar. 1455. Schisma extinguitur, *Felice* cedente 1449.

Callixtus III. 8 Apr. 1455. † 6 Aug. 1458.

Pius II. 27 Aug. 1458. † 14 Aug. 1464. Damn. appellationes a Pontifice ad Concilium : vetat controverti de sanguine Christi.

Paulus II. 31 Aug. 1464. † 26 Jul. 1471. Damn. Hussitas.

Sixtus IV. 9 Aug. 1471. † 13 Aug. 1484.

Innocentius VIII. 29 Aug. 1484. † 25 Jul. 1492. Oppr. hæres. Hussitarum.

Alexander VI. 11 Aug. 1492. † 18 Aug. 1503.

PATR. CONSTANTINOPOLITANI. Matthæus 1410. Euthymius 1416. Joseph 1439. Gregorius 1441. Athanasius 1445. Joannes 1449. Athanasius *redux* 1451. Niphon 1452. Isaias 1454. Georgius Scholarius sive Gennadius 1458. Isidorus 1459. Joasaph 1461. Marcus Xylocarabes, Simeon Trapezuntinus, Dionysius 1471. Simeon *redux* 1474. Raphael Serbius 1476. Maximus 1482. Niphon 1490. Dionysius *redux*, Joachim Dramas, Pachomius.

Seculum XVI.

Pius III. 23 Sept. 1502. † 18 Oct. *an. eod.*

Julius II. 1 Nov 1503. † 21 Feb. 1513. Inchoat. Œcumenicum XVII.

Leo X. 11 Mar. 1513. † 1 Dec. 1521. Præses absolvit hoc Concilium : damn. Lutheri articulos.

Adrianus VI. 9 Jan. 1522. † 24 Sept. 1523.

Clemens VII. 19 Nov. 1523. † 25 Sept. 1634. Sub eo oritur schisma Angliæ.

Paulus III. 13 Oct. 1534. † 10 Nov. 1549. Inchoat Œcumenicum. XVIII.

Julius III. 8 Feb. 1550. † 23 Mar. 1555. Damn. Libros hæreticos et Talmuld : instaurat Œcum. XVIII.

Marcellus II. 9 Apr. 1555. † 1 Mar. *an. eod.*

Paulus IV. 23 Maii 1555. † 18 Aug. 1559. Edit indicem Librorum prohibitorum.

Pius IV. 26 Dec. 1559. † 9 Dec. 1565. Absolvit et confirmat Œcumenicum XVIII.

Pius V. 7 Jan. 1566. † 1 Maii 1572. Curat promulgationem Tridentini : Damn. propp. Baii.

Gregorius XIII. 13 Maii 1572. † 7 Apr. 1585. Corrigit Calendarium.

Sixtus V. 23 Apr. 1585. † 27 Aug. 1590. Expurgat S. Biblia.

Urbanus VII. 15 Sept. 1590. † 27 Sept. *an. eod.*

Gregorius XIV. 5 Dec. 1590. † 15 Oct. 1591.

Innocentius IX. 30 Oct. 1591. † 13 Dec. *an. eod.*

Clemens VIII. 29 Jan. 1592. † 3 Mar. 1605. Damn. prop. de absolutione absentis : repetit emendatam Bibliorum editionem : habet Congreg de Auxiliis div. gr.

PATR. CONSTANTINOPOLITANI. Pachomius 1515. Theoliptus 1521. Jeremias 1523. Joannicius 1530. Jeremias *redux* 1544. Dionysius 1555. Joseph 1565. Metrophanes 1572. Jeremias 1579. Metrophanes *redux* 1582. Jeremias *redux* 1585. Matthæus.

Seculum XVII.

Leo XI. 1 Ap. 605. † 27 Apr. *an eod.*

Paulus V. 16 Maii 1605. † 21 Jan. 1621. Finit controversiam de Auxiliis indicto utrinque silentio : damn. formulam juramenti in Anglia : renovat damnationem Clementinam de absolutione : damn. lib. Edm. Richerii de potest. Eccl.

Gregorius XV. 9 Feb. 1621. † 8 Jul. 1623.

Urbanus VIII. 6 Aug. 1623. † 29 Jun. 1644. Damn. concessionem laico faciendam, et iterum propp. Baii : edit Breviarium et Martyrologium Rom. expurgatum.

Innocentius X. 15 Sept. 1644. † 7 Jan. 1655. Damn. Librum *Augustinus* et 5. propp. Jansenii.

Alexander VII. 7 Aug. 1655. † 22 Maii 1667. Præscribit formulam damnationis Jansenianæ : damn. lib. de Prœadamitis et 45 propp. variorum : vetat censuras circa doloris sacramentalis sufficientiam : piæ de Immaculata B. V. M. Conceptione sententiæ plurimum favet.

Clemens IX. 20 Jun. 1667. † 9 Dec. 1669.

Clemens X. 29 Apr. 1670. † 22 Jul. 1676.

Innocentius XI. 21 Sept. 1676. † 12 Aug. 1689. Damn. scripta et 68 propp. Molinosi, necnon 65 propp. variorum.

Alexander VIII. 6 Oct. 1689. † 1 Feb. 1691. Damn. 2 propp. de peccato Philosoph. et 31 alias : irritat declarationem Cleri Gallicani.

Innocentius XII. 12 Jul. 1691. † 12 Jul. 1700. Damn. librum : *Placita Sanctorum*, et 23 prop. Fenelonii : vetat immeritam Jansenistæ compellationem.

PATR. CONSTANTINOPOLITANI. Longa serie, sed sine annorum notis referuntur : Matthæus de Joannina, Gabriel Thessalonicensis, Theophanes Atheniensis, Meletius Alexandrinus, Neophytus Atheniensis, Raphael Methymnius, Cyrillus Lucaris, Timotheus Patrasius, Gregorius Amaseus, Anthymus Adrianopolitanus, Cyrillus Boereensis, Athanasius Patellarius, Neophytus Heracleensis, Parthenius Adrianopolita, Parthenius Scescines, Joannitius, Cyrillus Tornobeus, Paissus Larissæus, Parthenius Chiensis, Gabriel Gani, Parthenius Prussius, Dionysius Larissæus, Clemens Iconiensis, Methodius Heracleensis, Dionysius Muselinus, Gerasimus Tornobius, Athanasius, Jacobus Larissæus, Callinicus Prussius, Gabriel Chalcedonensis. *Omisimus nominatorum reditus, sæpius ter, aliquoties quater et subin quinquies frequentatos.*

Seculum XVIII.

Clemens XI. 23 Dec. 1700. † 19 Mar. 1721. Damn. effugia Jansenistarum, necnon Reflexiones morales et propp. 101 Quesnelli : reprobat cultum Confusii ; indicit festum Immac. Conceptionis ab omnibus celebrari de præcepto.

Innocentius XIII. 15 Maii 1721. † 7 Mar. 1724. Asserior est juris Ecclesiastici.

Benedictus XIII. 29 Maii 1724. † 21 Feb. 1730. Sancit Discipl. Ecclesiasticam, celebrato Romæ Concilio : munit SS. Augustini et Thomæ doctrinam contra Jansenistarum calumnias : laudat scholam Thomisticam.

Clemens XII. 11 Jul. 1730. † 6 Feb. 1740. Declarat, Pontificis prioris laudibus nihil detractum esse cæteris scholis Catholicis.

Benedictus XIV. 17 Aug. 1740. † 3 Maii. 1758. Decidit causam Sinensem ; controversias de Matrimoniis in ditione Protestantium, de usuris, de jejunio, de absolutione complicis, etc. Damn. propp. de duello : præscribit regulas circa neganda Constit. Unigenitus refractariis sacramenta.

Clemens XIII. 6 Jul. 1758. † 3 Feb. 1769.

Clemens XIV. 19 Maii 1769. † 22 Sept. 1774.

Pius VI. 15 Feb. 1775. † 29 Aug. 1799. Damn. statuta *synodi Pistor.*, nec non constit. civilem Cleri in Gallia.

Seculum XIX.

Pius VII. 14 Mar. 1800. † 20 Aug. 1823.
Leo XII. 28 Sept. 1823. † 10 Feb. 1829.
Pius VIII. 21 Mar. 1829. † 30 Nov. 1830.
Gregorius XVI. 2 Feb. 1831. † 1 Jun. 1846.
Pius IX. 16 Jun. 1846. † 7 Feb. 1878.
Leo XIII. 20 Feb. 1878.

DISPUTATIO III.

DE PRINCIPIIS ADJUVANTIBUS.

CAPUT I.

DE SANCTIS PATRIBUS.

Quanquam pro more, etiam aliis solemni, Patribus inter Principia directiva concedere locum potuissemus, maluimus tamen illos ad adjuvantium ordinem reducere, augendæ potius quam minuendæ dignitatis ergo; ut ostenderemus scilicet, ab iisdem, Principiorum hujusmodi rationem omnem totamque nominis mensuram impleri, dum veritates revelatas et custodiendi et illustrandi et firmandi character illis proprius esse doceretur. Eam in rem Patrum notionem, auctoritatem et usum breviter proponemus, adjuncto eorumdem et Scriptorum Ecclesiasticorum sub finem catalogo.

ARTICULUS I.

QUISNAM SIT SANCTORUM PATRUM CHARACTER?

207. *Nota.* Patrum nomine latius accepto vocamus Ecclesiæ Prælatos, aliosve de Clero viros, qui vocibus ac scriptis Ecclesiæ fundandæ aut amplificandæ operam magis sedulam tribuerunt : qua sub significatione Patres Ecclesiæ non tantum dici possunt Apostoli ; sed et qui juxta S. Aug. pro Patribus nati sunt filii, id est, pro Apostolis Episcopi : quin etiam omnes viri Ecclesiastici, qui verbo ac litteris de populo Christiano fuerunt bene meriti. Quoniam vero priores illi clarioribus titulis aliis condecorantur ; alteri hoc nomen officio quidem, non re tamen necessario sustinent ; postremi autem plures forent, quam indicata a Paulo (1 Cor. 4, v. 15). Patrum paucitas permittat : ex communi probatoque Ecclesiæ usu nomen Patris usurpabimus strictius eaque notione, ut et a scriptore Ecclesiastico et ab Ecclesiæ Doctore Patrem discernamus.

208. *Dico I.* **Ecclesiæ Patres sunt viri Ecclesiastici, proxime descripti, qui doctrina eminent, sanctitate florent, antiquitate vigent, et expressa vel tacita Ecclesiæ designatione gaudent.**

Exponitur. Etenim 1um quidem declarat comparatio cum Patre naturali, quem generatio prima prolis vel aucta denominat : 2um Apostoli exemplum illustrat, qui filios in Christo Jesu per Evangelium a se genitos enuntiat : 3um educationis ratio ostendit, quæ non verbo solo sed vitæ etiam exemplo perficitur : 4um naturalis ordo exigit, qui prioritatem in generante et perfectionem potentiæ, certos ætatis annos præcurrentem, supponit : 5um Doctorum et Sanctorum paritas confirmat, quorum titulos usurpare fas non est, nisi accedente suffragio, illic Academiæ promoventis, et hic Ecclesiæ canonizantis.

Confirmatur. Quinque his dotibus imprimis constituitur genuina Patris Ecclesiæ notio, sive jus examines ; ut ex data modo expositione liquet : sive factum spectes ; cum Patrum quilibet, tum a Conc. Romano sub Gelasio in Decreto de Libris, tum ab Œcumenico VIII in Collat. 8 declaratorum, dotibus hujusmodi omnibus et singulis polleat. Deinde, sicut per duas priores cum Scriptoribus Ecclesiasticis et Ecclesiæ Doctoribus notio Patris convenit ; sic ope posteriorum trium ab iisdem discernitur. Ob sanctitatis enim inopiam, inter Scriptores Ecclesiasticos sane egregii Tertullianus, Origenes et Eusebius Cæsareensis ; ob antiquitatis defectum, inter Ecclesiæ Doctores adscripti S. Bonaventura et D. Thomas ; ob Ecclesiæ silentium, plures Doctores et Scriptores tum sancti tum antiqui non honorantur Patris axiomate.

209. *Dico II.* **Patrum Doctrina ad quatuor præcipue capita reducitur.**

1. Ad sacrarum litterarum interpretationem. Sicut enim Ecclesiæ divinitus dati sunt ad genuinum Scripturarum sensum fidelibus communicandum ; sic idem amplissime præstiterunt, circa mysticam quidem intelligentiam frequentius, circa litteralem vero frequenter minus, et ex oblata maxime occasione, vel dogmatis contra hæreticos defendendi, vel spiritus in littera fundandi : quo facto nihilominus evenit, ut, si omnes simul Patres considerentur, eximium Scripturæ universæ commentarium, non mysticum tantum, sed et litteralem obtinuerimus.

2. Ad fidei dogmatum custodiam et propositionem. Horum autem et sanæ doctrinæ depositum dum tenebant, erant simul fideles ac prudentes dispensatores. Unde apud Gentiles mysteria Religionis proponebant terminis ex eorum Philosophia petitis ; apud Judæos, seculari eruditione neglecta, utebantur prophetiis et sacrarum litterarum testimoniis, apud Catechumenos arcana fidei pandebant parcius, ne forte, ad vomitum reversi, profanarent margaritas sacras ; apud fideles dogmata pleraque exponebant diligenter, prætermissis tamen fere difficultatibus gravioribus, quas si illustrare vellent, ideis vulgaribus et ad populi captum accommodatis agebant ; tandem contra hæreticos aperte loquebantur, nihil dissimulantes ; ut veritatem, calumniis, erroribus et mendaciis impetitam, defenderent purgarentque penitus.

3. Ad moralis doctrinæ traditionem. Hujus siquidem magistri Matth. cap. ult. constituti, ad Christi exemplum et Apostoli in 2 ad Tim. 4 monitum, quovis tempore, ubique, et ad omnes documenta salutis proferebant.

4. Ad disciplinæ institutionem. Illius enim non testes tantum, sed et promotores, ac subin auctores erant : eamdem vero tradebant nonnunquam speciatim, plerumque tamen cum morum præceptis commiscebant.

210. *Dico III.* **Patrum Sanctitas secundum fidei integritatem et Antiquitas secundum ætatem diversa est et adnotari debet.**

Prior quidem in illis Patribus dicitur 1. illibata; a quibus in fide error nunquam fuit assertus, aut postmodum saltem retractatus: 2. diminuta; qui errorem fidei necdum tamen damnatum, docuerunt; aut licet in errorem lapsi, decesserunt tamen in pace Ecclesiæ: 3. extincta; qui vel hæresin professi, vel in errore necdum damnato segreges ab Ecclesia abierunt, aut facti sunt.

Posterior autem ex annorum diverso ordine dispescitur in tres ætates. Earum 1ª Patres trium priorum seculorum, 2ª Patres seculorum trium priora immediate sequentium, 3ª Patres, inter initium seculi septimi et finem duodecimi interceptos, complectitur. Hanc autem ætatem subsequentia secula, quantumvis Doctoribus Scholasticis, Oratoribus sacris et viris Apostolicis abundent, proferre tamen Ecclesiæ Patrem non amplius dicuntur.

211. *Observa.* Videbatur traditorum ordo hic exposcere, ut et nomina Patrum et classem geminam Latinorum Græcorumque subjicerem; nisi brevis eorum catalogus præsenti capiti addendus ea sibi postularet Qui tamen sive ex Patribus sive extra eorum chorum titulo Doctoris Ecclesiæ gloriantur, referre eos nunc juvat, præsupposita ex dictis notitia, quod ad hujus tituli meritum ac privilegium, præter antiquitatem, memoratas nuper dotes omnes adesse oporteat. Ejusmodi autem Doctores publico Ecclesiæ suffragio declarati sunt, ex Græcis quidem SS. Basilius, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, et Joannes Chrysostomus; e Latinis autem SS. Gregorius Magnus, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus. Præterea in Ecclesiæ precibus honorantur Doctoris nomine SS. Leo M., Petrus Chrysologus, Isodorus Hispalensis, Ildefonsus Toletanus, Anselmus Cantuariensis.

Tandem ex Decreto Pontificum, scilicet Pii V Divus Thomas Aquinas, Sixti V, S. Bonaventura, Leonis XII, S. Petrus Damiani, Pii VIII, S. Bernardus, Pii IX, S. Hilarius et S. Alphonsus Maria de Ligorio dicti sunt Ecclesiæ Doctores.

ARTICULUS II.

AN, ET QUÆNAM SIT AUCTORITAS SANCTORUM PATRUM?

212. *Nota.* Universim duo doctrinæ genera in scriptis Patrum etiam genuinis occurrunt; aliud doctrinæ profanæ ex scientiis humanis aut rerum naturalium ac solo naturæ lumine cognoscibilium depromptæ; quæ obiter saltem et per decursum sæpius immixta reperitur: aliud doctrinæ sacræ superius a nobis quadripartitæ; quæ maximam lucubrationum partem occupat. In primo genere Patres pro more aliorum sapientum agunt ex propria eruditione; in altero autem pro ratione Doctorum Ecclesiæ ex divina institutione, de qua Paulus 1 ad Cor., c. 12 mentionem fecit: utriusque materiæ et personæ ratio satis declarat priorem quidem a nostro hic instituto esse alienam, posteriorem non item. Nihilominus etiam in hac postrema duas species distinguere oportet, quarum alia, salva fidei morumque Christianorum integritate, inter orthodoxos controverti potest; alia autem ad fidei morumque dogmata pertinet: atque de hac ultima solum in præsens

nobis est quæstio. In ea resolvenda Novatores ad extrema opposita divergentes aberrant a vero ; *Lutherani et Calvinistæ* quidem auctoritati Patrum tribuentes nihil, *Janseniani* autem auctoritati unius, præsertim S. Augustini, dantes nimium, adeo ut illam decretis Pontificum ab universa Ecclesia receptis præferant. Midii nos inter utrosque progressuri, dicemus primo generatim de Patrum auctoritate, ut priori quæstionis capiti satisfaciamus : deinde, facta Patrum in singulos, plures et omnes distributione, caput alterum distinctis responsionibus resolvemus.

213. *Dico I.* **Concedenda est magna sanctis Patribus auctoritas.**

Prob. SS. Patres sunt Seniores religionis : de quibus Eccli. 8, v. 11 dicitur : *Non te prætereat narratio seniorum : ipsi enim didicerunt a patribus suis : quoniam ab ipsis disces intellectum :* sunt Doctores Ecclesiæ, juxta Apostolum nuper ad Corinth., laudatum v. 28 : *Quosdam posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores ;* sunt Magistri orbis, Christo Matth., 5 dicente : *Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ,* et Augustino l. 1 de Serm. Dom. in monte, c. 6 commentante : *Per quos condiendi sunt quodammodo populi, quos elegit Deus, ut per eos errorem auferat cæterorum :* sunt Custodes Apostolicarum doctrinarum, ut scribit Aug., l. 2 cont. Julian., c. 9 : *Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt : quod didicerunt : quod a Patribus acceperunt, hoc filii tradiderunt :* sunt denique coævi Testes Spiritus Ecclesiæ ejusque doctrinæ ac morum antiquorum ; ut ex ætate illorum liquet, et traditionis successione. Ergo ob tot tantosque titulos debetur correspondens, adeoque magna auctoritas.

Conf. Concilia in formandis decretis, Patres in firmandis aut vindicandis dogmatibus, Interpretes in exponendis scripturis, præcepto et exemplo auctoritatem Patrum sibi investigandam et sectandam docuerunt. De Conciliis testantur tum Athan., in epist. ad Afros ita de Nicæni Concilii Patribus scribens : *Non sibimet ipsis voces, sed eas a Patribus contestatas accipiant, suisque inserant definitionibus :* tum Concilia œcumenica pleraque, maxime autem Ephesinum, Chalcedonense et Nicænum II usurpantia has formulas : *Hæc est fides Patrum,* etc. *In tali sensu sanctos Patres fuisse comperimus. Sequentes itaque SS. Patrum confessiones, et intentioni eorum æquis vestigiis insistentes, profitemur,* etc. *Sequimur in omnibus SS. Patres et Doctores sanctæ Dei Ecclesiæ,* etc. De ipsis Patribus probant Aug., l. 22 de Civ., c. 10 inquiens : *Credamus sanctis et vera dicentibus, et mira facientibus,* idemque contra Donatistas et Pelagianos agens : nec non Basilius ad Amphilochium scribens, et Hieronymus Helvidium oppugnans; aliique passim dogmata tractantes. De Interpretibus declarat Cassiod. in procem. Div. instit., ita disserens : *Ad divinam Scripturam ascendamus per expositiones probabiles Patrum, velut per quamdam scalam visionis Jacob ; ut eorum sensibus provecti ad cognitionem Domini efficaciter pervenire mereamur.* Item Hieron. in epist. 103 negans scripturas sine Doctore legendas ; in epist. 126 ad Evagrium autem scribens : *Revolvi mecum veterum libros, ut viderem, et ad singula de eorum consilio responderem.* Ergo.

214. *Dico II.* **Singulorum Patrum auctoritas inter se invicem inæqualis, nullius seorsim est irrefragabilis.**

Prob. 1ª *p.* Quia, sicut stella differt a stella in claritate, ita et Patres differunt a se invicem, subinde in doctrina; dum alter alterum ingenio, erudi-

tione, linguarum notitia, sermonis copia, styli efficacia superat : subinde in sanctitate ; cum alterius integritas fidei permanserit illibata, alterius autem sit imminuta ; hic retractanda nulla scripserit, ille errata retractarit, iste scriptorum nævos sola mortis confessione deleverit : subinde in Ecclesiæ testimonior ; quod respectu aliquorum expressum disertumque habetur, respectu aliorum autem tacitum duntaxat est et facto comprobatum : subinde in certa dogmatis parte, ad quam scilicet illustrandam, occasione hæresum exortarum, a Deo destinati videntur ; unde præ reliquis eminet auctoritas Athanasii et Hilarii circa divinitatem Verbi et cum Patre consubstantialitatem, Cyrilli Alex. circa unam in Christo personam, Basilii circa divinitatem Spiritus sancti, Augustini circa liberum arbitrium et gratiam divinam, etc.

Prob. 2ª *p.* Nullus Ecclesiæ Pater seorsim sumptus possidet infallibilitatis donum, vel ut homo, quod per se patet, vel ut Ecclesiæ Doctor, quod etiam constat, quia nec illud habet ex se ipso, ut rursus liquet, nec accepit a Deo, cum hujus largitionis testimonium nullum exstet sive in Scriptura sive in Traditione : quin contra testetur Aug., l. 2 de Bapt. cont. Donat., c. 3 scribens : *Quis autem nesciat Scripturam canonicam omnibus posterioribus Episcoporum litteris ita præponi, ut de illa omnino dubitari et disceptari non possit ; Episcoporum autem litteras, post confirmatum Canonem scriptas vel scribendas, et per sermonem forte sapientiorem cujuslibet in ea re peritioris, et per aliorum Episcoporum graviorem auctoritatem doctiorumque prudentiam, et per concilia liccre reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est,* etc.

Conf. 1º Ex confessione ipsorum Patrum ; inter quos Hieron., epist. ad Ctesiph. inquit : *Aliter habendi sunt Apostoli, aliter reliqui Tractatores : illos semper verum dicere, istos in quibusdam ut homines errare contingit.* Aug., epist. 19 ad Hier. scribit : *Solis iis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc deferre honorem, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam : alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate et doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt ; sed quia mihi, quod a vero non abhorrent, persuadere potuerunt ;* de se autem ipso l. de Don. persev., c. 21 addit : *Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit.* 2º Ex factorum historia ; quæ docet plerosque Patres in errorem innoxium aliquando incidisse : qualis fuit millenariorum in Irenæo et Justino, anabaptismi in Cypriano et Basilio, Semipelagianismi in Augustino et aliis. 3º Ex definitione Alexandri VII damnantis hanc ordine 30ªm propositionem : *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

215. *Dico III.* **Patrum plurium, reclamantibus reliquis licet paucioribus, major equidem est auctoritas, necdum tamen irrefragabilis.**

Pars 1ª patet tum ex dictis num. 213, tum ex communi probabilitatem in gradus distinguendi ratione. *Pars* 2ª *prob.* Quamvis ex una parte videatur pluralitas testium rem evincere ; ex altera tamen parte integra remanet solida pauciorum auctoritas, nec comparativo solum oppositæ auctoritatis excessu eliditur ubi, intra limites opinionis sistitur ; cum multi nonnunquam, imo et plurimi Patres, convenerint in aliqua sententia, quæ tamen ob refragantem unum alterumve Patrem ad fidei dogma non pervenit : ut patet in consensu plerorumque de condito per successivas dierum moras universo, et

de visione Dei mortalibus in vita negata, contra repugnantem Augustini ve. paucorum aliorum dissensum, fidei certitudinem haud efficiente. Ubi tamen Ecclesiæ definitio accesserit, aut sententiæ singularis solido fundamento caruerit, omnino deferundum est pluralitati excedenti.

216. *Dico IV.* **Patrum unanimis consensus, sive omnium idem asserentium auctoritas est irrefragabilis.**

Dixi : *unanimis* consensus, seu *omnium* auctoritas; utriusque significatum, non in mathematico, sed in morali tantum sensu usurpando, atque extra concursum oppositæ Patrum sententiæ; quod Perronius in Responsione ad Regem Britanniæ sic exponit : « Tunc unanimis Patrum consensus cumulate probatus æstimari debet, cum singularum nationum eminentissimi in alicujus rei asssertione conveniunt : ita ut inter illos nemo, qui semper orthodoxus semperque orthodoxis adhæsit, dissentiat. »

Prob. Ad Ephes. 4, v. 11 hæc leguntur : *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi; donec occurramus in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi : ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Atqui si unanimis Patrum consensus foret obnoxius errori, et omnium idem fidei dogma asserentium Patrum auctoritas esset refragabilis, Ecclesiæ Doctores nec forent dati ad ædificandum corpus Christi, quod est Ecclesia : nec ad prohibendum, ne fideles circumferantur omni vento doctrinæ : imo ipsi Patres fluctuarent errarentque, atque fideles insuper, utpote ad Patrum doctrinam sequendam obligatos, circumvenirent et in errorem impellerent. Ergo.

Conf. I. Concilia et Patres unanimem consensum Patrum tanquam fidei regulam proponunt, et discessum ab eadem damnant. Nam Conc. Ephesinum. Act. 1 ait : *Divinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens sanctorum Patrum tenuerit antiquitas.* Nicænum II, Act. 1. Anathematismum septimum, a Basilio pœnitente pronuntiandum, his verbis describit : *Qui doctrinas sanctorum Patrum et Ecclesiæ Catholicæ traditionem contemnunt, quique causantur, et voces Arii, Nestorii, Eutychis et Dioscori jactant dicentes, quod, nisi satis ex Vet. et Nov. Testamento instructi essemus, SS. Patrum et Ecclesiæ Catholicæ traditiones non sequeremur; anathema.* Conc. Lateran. sub Martino I Consult. 5 definit, *condemnatum esse et alienum sanctæ Dei Ecclesiæ, quisquis non susceperit verbo et mente venerabiles Patres, cunctaque, quæ ab illis pro fide orthodoxa exposita sunt in destructionem omnium hæresum.* Tridentinum Sess. 4 in Decr. de Edit. et usu sacr. Librorum prohibet sub anathemate, *ne quis Scripturam sacram contra unanimem sanctorum Patrum sensum interpretari audeat.* Eamdem regulam stabiliunt Irenæus l. 4 ad. hær., c. 63; Clemens Alex., l. 7; Strom., Origen. Tr. in Matth., c. 29; Ambr., l. 3 de Fide; Hieron. in Daniel. 12; Augustin., l. de Utilit. credendi, c. 17; Gregor., l. 28 Mor., c. 9, etc., neglectam vero ab hæreticis exprobrant Euseb., l. 7 Hist., c. 26; Vincentius Lirin. in Commonit 1, c. 4 et aliis, Aug., l. 1 cont. Julian., Fulbertus in epist. ad Adeodatum, cum aliis.

Conf. II. Nisi unanimis Patrum consensus infallibilis sit, 1. nec sensus Ecclesiæ erit ab errore liber, utpote qui ex Patrum institutione et populi

credulitate illi correspondente conflatur : 2. nec stabit Traditionis auctoritas ; siquidem hæc aliunde, quam ex sanctorum Patrum testimoniis, apertius hauriri nequit : 3. nec Scripturæ interpretatio satisfaciet ulla ; cum revelatio veræ intelligentiæ nova expectari nequeat ; per ingenii humani industriam producta nihil divinum habeat ; traditio Patrum autem rejiciatur : 4. nec credibile est, tot tantosque viros, tempore, loco, ingenio, et conditione tam diversos in unam eamdemque circa dogma aliquod sententiam conspirare potuisse, nisi Spiritu sancto auctore.

217. *Observa.* Asserta vindicare pluribus haud est opus. Nam et apud Protestantes verecundiores cœpit jam haberi reverentia Patribus, maxime priorum quatuor seculorum ; ut plures eorum scriptores tum verbis disertis tum adhibitis Patrum testimoniis prodiderunt : quæ vero exaggeratius de unius, præcipue S. Augustini, auctoritate dici poterant, tum alibi tum in Tract. de Deo potissimum exhaurientur. Porro nihil singulare aut a communi omnium opinione alienum habet, quod circa concursum inæqualis Patrum auctoritatis fuit propositum. Demum quæ contra unanimis consensus auctoritatem et pondus proferri solent, vel communia sunt cum iis, quæ contra Ecclesiæ universitatem et Conciliorum collectionem objecta dissolvimus, vel ex usurpata sub variis acceptionibus. Patrum distinctione jam dissipata sunt, aut dilui facile possunt.

ARTICULUS III.

QUÆNAM SINT CAUTELÆ ET REGULÆ PRO INTELLIGENTIA, QUINAM CANONES PRO USU THEOLOGICO SS. PATRUM.

218. *Nota.* Præter auctoritatem Patrum, quæ sedem argumentationi Theologicæ præbet, ad alia attendere oportet eum, qui sine abusu, et solido cum fructu, legere sanctorum Patrum opera, lecta intelligere et intellecta usurpare desiderat. Ad tria universim capita reducere eadem juvat, scripta scilicet, scribentes, et scriptionem : circa quæ postquam cautelas pro lectione et regulas pro intelligentia dederimus, canones circa usum eorumdem addemus.

219. *Dico I.* **Cautelæ pro lectione Patrum sunt sequentes :**

I. *Circa scripta.* 1. Discerne inter libros vere aut falso Patribus adscriptos ; item inter certo genuinos et dubios aut incertos. 2. Adverte an originarium sit scriptum, an versio tantum, et quo auctore facta? 3. Disquire de textu laudato, integerne sit, an corruptus, mutilus vel a contextu divulsus.

II. *Circa scribentes.* 1. Attende an Patrum quis juvenis adhuc aut vero senex, an cathecumenus etiamnum vel fidei mysteriis plene imbutus, an lapsus in errorem aut ante lapsum, an animo pacato et extra offensam aut subiratus et contentiosus scripserit ; cujusmodi diversitatem in Augustino, Lactantio, Tertulliano et Cypriano notare juvat. 2. Dispice an scriptor merum agat testem rerum sua ætate creditarum vel observatarum ; an Doctorem, quod credendum vel observandum sit, præscribentem ; an utrum-

que simul præstet? 3. Nota an loquatur in persona propria vel aliena; an solum disputando et velut dubitanter inquirendo procedat, vel asserendo; an oratorie et rem forsan exaggerando, aut dogmatice et rigoroso sermone eloquatur; an obiter et velut aliud agendo, aut principaliter et ex proposito rem tractet? 4. Observa an doctrina, antiquitate, præsertim fidei integritate excellat, aut lapsus in errorem sit, qui benigna interpretatione mitigari nequeat, vel communi jam judicio, nec temere, sit notatus? 5. Respice ad tempus ortam hæresin forsan præcedens, aut ubi de damnato postea errore, salva adhuc fide, dubitari poterat vel contra.

III. *Circa scriptionem.* 1. Examina num quæstionis, quæ tractatur, materia sit Philosophica vel naturalis alterius scientiæ; an vero Theologica, eaque ad fidem pertinens, aut disceptare in utramque partem orthodoxis adhuc licita? 2. Distingue an sensus verborum sit proprius et simplex, aut metaphoricus et figuratus; an constans et conveniens cum alibi dictis, aut contra retractatus vel discrepans? 3. Perpende an sensus forsan obscurus ex contextu vel comparatione cum aliis, vel ex scopo ac directione illustrari nequeat. 4. Observa num iisdem aut similibus mediis phrasis fortasse durior et usu jam obsoleta emolliri non possit? 5. Adverte ad scopum scribentis, crinomenon argumenti, et subtratam quæstionis materiam. 6. Denique attende ad quos sermo sit prolatus, contra quos disputatio sit directa, et qua occasione quæstio sit tractata?

220. *Dico II.* **Regulæ pro intelligentia Patrum sunt sequentes :**

I. Opera genuina Patrum disce vel ex judicio Criticorum Catholicorum et sobriorum, vel ex editionibus recentioribus et probatis.

II. Primigenia lectio præhabenda est translatæ : pro versionibus seligendis prior etiam regula valet.

III. Textum laudatum confer cum libro; nisi laudatoris fides sit probata.

IV. Qualitates Patrum pernosce ex eorum historia : officium scriptoris collige ex verborum formulis : oratoriam locutionem cape etiam ex auditoribus, ad quos sermo est factus.

V. Diligens ad lectionem attentio docebit, quæ loquatur persona, quæ dubitet, quæ asserat.

VI. Durius dictum, si res faveat, securitati temporis aut zelo impugnationis tribue.

VII. Errorem Patris, nisi apertus sit, excusa et designatis mediis emolli : ab eodem etiam, aut singulari forsan opinione illius aliqua, modeste discede, et salva ejus honorificentia, ut Aug. inquit.

VIII. Locutionem dogmaticam intellige tum ex opposito contrarium sentientibus anathemate, aut oppositi tanquam hæretici dogmatis damnatione : tum ex asserti tanquam dogmatis fidei propositione, aut in catechesi vel sermone ad Neophytos tanquam credendi inculcatione.

IX. Metaphoram dignosce, si nec in omni aut longiore sermone, nec sæpe, nec coram quibuscumque phrasis ejusmodi occurrat, neque admirationem moveat aut probationem exigat.

X. Semper præ oculis habe scriptionis et scribentis finem ac scopum.

221. *Dico III.* **Canones pro argumentatione ex Patribus sunt sequentes :**

I. Patrum scripta non præbent argumentum, nisi genuina et certa, atque ex originario textu vel probata versione desumpta.

II. Non valet auctoritas Patris in eo, quod Ecclesia vel Pontifex tanquam erroneum respuit vel declarat.

III. Ut textus quidpiam probet, integer, clarus, cum mente auctoris congruens, nec retractatus sit oportet.

IV. Patres loquentes ut testes rerum sua ætate creditarum aut observatarum, etsi etiam omnes non referantur, præbent certitudinem de facto; quia videntur exceptione majores.

V. Patrum auctoritas sive paucorum sive plurium in quæstionibus Philosophicis aut scientiarum naturalium haud certum suppeditat argumentum; sed tantum probat, quantum naturalis ratio persuadet.

VI. Eorumdem Patrum auctoritas in genere quæstionum Theologicarum, quæ ad fidem non spectant, certitudinem non facit.

VII. In materia fidei vel morum dogmatica unius alteriusve Patris non reprobata auctoritas probabilitatem quidem affert, non item certitudinem.

VIII. Plurium Patrum auctoritas in eadem materia firmum omnino argumentum Theologo necdum præstat, si alii adhuc pauciores reclament; nisi forte pauciorum sententiam reprobaverit Ecclesia, aut plurium illam probarit.

IX. Unanimis consensus Patrum aliquid velut fidei dogma tradentium firmum certumque subministrat fundamentum illud pro fidei dogmate acceptandi.

X. Iidem cum proportione canones tenent in expositione sacrarum scripturarum circa illarum sensum a Deo intentum.

222. *Observa.* Juvat subinde aut etiam oportet selectum tum doctrinæ ex Patribus, tum Patrum pro doctrina facere. Pro priori normam dare poterit placitum Vincentii Lirinensis : *Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia : antiquitatem vero ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos majores nostros ac Patres celebrasse manifestum est : consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel certe pene omnium sacerdotum pariter ac magistrorum definitiones sententiasque sectemur.* Pro posteriori, præter respectum ad qualitates auctoritatem Patrum universim evehentes, attendere præsertim decet, quinam ex Patribus in eo quod delectum postulat argumento maxime et præcipuo cum fructu versati fuerint; quandoquidem tum exinde tum ex Ecclesiæ persuasione facile constet, Patrem hujusmodi, ad illius doctrinæ propagationem non minus quam defensionem, specialiter fuisse a Deo suscitatum.

Quæres : *Quinam fuerint, et quæ scripserint sancti Patres?*

223. *Nota.* In concinnando SS. Patrum syllabo, hos ita a Scriptoribus Ecclesiasticis distinximus, ut pro usu aliorum etiam recepto, religioni tamen nobis non duxerimus, in Patrum numerum scriptores sanctitate carentes aliquoties inserere, si eruditionis fama et librorum copia præcelluerint, sanctos autem viros inter Ecclesiasticos Scriptores tantum referre, si vel scriptis non abundarint vel scripta non amplius præsto sint. Percurrimus autem duodecim duntaxat priora secula, tanquam sola Patrum feracia : in

eorum quolibet præponimus Patres adnotata eorum conditione et ætate, atque scriptas ab ipsis lucubrationes nominamus designato universim eorum scopo aut argumento ; tum judicium Criticorum de scriptoris opere et stilo addimus : editionis denique præstantioris auctorem, locum, et tempus declaramus. Porro in scriptorum Ecclesiasticorum subjuncta recensione, ob brevitatis studium, satis judicavimus, omissis reliquis, sola opera cum scriptionis vel mortis anno indicasse.

Seculum I.

Barnabas Apostolus et Pauli socius, juxta Hieron. l. de Script. Ecclesiasticis, Origen., l. 3 Periarch., et Clem. Alex., l. 2 et 3 Strom., circa an. 97, scripsit *Epistolam ad fideles*, cujus pars prima ad fidem contra Judæos, secunda ad mores pro Christianis pertinet. Authentia non est extra dubium.

Clemens I Rom. Pontifex, juxta alios ante an. 71, juxta alios an. 97 scripsit *epistolas* 2 *ad Corinthios*. 1ª adhuc integra Corinthiorum schisma componere studet : 2ª, non æque authenticæ fragmentum duntaxat superest. Attribuuntur eidem Canones et Constitutiones Apostolorum, Libri 10 Recognitionum, et Homiliæ Clementinæ : sed passim hæc habentur pseudonyma et tribus seculis posteriora.

Dionysius Areopagita, a Paulo Athenis conversus, an. 95 mortuus, scripsisse a multis dicitur, Lib. 1 *de cœlesti Hierarchia ; 1 de Hierarchia Ecclesiæ ; 1 de Divinis nominibus ; 1 de mystica Theologia ;* cum 11 *epistolis* ad diversos : ab aliis tamen Anonymo Sec. 4 vel 5 tribuuntur. Editio Corderii. Antuerpiæ. 1633.

Hermas, Pauli discipulus, circ. an. 95, Scr. LL. 3 quorum primus inscriptus *Ecclesia* 4 visiones, secundus *Pastor* 12 mandata, tertius 10 similitudines complectitur. Laudatur ab Antiquis ; a Recentioribus subin carpitur.

Seculum II.

Ignatius ep. Antiochenus, dictus *Theophorus*, in Romano ad martyrium an. 107 superatum itinere, scripsit 7 *epistolas ;* Smyrnæ quidem ad *Ephesios*, ad *Magnesianos*, ad *Trallenses* et ad *Romanos ;* Troade autem ad *Philadelphios*, ad *Smyrnæos* et ad *Polycarpum*. Diu lectæ in Ecclesiis, habentur pro illustri monumento antiquæ fidei et disciplinæ. *Stylus* redundat, sed est simplex. *Editio* Antuerpiensis 1698.

Justinus Philosophiam professus, circa an. 133 factus Christianus, an. 167. Martyr. Scripsit 2 *Apologias* pro Christianis, *Dialogum cum Tryphone* Judæo pro veritate Christianæ Religionis, 2 *Tractatus* de *Monarchia* sive unitate Dei, et *Parænesin ad Græcos*. Apologia ordine impressionis posterior scripta est Romæ an. 150, prior proxime ante martyrium. Photius notat in iis multam eruditionem et cognitionem Philosophiæ ac Historiæ consummatam. *Stylus* est planus et incomptus. *Editio* Prudentii Maran Parisiensis 1742.

Irenæus, Papiæ et Polycarpi discipulus, Ep. Lugdunensis e Græcia an. 157, in Galliam missus, subiit an. 202 martyrium. Præter *epistolam de Paschate* ad Victorem, quæ apud Eusebium, et alia fragmenta, quæ apud alios exstant, scripsit LL. 6 *adversus hæreses* Gnosticorum omnis generis. Habitus est a Tertulliano omnium doctrinarum curiosus explorator. *Stylus* est adstrictus et energicus, sed simplex. *Editio* Renati Massuet Veneta 1734.

Clemens Alexandrinus, sive a patria sive a schola sic dictus, factus Presbyter, Pantæno in Catechesi publica Alexandriæ an. 189 successit : inde ob persecutionem an. 202 digressus, post commorationem in Cappadocia et Antiochiæ, moritur circa an. 217. Ex scriptis plurimis supersunt *Protrepticon* seu Exhortatio ad Gentiles ; LL. 3 *Pædagogi* seu Instructionis pro Gentili jam converso ; LL. 8 *Stromatum* sive operum ad instar straguli variorum; *Homilia* de salute divitum, et fragmenta ex LL. 8 *Hypotyposeon* seu Institutionum. Habetur pro magistro Philosophiæ Christianæ, inter Scriptores Ecclesiasticos sapientissimo, eruditione et cogitationum sublimitate præstantissimo. Protreptici et Pædagogi *stylus* juxta Photium est floridus et elevatus : Stromata minus artis habent et speciem annotationum in varia scripturæ loca. *Editio* Joannis Potteri Oxoniensis 1715.

Polycarpus Ep. Smyrnensis, † 166 scripsit epistolam unam ad Philippenses.

Tatianus, ante an. 171 et suam hæresin, Orationem ad Græcos.

Hermias, Philosophus Christianus circa idem tempus Irrisionem Philosophorum gentilium.

Athenagoras, Presbyter Atheniensis, an. 177. Apologiam seu Legationem pro Christianis et L. de Resurrectione.

Hegesippus, ex Judæo Christianus, † 181 LL. 5 Historiæ Eccles. a Christo passo ad suam usque ætatem.

Theophilus, Ep. Antiochenus, † 181 LL. 3 contra Christianæ Religionis calumniatores, ubi vox *Trinitatis* primo legitur.

Fragmenta tantum exstant :

Ex Papiæ Ep. Hierapolitani LL. 5 de Expositione sermonum Domini ;

Ex Quadrati et Aristidis Apologiis ;

Ex Melitonis Ep. Sardensis Apologia et epistolis, in quibus canon Scripturæ occurrit ;

Ex Apollinaris Ep. Hieropol., L. de Paschate ;

Ex Apollonii Volumine contra Montanum et Cataphrygas ;

Ex Serapionis Ep. Antiocheni, L. de Evangelio Petri ;

Ex Rhodonis operibus contra Marcionem et alios, ac Tractatu in Hexameron.

Perierunt autem Opera Philippi Ep. Gortynensis, Modesti, Musani, Dionysii Ep. Corinthii, Miltiadis, Theophili Ep. Cæsareensis, Bachylli Ep. Corinth. et aliorum.

Seculum III.

Septimius Flor. Tertullianus, a cultu Deorum et militia circa finem seculi 2. ad Christi sacra transgressus, et post nuptias Presbyter factus, defecit an. 205 ad Montanismum, ac demum propriæ sectæ auctor evasit, an. 245 mortuus. Opera Ante Lapsum scripta recensentur, L. *de Baptismo*, L. *de Pœnitentia*, L. *de Oratione*, LL. 2 *ad Uxorem*, *Apologeticus* pro Christianis an. 200, L. *de Patientia*, L. *de Exhortatione ad martyrium*, *Apologeticus* ad Scapulam, L. *de Testimonio animæ*, L. *de Spectaculis*, L. *de Idololatria*, LL. 2 *de cultu fœminarum*, et probabilius, L. *Præscriptionis* adv. hæreses. Post Lapsum referuntur, LL. 4 *contra Marcionem*, L. *de Anima*, L. *de Carne Christi*, L. *de Resurrectione carnis*, *Scorpiacon* adv. Cainianos, L. *de Corona militis*, L. *de Pallio*, L. *contra Judæos*, L. *contra Praxeam*, L. *contra Hermogenem* et *contra Valentinianos*, Libel. *ad Scapulam*, L. *de Pudicitia*, L. *de fuga*

in persecutione, L. *de jejunio* contra *Psychios* h. e. Catholicos, L. *de Monogamia*, L. *de Exhortatione castitatis*. A Cypriano habitus est pro suo Magistro, a Vincent. Lirinensi, quot verba tot sententias, quot sententias tot victorias protulisse scribitur. *Stylus* est energicus, elevatus et impetuosus, sed durus et obscurus. *Editio* Rigaltii Veneta 1744.

Origenes, dictus *Adamantius*, in Ægypto an. 185 succcessor Clementi Alexandrino datus in Catechesi, Presbyter in Palæstina ordinatus, ibidem post suam ex Alexandria proscriptionem scholam aperit : hinc subinde digressus in Cappadociam, Græciam et Antiochiam, fidem etiam in tormentis confessus, demum Tyri an. 254 moritur. Ex ejusdem sex millibus Scriptorum restant *Homiliæ* et *Commentarii* plurimi in universam fere Scripturam, *Hexaplorum* fragmenta multa, LL. 8 *contra Celsum* Chistianorum impugnatorem, *Philocalia*, seu Hymni et Poemata cum variis Tractatibus, LL. 4 Περὶ Ἀρχῶν seu *de Principiis*. Ob doctrinam, præsertim postremi Operis, multorum errorum, de quibus vide Conc. Œcum. V, damnatur ab Antiquis, excusatur a Recentioribus. *Stylus* perspicuus est et facilis, sed diffusus nimis et redundans. *Editio* Caroli de la Rue Parisiensis 1733-59.

Thascius Cæcil. Cyprianus, natus Carthagine et post artis Oratoriæ Professionem, ibidem an. 250. Episcopus, exorta persecutione latuit aliquandiu, redux demum an. 258. Martyr occubuit. Scripsit Epistolas 81, et Libel. *ad Donatum*, LL. 3 *adv. Judæos*, L. *ad Demetrianum*, *Exhortationem ad martyrium*; Tractatus de *Idolorum vanitate*, *de Habitu Virginum*, *de Unitate Ecclesiæ*, *de Lapsis*, *de Oratione Dominica*, *de Mortalitate*, *de Opere et Eleemosynis*, *de Bono Patientiæ*, *de Zelo et livore*. Judice Lactantio fuit primus inter Patres vere eloquens. *Stylus* Masculus et gravis. *Editio* Stephani Baluzii cum Præf. Prudentii Maran Parisiensis 1726.

Gregorius Ep. Neocæsareensis. cogn. *Thaumaturgus*, ab Origene scientiis et fide, non item erroribus imbutus, moritur an. 270. Præter fragmenta perditorum, extant ab eo scripta, *Panegyris Eucharistica* ad Origenem, *Metaphrasis* in Ecclesiasten, *Brevis Expositio fidei*, *Epistola* canonica *de Lapsis*. Comparatur a Patribus cum Prophetis et Apostolis. *Editio* Gerardi Vossii Parisienis 1622.

Minutius Felix c. an. 209 scripsit *Octavium* seu Dialogum inter Cæcilium gentilem et Octavium Christianum.

Ammonius Phil. Alexandrinus an. 220. Harmoniam Evangeliorum.

Hippolytus Ep. Portus Rom. in Arabia an. 222. Canonem Paschalem, cum Tractatibus de Theologia, Deo, Incarnatione, Antichristo.

Cornelius Rom. Pon. an. 251. ep. 1 ad Lupicinum et 2 inter Cyprianicas.

Dionysius Ep. Alexandrinus, † an. 265. epp. contra Paul. Samosatenum, de diversis capitibus ad Basilidem, de Resurrectione Domini et Paschalis jejunii termino.

Malchion Antiochenus an. 270. ep. synodicam cont. Paulum Samosatenum

Anatolius Alexandrinus an. *eod.* Canonem Paschalem.

Pamphilus M. circa an. 294. Apologeticum pro Origene.

Fragmenta solum superant :

Ex Caii Rom. Presbyteri Dialogo et Labyrintho;

Ex Alexandri Ep. Cappadocis epistolis;

Ex Julii Africani Chronographia et ep. ad Aristidem;

Ex Theognosti Alex. LL. 7. Hypotyposeon;
Ex Archelai Ep. Cascharensis ep. et actis Disputationis cum Manete;
Ex Methodii Ep. Tyrii LL. de Resurrectione, Creaturis, Libero Arbitrio, etc.;
Ex Phileæ Ep. Thmuitæ Epist. de Martyriis.
Ex Asterii Urbani Ep. cont. Montanistas;
Ex Victorini Ep. Petavionensis Comment., etc.

Seculum IV.

Athanasius Ep. Alexandrinus ab an. 326 usque ad an. 373 præcipuus Arianorum debellator, ab iisdem præcipue etiam vi ac fraudibus exagitatus. Præter Orationes, alteram contra gentes, alteram de Incarnatione, ante Episcopatum editas, scripsit Epistolas 30 et amplius: Orationes 5 *contra Arianos*, 2 *contra Apollinarium*, 1 *contra Gregales Sabellii*; alias *contra omnes hæreses*, *de Melchisedec*, *in Assumptionem Domini*; *quod unus sit Christus*; Apologias 2 *de sua fuga*, 1 ad imp. *Constantium*; *Refutationem* hypocriseos Hæreticorum circa homousion; *Expositionem fidei*; *Protestationem* populi Alexandrini; *Libellum precum*; Homilias sive sermones *de Semente*, *de Virginitate*, *de Sabbatis et Circumcisione*; *Commentaria* in illud: *Omnia tradita mihi sunt a Patre*; in istud: *Quicumque dixerit verbum contra Filium*, etc.; in id: *Profecti in pagum*, etc.: Fragmenta *Commentar. in Jobum et psalmos* adhuc exstant. Teste Sozomeno, vita Athanasii morumque ratio norma Episcopatus erat, dogmata autem ejus pro fidei orthodoxæ lege habebantur. *Stylus* juxta Photium elegans simul ac splendidus, clarus ac floridus. *Editio* Bernardi Montfaucon Parisiensis 1706.

Hilarius Pictavis in Gallia natus, et post matrimonium comparatamque eruditionem Christianus, ac demum Episcopus an. 354 creatus, exilio in Phrygia pro fide tolerato, et frequenti contra Arianos victoria celebris, redux in patria an. 368 decedit. Opera ejus sunt LL. 12 *de Trinitate*; LL. 2 *ad Constantium et* 1 *contra Eumdem*; L. *adv. Arianos et Auxentium*; L. *de Synodis* cont. Arianos; *Commentarii* in Psalmos et Evang. Matthæi; Fragmenta *ex Historia de Synodis* Ariminensi et Seleuciensi. Judicium Hieronymi hoc est de ejus scriptis, dum ait Hilarium legi posse sine errandi periculo; de *stylo* autem, dum Latinæ eloquentiæ Rhodanum appellat. *Editio* auctior Scipionis Maffæi Veneta 1730.

Basilius Cappadox, exactis studiis monasticen sectatus, inde ad Presbyteratum an. 364, ad Episcopatum Cesareæ in Cappadocia an. 370 evectus, superatis Arianorum aliquot pugnis, quietus an. 379 obit. Scripsit Homilias 9 *in Hexameron*, 17 *in Psalmos* quosdam, 31 varii argumenti; Sermones 2 *de jejunio*, 2 *de Institutione Monachorum*, 1 *de Abdicatione rerum*; *de cultu* seu *exhortatione monastica*, *de vera ac pia fide*; Libros 5 *adv. Eunomium*, 2 *de Baptismo*, 1 *de Spiritu Sancto* ad Amphilochium; *de vera virginitate*; *Commentarios* in 16 priora *Isaiæ* capita, *Proœmium Ethicorum*, et 80 *Capitula Ethica*; *Præfationem in Ascetica*; *Constitutiones monasticas*; *Regulas* 55 *fusius disputatas*; 313 *breviores*; Epistolas 3 *Canonicas ad Amphilochium*, 2 *ad Monachum lapsum*, 1 *ad Virginem lapsam*, 1 *ad Chilonem* Anachoretam, alias 428. Meruit Panegyrin a Nazianzeno, et *Magni* titulum a Theodoreto, quem etiamnum apud omnes obtinet. *Stylus* secundum Photium est purus, elegans, perspicuus; illiusque oratio ita fluit, quasi ultro

tanquam e fonte rivulus scaturiret. *Editio* Julii Garnerii, cura Prudentii Maran completa Parisiis 1730.

Gregorius *Nazianzenus*, studiis defunctus et vita monastica cum Basilio aliquamdiu fruitus, sacratus a Patre an. 361. Presbyter, a Basilio an. 372. Episcopus Sazimorum; sexennio post Ecclesiæ Constantinopolitanæ datus, sed ea an. 381 abdicata, post biennalem Nazianzenæ administrationem, vixit solitarius usque ad mortem, quæ an. 392 obtigit. Scripsit Orationes 5 *de Theologia* adv. Eunomium et Macedonianos, 13 *de Pace*, 2 *adv. Apollinarium*, 34 alias varii argumenti : LL. de *fide Nicæna*; Apologeticos, unum *de sua fuga*, alterum, *cum Episcopus fieret : Invectivas* 2 in Julianum : Epistolas 242 : Poemata 78 *metro vario*; 64 Carm. *heroico*; 2 *Iambico*. Omnium judicio erat in omni disciplinarum genere præstans, in Theologia summus; unde et nomen *Theologi* per antonomasiam sortitus. *Stylus* grandis, sublimis, majestate plenus. *Editio* Jacobi Billii Parisiis 1630.

Epiphanius e monasterio an. 368 ad Episcopatum Constantiensem in Cypro promotus diuturna lite cum Joanne Hierosolymitano vexatus, et Theophili Alex. causa cum Joan. Chrysostomo collisus, post frequentes contentiones et profectiones, in itinere an. 402 quievit centenario proximus. Edidit *Ancoratum* sive sermonem de fide; *Panarium* seu tomos septem contra 80 hæreses; *Epitomen Panarii*; L. *de Ponderibus et mensuris*; *Epistolas* unam ad Joannem Hierosol., alteram ad Hieronymum. Scripta ejus ab eruditis propter res, a simplicioribus propter verba quoque lectitari, Hieronymus testatur. *Editio* Dionysii Petavii Coloniæ 1682.

Gregorius, Basilii frater, post conjugium amplexus Clerum, electus est an. 372. Ep. *Nyssenus* : pulsus haud multo post ab Arianis, sedi an. 378 est redditus : tum ob celebrata Concilia, tum ob negotia ab iisdem sibi commissa peregre diu versatus, ad cœlum ante an. 403 transiit. Ab eo habentur Commentarii in *Psalmos*, *Ecclesiasten*, *Cantica*, et aliquot Scripturæ textus : *Hexameron*; LL. 13 *cont. Eunomium*; LL. *de hominis opificio*; *Syllogismi* 10 *cont. Manichæos*; Libel. *de imagine Dei in homine*; *Tractatus adv. Græcos*; *adv. Apollinarem*; *cont. Fatum*; *cont. usurarios*; *cont. eos, qui castigationes ægre ferunt*; *quod tres Deos dici non oporteat*; Orationes 8 *de vita beata*; 5 *de Oratione Dominica*; 2 *de Animæ creatione*; 2 *de pauperibus amandis*; 1 *Catechetica magna*; *de Deitate Filii et Spir. S.*; *de Baptismate*; *in eos qui baptisma differunt*; *in suam ordinationem* : Sermones vel homilias septem et amplius *de mysteriis Domini*; Panegyricas et funebres plures *de sanctis*; sermones *de vita Moysis*; *de Anima*; *de Virginitate vera et incorrupta*; *de Perfectione Christiani*; *de Proposito secundum Deum* : *de infantibus præmature mortuis*; *quid nomen et professio Christiana velit*; Dialogus *de anima et resurrectione*; Vita *Gregorii Thaumaturgi*, *Macrinæ Sororis* : Epistolæ sex, inter quas una *de Pythonissa*. Censente Photio, magna eruditionis laude enituit. *Stylus* illi, si qui Rhetorum, erat illustris ac jucunditatem auribus instillans. *Editio* integra Parisiis 1638.

Ambrosius Consulari in Liguria dignitate fungens, infantili aut potius Divina voce in Episcopum Mediolanensem proclamatus, exantlatis pro fide et disciplina Ecclesiæ laboribus plurimis an. 397 concessit fatis. Composuit Commentarios sub Annotationum, Tractatuum, aut Sermonum nomine in varia capita *Exodi*; *Levitici*, *Numerorum*, *Deuteronomii*; in 4um *Regum*, *Jobum*, *Psalmos*, *Proverbia*, *Ecclesiasten*, *Ecclesiasticum*, *Isaiam*, *Jeremiam*, *Danielem*, *Jonam*, *Michæam*, *Aggæum*, *Malachiam*, *Evangelium Lucæ*. Præ-

terea Libros 6 *in Hexameron*, 1 *de Paradiso*, 2 *de Cain et Abel*, 1 *de Noe et Arca*, 2 *de Abraham*, 1 *de Isaac et Anima*, 1 *de bono mortis*, 1 *de Esau et fuga seculi*, 2 *de Jacob et beata vita*, 1 *de Joseph*, 1 *de benedictionibus Patriarcharum*, 1 *de Elia et Jejunio*, 1 *de Naboth et Pauperibus*, 1 *de Tobia seu adv. fæneratores*, 4 *de Interpellatione Jobi et Davidis*, 2 *Apologiæ Davidis*. Ad hæc Libros 3 *de Officiis*, 1 *de Viduis*, 3 *de Virginibus*, 1 *de Virginis institutione*, L. *de Virginitate*, *Exhortationem Virginitatis* : Idem Libros 5 *de Fide*, 3 *de Spiritu Sancto*, 2 *de Pœnitentia*, 1 *de Incarnationis Sacramento*, 1 *de Mysteriis* seu *Initiandis*, 2 *de Excessu Fratris Satyri*, et probabilius LL. 6 *de Sacramentis* : Demum Orationes 2 *de Obitu* tum *Valentiniani* tum *Theodosii* Impp. Epistolas 92 et Hymnos 12. Delectat suis scriptis et simul instruit, universam fere doctrinam sacram seu theoreticam seu practicam complexus. *Stylus* est concisus, argutus, tessellatus, Senecæ facundiam, molliori etiam vena imitatus. *Editio* Nicolai le Nourry Parisiis 1690.

Arnobius scripsit an. 303, LL. 7 adv. Gentiles.

Luc. Cœl. Firmian. Lactantius sub et post Sec. 4 initium LL. 7. Institutionum, Epitomen Earumdem, L. de Ira Dei, L. de Opificio Dei, L. de Mortibus Persecutorum.

Alexander Ep. Alex. † 326 epist. 2.

Constantinus *M.* † 337. Orationes aliquot, Epistolas plures, et Edicta.

Eusebius Ep. *Cæsareensis* in Palæst. nat. 270. † 340. Chronicon. Libros 10 Histor. Ecclesiasticæ, 15 Præparationis Evangelicæ, 10 Demonstrationis Evangelicæ, 1 de Martyribus Palæstinæ, 1 cont. Hieroclem. 2 cont. Marcellum, 3 de Theologia Ecclesiastica cont. Eumdem, 4 de Vita Constantini, Orationem de Laudibus Ejusdem, 1 de Locis hebraicis, Comm. in Ps. et Is.

Eustathius Ep. Antioch. † 345. Commentar. in Hexameron, Dissertationem adv. Origenem.

Juvencus Hispan. an. 330, LL. 4 Historiæ Evangelicæ, versibus.

Jul. Firmic. Maternus an. 337. L. de Errore profanarum Religionum.

Marcellus Ep. Ancyranus an. 341. ep. Apologeticam ad Julium.

Theodorus Ep. Heracleensis † an. 358. Commentar. in Psalmos.

Serapion Asceta, cogn. *Scholasticus*, † cir. an. 358. L. cont. Manichæos.

Fab. Mar. Victorinus † cir. an. 370. LL. 4 de Trinitate, L. de Generatione Verbi, L. cont. duo principia Manich., L. de Principio diei.

Damasus † an. 366. Epp. 3 Confessionem fidei, Carmina 40.

Titus Ep. Bostrensis † 371. LL. 3 cont. Manichæos.

Cyrillus Ep. *Hierosolymitanus* † 386. Catecheses 18 ad Competentes, 5 Mystagogicas ad neobaptizatos, ep. ad Constantium.

Phœbadius Ep. Agennensis † post an. 392. L. cont. Arianos.

Didymus Alex. † sub sec. 4 finem, L. de Spiritu sancto, L. adv. Manichæos, breves enarr. in epp. Canonicas.

Martinus Ep. Turonensis † an. 400. Professionem fidei.

Philastrius Ep. Brixiensis † an. 387. L. de Hæresibus.

Nemesius Ep. Emisenus cir. an. 380. L. de Natura hominis.

Idacius Clarus cir. an. 387. Expositionem locorum Scripturæ, et opuscula contra hæreticos.

Ephrem Syrus † an. 378. Tractatus plurimos, sed plerosque homileticos et morales et Comment. in Script.

Pacianus † 390. Epistolas 3 cont. Novatianos, Paræneticum ad Pœnitentiam, Libel. de Baptismo ad Catechumenos.

Optatus Ep. *Milevitanus* † sec. 5. LL. 7 cont. Parmenianum Donatistam, quorum 7us est dubius.

Amphilochius Ep. Iconiensis an. 404 adhuc vivus, ep. Synodicam, præter vitas et orationes plures, sed dubias.

Fragmenta supersunt.

Ex Petri Alex. L. de Pœnitentia;
Ex Osii Ep. Cordubensis epistolis;
Ex Eusebii *Edesseni* Homilis in Evangelia et LL. Hypotheseon in ep. ad Galatas;
Ex Eusebii Ep. *Vercellensis* epistolis;
Ex Leontii Phrygis Orat. de S. Babyla;
Ex Petri Ep. Alex. epist. encyclica;
Ex Theophili Alex. volumine adv. Origenem et epp. Paschalibus;
Ex Jacobi Nisibitæ sermonibus.

Deperdita sunt

Asterii Commentarii in Scripturam et L. cont. Marcellum;
Fortunatiani Ep. Aquileensis Commentar. in Evangelia;
Triphylii Ep. Ledrorum Comment. in Cantica;
Heliodori L. de natura rerum exordialium;
Eusebii *Emisseni* homiliæ;
Audentii Hisp. L. de fide cont. omnes hæreticos;
Maximi Ægyptii L. de fide cont. Arianos;
Flaviani Antiocheni epistolæ, etc., etc.

Seculum V.

Joannes Chrysostomus natus 347 Antiochiæ, adolescens navatam Philosophiæ ac Oratoriæ operam an. 367 transtulit ad sacras litteras et vitæ spirituali totum se dedit, declinandi Episcopatus ergo an. 372 in solitudinem etiam profugus. Reductus hinc Antiochiam an. 381. Diaconus, an. 386. Presbyter creatus, virtute et eloquentia sacra evasit celebris adeo ut an. 398. Episcopus Constantinopolitanus postularetur. Hoc munere ingenti cum fructu perfunctus, an. 402 ob Fratrum Longorum defensionem Theophili Ep. Alexandrini inimicitias, an. 403 ob zeli libertatem Eudoxiæ Imperatricis indignationem incurrit; ideoque bis exul, an. 407 obiit. Opera illius, quæ a Veteribus ultra 5,000 numerantur, græco latina 13 Tomos amplissimos complent. Exstant præprimis Commentarii in Scripturam; quoad Vet. quidem Testam. Homiliæ exegeticæ 67 *in Genesin*, aliæ plures, sed defloratrices tantum, in reliquum *Pentateuchum*, *Libros Regum*, *Psalmos* et *Prophetas*: quoad Nov. Testam. vero, præter singulares et parabolarum, et dictorum aut factorum aliquot explanationes plures, Homiliæ exegeticæ 91 in *Matthæum*, 88 *in Joannem*, 55 *in Acta Apostolorum*, 32 *in ep. ad Romanos*, 74 *in ep ad Corinthios*, commentar. perpet. *in ep. ad Galatas*, HH. 24 *in ep. ad Ephesios*, 15 *in ep. ad Philippenses*, 12 *in ep. ad Colossenses*, 16 *in epist. ad Thessalonicenses*, 28 *in epist. ad Timotheum*, 6 *in ep. ad Titum*, 3 *in ep. ad Philemonem*, 34 *in ep. ad Hebræos*. Deinde Expositiones tum homileticæ tum panegyricæ de Christi Domini *Nativitate*, *Baptismo*, *Passione*, *Resurrectione*, *Ascensione*, et *de Pentecoste*; nec non de 30 *Sanctis* et amplius. Præterea Libros 6 *de Sacerdotio*, 6 *de Pœnitentia*, 6 *de Fato et*

Providentia, 3 *de Providentia*. Item Opera Dogmatica HH. 6 *cont. Anomæos de incomprehensibili Dei natura*, 6 *cont. Judæos*, 1 *cont. Gentiles*, 3 *adv. vitæ monasticæ contemptores*; demonstratio, *quod Christus sit Deus; de Consubstantiali*; *Dæmones non gubernare mundum* : Moralia. *Exhortationes* 2 ad Theodorum, 2 *de Compunctione*, 2 *ad viduam juniorem*, 2 *de Precatione*, *de Virginitate*, *de Pœnitentia*, *de Jejunio*, *de Eleemosyna*, *de Mansuetudine*, *de ferendis reprehensionibus*, *de Ira*, *contra Ignaviam*, *non esse desperandum*, *Peccata fratrum non esse vulganda* : Miscellanea HH. 21 *de Seditione* seu *de statuis*, *de pace*, *ad Cathecumenos*, *ad Neophytos*, *de Diabolo*, *de mutatione nominum* in scriptura, *de cohabitatione mulierum cum regularibus*, *de recipiendo Severiano*, *in eos qui sorores adoptivas habent*, *Eutropium*, *in eos qui in Paschate jejunant*, *aut qui jejunant cum Judæis*, *quod nemo læditur nisi a se ipso*, *utilem esse lectionem Scripturæ*, *non esse ad gratiam concionandum*, *quales ducendæ sint uxores*, *cum fieret Presbyter*, *cum iret in exilium*, *post reditum ab exilio*. Denique Epistolas, 1 ad Episcopos carceri inclusos, 2 ad Innocentium Papam, 17 ad Olympiadem, 225 ad diversos. Fides ipsius erat purissima, ingenium summum, scientia redundans, eloquentia aurea : *Stylus* perspicuus, splendidus,, Atticus. *Editio* Bernardi Montfaucon Parisiis 1718.

Hieronymus an 340. Stridone in Dalmatia natus, litteras profanas et pietatem Romæ, ubi trigesimo ætatis anno proximus baptismum recepit, edoctus, augendæ eruditionis studio cir. an. 372. Aquileiam primum discessit, indeque peragrata Gallia in patriam reversus, nauseam seculi cepit. Unde profectus in Orientem, an. 374 solitudinem Palæstinæ sub Abbate Theodosio incoluit sexennio, interim Paulino Antiocheno initiatus sacerdotio, sine certo tamen ad singularem Ecclesiam nexu. Abhinc post annuam sub Gregor. Nazianzeno Constantinopoli commorationem, a Damaso evocatus an. 384. Romam reversus, Pontifici a litteris et consiliis fuit. Digressus inde an. 385 perlustratis Ægypti monasteriis et Alexandria, in Palæstinam redux in Bethlehem consedit; ubi et an. 420 post toleratam Barbarorum et Pelagianorum suum in cœnobium incursionem, obdormivit in Domino. Prodierunt illius studio : *Versio* vel *Emendatio* totius Scripturæ, ex qua *Vulgata* emersit; Commentarii in *Ecclesiasten*, *Prophetas majores et minores*, *Matthæum*, *et Epistolas ad Galatas*, *ad Ephesios*, *ad Titum*, *ad Philemonem*; Libri 1 *adv. Helvidium*, 2 *adv. Jovinianum*, cum *apologia* pro iisdem epistolari gemina ad Pammachium et una ad Domnionem; 1 *adv. Vigilantium* cum ep. ad Riparium, 1 *Dialog. adv. Luciferianos*, 3 *Apologia adv. Rufinum*, 3 *Dialog. adv. Pelagium* : Item continuatio *Chronici* Eusebiani, *Catalogus Scriptorum Ecclesiasticorum* seu L. de Viris illustribus, et *Vita* Pauli, Hilarionis ac Malchi : denique Epistolæ plures partim exegeticæ, partim polemicæ, partim panegyricæ aut parænecticæ. Excelluit, omnium judicio, linguarum sanctarum peritia, eruditionis copia, eloquentia naturali, et rationum abundantia. *Stylus* purus, elegans, nobilis, et contra hæreticos reciproca acrimonia pungens. *Editio* Vallarsi et Maffæi Veronensis 1734.

Aurelius Augustinus an. 354 natus Tagastæ in Africa, tum Medauri tum Carthagine studia emensus, sed ibidem an. 374. Manichæorum erroribus imbutus, inde Romam, et post annum Mediolanum an. 384 pervenit Eloquentiæ magister. Conversus hic a S. Ambrosio et an. 387 baptizatus, rediit in Africam, Hippone an. 391. Presbyter an. 395. Coepiscopus ordinatus; et

post innumeros pro Ecclesia labores an. 430 vita functus. Opera ejusdem 10 Tomis, melius ordinatis, comprehensa recensentur hac serie. Tomo I præmittuntur, catalogi vices obituri, libri 2 *Retractationum, et* 13 *Confessionum.* Sequuntur scripti ante Presbyteratum libri 3 *cont. Academicos,* 1 *de Beata vita,* 2 *de Ordine,* 2 *Soliloquiorum,* 1 *de Immortalitate Animæ,* 1 *de Quantitate animæ,* 6 *de Musica,* 1 *de Magistro,* 3 *de Libero Arbitrio,* 2 *de Moribus Ecclesiæ,* 1 *de Vera Religione, Regula ad servos Dei.* T. II. Continentur Epistolæ 270 in 4 classes distinctæ : quarum 3 priores secundum chronologiam ordinatæ sunt, et pro initiali epocha habent 1ª quidem annum 386, 2ª an. 396, 3ª an. 411; 4 autem eas, quarum chronotaxis incerta est, complectitur. T. III. Exhibentur Commentarii in Scripturam bipartiti. in prima quidem parte recensentur libri 4 *de Doctrina Christiana,* 12 *de Genesi ad litteram,* cum uno ejusdem nominis *imperfecto.* 7 *Locutionum,* 7 *Quæstionum in Heptateuchum,* 1 *Annotationum in Job,* 1 *Speculi* seu Epitomes continentis doctrinam morum. In secunda autem libri 4 *de Consensu Evangelistarum,* 2 *de Sermone Domini in monte.* 2 *QQ. Evangelicarum, Quæstionum* septemdecim *in Matthæum,* Tractatus 124. *in Joannem,* 10 *in ep. Joannis;* Expositiones *in epp. ad Romanos, et ad Galatas.* T. IV. Extant Explicationes omnium *Psalmorum.* T. V. Sermones ad populum, 1º *de Scripturis* Vet. et Nov. Testamenti, 2º *de Tempore,* 3º *de Sanctis,* 4º *de Diversis,* 5º argumenti dubii; universim 314 numero. T. VI. Scripta Moralia; qualia sunt L. 2 *de Quæstionibus octoginta tribus,* L. 2 *de diversis Quæstionibus ad Simplicium,* 1 *de octo Quæstionibus Dulcitii,* 1 *de Fide et Symbolo,* 1 *de Fide et operibus; Enchiridion* seu L. *de Fide, Spe et Charitate,* 1 *de Agone Christiano,* 1 *de Catechizandis Rudibus,* 1 *de Continentia,* 1 *de Bono conjugali,* 1 *de Virginitate,* 1 *de Bono Viduitatis,* 1 *de Adulterinis conjugiis,* 1 *de Mendacio.* 1 *cont. Mendacium,* 1 *de Opere Monachorum,* 1 *de Divinatione Dæmonum,* 1 *de Cura gerenda pro mortuis,* 1 *de Patientia,* 1 *de Symbolo;* Item sermones *de Disciplina Christiana, de Utilitate jejunii, de Cantico ad Cathecumenos, de feria* 4ª, *de Cataclysmo, de Excidio urbis.* T. VII. Libri 22 *de Civitate Dei* contra Gentiles. T. VIII. Opera Polemica contra varios Hæreticos, præcipue Manichæos. Ejusmodi sunt libri, 1 *de Hæresibus,* Tr. *cont. Judæos,* 1 *de Utilitate credendi,* 1 *de Duabus Animabus, Acta cont. Fortunatum,* 1 *cont. Adimantum,* 1 *cont. epistolam fundamenti,* 33 *cont. Faustum,* 2 *de Actis cum Felice,* 1 *de Natura Boni,* 1 *cont. epistolam Secundini,* 1 *cont. Adversarium Legis et Prophetarum,* 1 *cont. Priscillianistas, et Origenistas,* 1 *cont. Sermones Arianorum, Collatio cum Maximino,* 15 *de Trinitate,* T. IX. Polemica contra Donatistas; nempe *Psalmus cont. partem Donati;* libri 3 *cont. Epistolam Parmeniani,* 7 *de Baptismo cont. Donatistas,* 3 *cont. Litteras Petiliani,* 4 *cont. Cresconium Grammaticum,* 1 *de unico Baptismo,* 3 *Breviculi collationum,* 1 *ad Donatistas post collationem,* 1 *de Gestis cum Emerito,* 2 *cont. Gaudentium.* T. X. Polemica contra Pelagianos et Semipelagianos, videlicet libri 3 *de Meritis et remissione peccatorum,* ac *Baptismo parvulorum,* 1 *de Spiritu et Littera,* 1 *de Natura et Gratia,* 1 *de Perfectione justitiæ,* 1 *de Gestis Pelagii,* 2 *de Gratia Christi et Peccato originali,* 2 *de Nuptiis et Concupiscentia,* 4 *cont. duas epp. Pelagianorum* ad Bonifacium, 6 *cont. Julianum,* 6 *Operis imperfecti* contra eumdem, 1 *de Gratia et libero Arbitrio,* 1 *de Correptione et Gratia,* 1 *de Prædestinatione sanctorum,* 1 *de Dono Perseverantiæ,* 4 *de Origine animæ.* Elogium sancti Doctoris in omnium libris prostat. *Editio*

Francisci Delfau, Thomæ Blanpain, Petri Coustant et Claudii Guenie Parisiis 1679-1701.

Cyrillus Ep. Alexandrinus an. 412 creatus, primus Nestorii damnator, Pontificiæ contra eumdem sententiæ executor a Cœlestino I constitutus, hujusque nomine Præses Conc. Ephesino datus, pro fide multa fecit tulitque; pace cum Orientalibus redintegrata demum an. 444 mortuus. Scripsit plurima, ex quibus supersunt *Glaphyra*, h. e. commentarii elegantes in Pentateuchum, LL. 5 *in Isaiam*, commentarii *in Prophetas minores*, LL. 12 *in Joannem : Thesaurus* de consubstantiali Trinitate, LL. 17 *de Adoratione et cultu in spiritu et veritate*, L. *de recta Fide* ad Imp. et Imperatrices, LL. 5 *adv. Nestorium*, 10 *adv. Julianum*, 1 *adv. Anthropomorphitas*, 1 *adv. Theodoretum*, *Apologeticus* ad Theodosium, Explanatio 12 *Capitulorum*, *Apologeticus* pro iisdem ad Orientales : *Dialogi* 7 *de consubstantiali Trinitate*, 1 *de Incarnatione Unigeniti*, 1 *Quod unus sit Christus :* Scholia de *Incarn. Unigeniti*, Tractatus brevis de eadem : Homiliæ 30 *Paschales*, 14 de rebus variis, Epistolæ 61. Eflato Cœlestini defensor fuit Ecclesiæ intrepidus, Doctor Catholicus, vir Apostolicus : Judicio Photii *stylus* ad singularem dicendi formam contortus, ac velut solutum numerosque negligens metrum. *Editio* Jo. Aubert Parisiis 1638.

Leo Magnus, celebris jam an. 430 Rom. Ecclesiæ Diaconus, an. 440 electus est in summum Pontificem : quo munere inter barbarorum incursiones et hæreticorum pugnas summa cum laude perfunctus decessit an. 461. Ex ejus Scriptis sunt Sermones 45 *de Mysteriis Domini*, 6 *de Sanctis*, 34 *de Quadragesima et Jejunio* diversorum temporum; 6 *de Collectis et Eleemosynis*, 4 *de Assumptione sua* et ejus *anniversario*, 2 in *Ordinatione Presbyteri et consecratione Episcopi*, 1 in *Reconciliatione hæreticorum :* Epistolæ 141. Laudatur in eo ingenii amœnitas, judicii firmitas, animi fortitudo : *stylus* elegans et facundus. *Editio* FF. Ballerini Venetiis 1755-57.

Theodoretus mundum an. 387. Antiochiæ ingressus, primam adolescentiam in Ecclesia patria, juventutem in Monasterio posuit. Inde extractus an. 423. Episcopatum Cyrensemin Syria Euphratæa suscepit, optimus Pastor et orthodoxus Doctor, donec amicitia cum Nestorio et societate cum Joanne Antiocheno inductus an. 430 et 431 ad Cyrilli Alex. et veri Dogmatis oppugnationem converteretur, triennio tamen post cum utroque in gratiam reductus : absens in Latrocinio Ephesino an. 450 sede sua depositus, sed eodem anno Leonis et Marciani opera restitutus ac in Conc. Chalcedonensi receptus, sedit inter Judices Eutychetis ac Dioscori : tandem hæresum omnium sua e Diœcesi exterminator vivere desiit an. 458 in communione Ecclesiæ mortuus, quamvis, salva ipsius persona, scripta ejus contra Cyrillum a Concilio Gen. V fuerint damnata. Præter Refutationem autem 12 Anathematismorum S. Cyrilli, et Fragmentum librorum contra eumdem, habentur a Theodoreto Commentarii sub titulo *Quæstionum in Octoteuchum* seu octo primos V. T. libros, *in Libros Regum et Paralipomena;* sub nomine proprio autem *in Psalmos*, *in Cantica*, *in Jeremiam*, *in Ezechielem*, *in Danielem*, *in minores Prophetas*, *in Pauli Epistolas :* LL. 5 *Historiæ Ecclesiasticæ*, L. 1 *Hist. Religiosæ* seu continentis elogia triginta Ascetarum; LL. 5 *Fabularum hæreticarum*, LL. 12 *de Curandis affectionibus Græcorum*, seu contra gentiles; L. 1 *cont. Nestorium :* Dialogi 7 *cont. Hæreticos;* DD. 3 qui et inscribuntur *Eranistes* seu *Polymorphus :* Orationes 10 *de Providentia*; Q. 1 *de Charitate*; Q. 1 *in Conc. Chalcedon.* habita; Q. 1 *de S. Joan. Baptista :*

Epistolæ 34. Magni meriti et nominis scriptor semper est habitus : *Stylus* perspicuus, nec jucunditatis expers, ac sensibus abundans æstimatus. *Editio* Jacobi Sirmondi et Julii Garnerii Parisiis 1648.

Tiro Prosper, natione Aquitanus, conditione juxta aliquos Laicus, juxta alios Episcopus sive Rhegiensis in Italia, sive Rejensis in Gallia, delato circa an. 427. Semipelagianorum ad Augustinum errore primum innotuit. Ab eo tempore tum Romam bis profectus tum in Gallia commoratus, continuam contra eosdem pugnam gessit, circa an. 463 mortuus. Ejus opera sunt Commentarius *in* 51 *Psalmos* posteriores : LL. 1 *de Promissionibus Dei*, 1 *de Gratia et libero arbitrio* cont. Collatorem : 1 *sententiarum* 388 ex S. Augustino collectarum : Responsiones cont. Capitula Gallorum, ad Objectiones Vincentianas, ad Excerpta Genuensium : Poemata, *Carmen de Ingratis*, *Epigrammata* 2 *cont. Obtrectatores S. Augustini*, 116 alia cum præfatione, *Epitaphium Hæresum Nestorii et Pelagii* : Chronicon bipartitum : Epistolæ 1 ad Augustinum, et 1 ad Rufinum, Communius eidem adscribuntur *Libri* 2 *de Vocatione Gentium* et *ep. ad Demetriadem.* Censetur Poeta elegans, Orator eloquens, Theologus profundus, Defensor S. Augustini studiosus. *Editio* Lucæ Mangeant Parisiis 1711.

Nonnus sub initium huj. sæc. scripsit *Paraphrasin* metricam *in Joannem*, et *Explicationem historiarum.*

Aurelius Prudentius † 410. *Enchiridion utr. Testam. Psychomachiam* seu pugnam vitiorum ac virtutum, *Cathemerinon* seu opus diurnarum rerum, *Apotheosin* seu de Divinitate, *Hamartigeniam* seu de origine peccati, Περὶ Στέφανον seu de Coronis, LL. 2 *cont. Symmachum* et *cultum Deorum.*

Synesius Ep. Ptolemaidos an. 410 præter alia Libros, *de Providentia, de Regno, de Insomniis, de Vitæ suæ Instituto* : Hymnos et Epistolas 155.

Palladius Ep. Helenopol. cir. an. 420. *Historiam* de vitis Patrum *Lausiacam* h. e. ad Lausum, Dialogum de vita Chrysostomi.

Paulus Orosius cir. an. 420. LL. 7 cont. Paganos; Apologeticum. cont. Pelag. *Commonitorium* cont. Priscillianistas et Origenistas.

Severus Sulpitius † 423. Libros 2 *Historiæ sacræ*, 1 de *vita S. Martini*, cum Dialogis 3 et epistolis totidem.

Leporius an. 425. Libel. *Emendationis* ad Epist. Galliæ.

Possidius Ep. Calamensis an. 430. *Indiculum* scriptorum S. Augustini.

Socrates LL. 7 et Hermias Sozomenus LL. 9. Historiæ Ecclesiasticæ, quam uterque ad an. 439 finivit.

Isidorus Pelusiota cir. an. 440, L. *adv. Gentes;* Epistolas plurimas de *Interpretatione Scripturæ.*

Proclus Ep. Cyzicenus † 446. Homilias sacras 20, Epistolas 7, Tractatum de *Traditionibus Missæ divinæ.*

Joannes Cassianus † 448. Libros 7 *de Incarnatione* adv. Nestorium, *de Institutis Cœnobiorum, de Vitiis capitalibus; Collationes Patrum.*

Marius Mercator † 450. *Commonitorium* et subnotationes adv. Pelagianos; *Contradictiones* adv. Nestorii Anathematismos.

Claudius Marius Victor † 450. Libros 3 *Carminum* seu Commentariorum *in Genesin.*

Cæl. Sedulius † 450. *Carmen Paschale* seu LL. 5 *de Christi* miraculis; *Collationem* V. et N. Testamenti; *Pæan Alphabeticum* de Christo; *Collectaneum*, seu explicationem in epist. Pauli; LL. 5 *Operis Paschalis* prosaicos.

Vincentius Lirinensis † 450. *Commonitorium* duplex adv. hæreticos.

Petrus Chrysologus Ep. Raven. † 451. *Homilias* aut *Sermones* 176.

Nilus † 452. *Expositionem* in Cantica; *Capita parænetica*; *Libros* et *Tractatus* tum asceticos tum morales; *Narrationes* de cæde Monachorum.

Eucherius Ep. Lugdun. † 454. *Libros* 2 *Instructionum*, 1 *de Formula Spiritualis intelligentiæ*; Epistolas aliquot cum homiliis.

Proterius Ep. Alex. an. 455 epistolam *de Paschate*.

Victorius vel Victorinus an. 457. *Epistolam Paschalem* celebrem.

Musæus † 458. *Lectiones* Scripturæ pro festis anni et *Responsoria* Psalmorum.

Dracontius † post medium Seculi, *Carmen* heroicum in *Hexameron*.

Basilius *Seleuciensis* † post med. sec. *Orationes* 61 in V. et N. Testam. *Demonstrationem* cont. Judæos de Adventu Christi; LL. de S. Thecla et Stephano.

Salonius Eucherii filius post med. sec. Expositionem in *Parabolas Salomonis*, et Dialogum *in Ecclesiasten*.

Arnobius *Junior* cir. an. 460. *Comment.* in Psalmos; *Annotationes* in Evangelia; *Conflictum* cum Serapione.

Maximus *Taurinensis* † 466. Homilias hyemales, æstivas, de sanctis, et miscellaneas.

Idacius Ep. Aquæflaviensis † 468 *Chronicon* et *Fastos Consulares*.

Claudianus Mamertus † 470. Libros 3 *de statu animæ*, Carmen *contra vanos Poetas*; Hymnum *de Passione Domini*.

Gregentius cir. an. 470. *Disputationem* cum Herbano Judæo; *Nomothesiam*.

Gennadius Ep. Constantinopolitanus † 471. Ep. encyclicam *ad. Simoniam*.

Gelasius *Cyzicenus* cir. an. 476. Libros 3 *Historiæ de Conc. Nicæno*.

Eugenius Ep. Carthag. cir. an. 480. *Confessionem fidei*, et *Altercationes* cum Arianis.

Apollinaris Sidonius Ep. Arvernorum † 482. LL. 9 Epistolarum et 24 Carmina.

Vigilius Ep. Tapsensis cir. an. 484. Libros 5 pro *defensione* Conc. *Chalcedonensis*, 12 *de Trinitate*, 1 *de Unitate* cont. Palladium; Dialogos 2 interlocutoribus Athanasio et Ario, Sabellio et Photino, 1 interloc. Augustino et Pascentio.

Gennadius Presb. Massiliensis cir. an. 495. L. *de scriptoribus Ecclesiasticis*, L. *de Fide* seu dogmatibus Ecclesiæ.

Gelasius P. R. † an. 496 præter epistolas, *Decretum de Libris* Canonicis, Ecclesiasticis et Apocryphis; Libel. de *duabus in Christo naturis*; L. contra Lupercalium cultores; Exemplar *gestorum de absolutione Miseni*; Tomum de Anathematis vinculo.

Rusticus Elpidius an. 498. Epigrammata *de historiis V.* et *N. Testamenti*; Hexametrum *de beneficiis Christi*, Carmen *in Consolationem doloris sui*.

Julianus Pomerius cir., an 498. LL. 3 *de Vita contemplativa*.

Salvianus † cir., finem seculi Libros 7 *de Providentia et gubernatione Dei*; 4 *adv. avaritiam* Clericorum; pro *conciliandis* Scripturæ *Antilogiis* : Epistolas 9.

Andreas Ep. Cæsareensis Commentarium *in Apocalypsin*.

Fragmenta supersunt :

Ex Polychronii Ep. Apamæensis Commentariis in Cantica, Jobum et Ezechielem;

Ex Archelai Ep. Cæsareens. Anathematismis cont. Messalianos;
Ex Thuribii Commonitorio et Epistolis;
Ex Eustathii Ep. Beritensis apologia pro epistola Leonis;
Ex Ammonii Ægyptii L. cont. Monophysitas et Expositione in Acta Apostolorum.
Ex Candidi LL. 3 historiarum.

Inedita aut *perdita* memorantur:
Macarii Rom. L. adv. Mathematicos;
Pauli Ep. Libellus de Pœnitentia;
Philippi Pamphyli L. adv. Julianum;
Nicææ Instructio ad Neophytos;
Josephi Christiani Hypomnesticon;
Syagrii de fide adv. hæreticos;
Victoris Ep. Cartemensis L. adv. Arianos et Homiliæ.

Seculum VI.

Fulgentius an. 468. Leptinæ in Africa natus, græce latineque ab adolescentia eruditus, Procuratione patriæ urbis aliquandiu gesta, vitæ tandem monasticæ totum se dedit, variis in monasteriis commoratus. Episcopatum, quem Vintæ effugerat, Ruspæ suscipere an. 508 coactus, paulo post cum plurimis Africæ Episcopis exul in Sardiniam a Thrasimundo Rege deportatur. Hoc mortuo an. 523 ad sedem Ruspensem redire permissus, scriptis pluribus, et actis Conciliaribus clarus, cœlum an. 533 ingreditur. Ex illius Operibus supersunt Libri 3 *ad Thrasimundum*, 3 *ad Monimum*, 3 *de Veritate prædestinationis et gratiæ*, 2 *de Remissione peccatorum*, 1 *de Fide orthodoxa* et diversis erroribus hæreticorum, 1 *de Trinitate*, 1 *de Incarnatione Christi*, et vilium aut noxiorum procreatione, 1 *de Incarnatione et gratia Christi*, 1 *de Prædestinatione et gratia*, 1 *de Fide ad Petrum*, 1 *cont. Arianorum objectiones*, 1 *cont. Sermonem Fastidiosi* Ariani; *Sermones* 13 varii argumenti; *Epistolæ* 12 inter quas una Episcoporum exulum nomine scripta. Habebatur sui seculi Augustinus. *Stylum* et auctorem designat Isidorus Hisp. his verbis: « In confessione fidei clarus, in scripturis divinis copiose eruditus, in loquendo dulcis, in docendo ac disserendo subtilis. » *Editio* Lucæ Mangeant Parisiis 1684.

Gregorius, cognomento Magnus, an. 540 Romæ et natus et Prætor urbi datus, post patris obitum ditissima hæreditate fundationi monasteriorum sex in Sicilia et unius ad S. Andream intra urbem patriam impensa, in postremo quoque seipsum Deo consecravit. Saluti animarum se daturus, etiam impetrata in Angliam missione, sed populi postulatione revocatus ex itinere et ordinatus Rom. Ecclesiæ Diaconus an. 578. Constantinopolim Pontificis legatus abiit; ubi Eutychio Patriarchæ errorem resurrectioni carnis oppositum exemit. Redux an. 585 Romam, Pelagium Pontificem in scribendis litteris juvit, eidem demum an. 590 succedere in Pontificatu coactus. Egit hic scripsitque plurima pro fidei propagatione et unitate, sanctitate morum et disciplinæ puritate, postrema ætate passim valetudinarius, tandem an. 604 mortuus. Opera ejus propria et certa sunt Libri 33. *Moralium* sive in Jobum 2 *in Ezechielem*, 2 *in Evangelistas*, 4 *Dialogorum*, 1 *de Cura pastorali*, 14 *Epistolarum*. Habentur ab eodem, sed forsan cum additamento alieno, Libri 6 Expositionum in L. 1 Regum; 1 in Cantica, 1 in Psal. Pœnitential.

Illius elogium hoc scripsit Isidorus Hispalensis : » Tanto per gratiam S. Spiritus scientiæ lumine præditus, ut non modo illi præsentium temporum quisquam doctorum, sed nec in præteritis illi par fuerit unquam. » Quod si quibusdam exaggeratum videatur, ejus tamen scriptis cum pietate eruditionem, *stylo* autem cum claritate elegantiam negabit facile nemo. *Editio* Dionysii Sammarthani Parisiis 1705.

Laurentius Ep. Novariensis cir. an. 507 scripsit homilias 3.

Epiphanius Scholasticus cir. an. 510. *Codicem encyclicum* seu Syntagma epistolarum synodalium pro Conc. Chalcedonensi.

Orentius Ep. Eliberitanus cir. an. 516. *Commonitorium* fidelium carm. hexametro.

Felix Ennodius Rom. Diaconus † 521. *Apologeticum* pro Syn. Palmari; *Panegyricum* Theodorici; *Eucharisticon* pro sua vita; *Parænesin* didascalicam; *Præceptum* de Cellulanis Episcoporum, *Petitorium* pro absolutione Gerontii; Dictiones *Sacras* 6; *Ethicas* 5; *Scholasticas* 7; *Controversias* 10; *Benedictiones* Cerei Paschalis 3; Libros *epistolarum* 9; *Carminum* 3.

Manlius Severinus Boetius cir. an. 523 præter Oratoria et Philosophica plura, Libros 5 *de consolatione Philosophiæ*, 1 *de unitate et uno*, 1 *quod Trinitas sit unus Deus*, 1 *Utrum Pater, Filius et Spiritus S. de divinitate substantialiter prædicentur : Fidei confessionem* seu brevem Religionis institutionem.

Procopius Gazæus cir. an. 524 *Commentar.* in Heptateuchum; *Scholia* in LL. Regum et Paralipom. *Commentar.* in Isaiam et Proverbia, *epistolas* 60.

Alcimus Avitus Ep. Viennensis † 525. Refutationem Arianorum, Nestorianorum, Eutychetis et Pelagii; LL. 9 *epistolarum; Homilias et Carmina* de historiis V. Testamenti.

Joannes Maxentius Scytha Monachus cir. an. 525. *Catholicam* de Christo *professionem; breviorem fidei aliam; Anathematismos* 12 cont. Nestorianos; LL. 2 *Dialogorum* cont. eosdem; Libel. *cont. Acephalos, Rationem adunationis Verbi* ad carnem; Responsum *apologeticum* ad Hormisdæ epistolam; *Epistolam* ad Pontificis Legatos Constantinopoli agentes; *Scholia in Dionysii opera.*

Zacharias *Scholasticus* cir. an. 536. *Dialogum* cont. Philosophos, et *Disputationem* de 2 Principiis Manichæorum.

Cæsarius Ep. Arelatensis † 542. *Homilias* 10, *Regula* pro Monachis et pro Monialibus; *Exhortationes et epistolas* ad Religiosos; *Testamentum.*

Ephræmius Syrus cir. an. 546. LL. 3 *pro dogmatibus Ecclesiasticis* et syn. Chalcedonensi.

Fulgentius Ferrandus † 550. *Breviationem Canonum* Ecclesiasticorum; *Paræneticum; vitam* S. Fulgentii; *epistolas sex.*

Arator cir. an. 550. *Historiam Apostolorum* carmine epico.

Facundus Ep. *Hermianensis* cir. an. 551. LL. 12 *pro defensione trium Capitulorum*; 1 cont. Mutianum Scholasticum.

Dionysius *exiguus* † 555. *Codicem Canonum* Ecclesiasticorum et *Decretorum* Pontificiorum; *Epistolas Paschales* et *Cyclum Paschalem.*

Eugyppius Abb. Africanus cir. an. 555. *Thesaurum* ex sententiis S. Augustini.

Liberatus cir. idem tempus *Breviarium* seu historiam.

Primasius Ep. Adrumetinus cir. an. 556. *Commentar.* in epp. Pauli et Apocalypsin.

Junilius Ep. Afer cir. idem tempus, LL. 2 *de partibus divinæ legis.*

Magnus Aurel. Cassiodorus ab an. 557 ad 562 usque, præter profana, *Commentarium* in Psalmos; *Historiam* Eccles. *tripartitam; Computum Paschalem;* Libros 12 *de gestis Gothorum*, LL. 12 *Epistolarum.*

Procopius post. an. 562 adhuc vivus, Libros 1 *de Persico*, 2 *de Vandalico*, 4 *de Gothico bello*, 6 *de ædificiis Justiniani; Historiam arcanam* Justiniani, Theodoræ, etc.

Victor. Ep. Tunnunensis an. 565 clausit *Chronicon* rerum gestarum.

Nicetius † an. 568, Tractatus *de Vigiliis sanctorum*, et *de Bono pœnitentiæ;* epist. ad Justinianum.

Joannes Climacus cir. an. 570. *Scalam paradisi*, L. *ad Pastorem.*

Cosmas *Indicopleustes* cir. an. 576. *Topographiam* Christianam.

Eustratius Constantinopolitanus † 578. L. *de statu vita functorum.*

Joannes Scholasticus † 578 *Collectionem Canonum; Nomocanonem; Capita Ecclesiastica.*

Martinus Ep. Bracarensis † 580. *Collectionem Canonum; sententias Patrum* Ægyptiorum; *Formulam* honestæ vitæ.

Evagrius *Scholasticus* an. 594 finit LL. 6 *Histor. Ecclesiasticæ.*

Gregorius Ep. *Turonensis* † 595. Libros 10 *Historiæ Francorum*, ejusque *epitomen*; 7 *Miraculorum*; 4 *de S. Martino*; 2 *de gloria Martyrum*; *de gloria Confessorum*; 1 *de Vitis Patrum.*

Leander Ep. Hispalensis † 595. *Regulam* de Institutione Virginum et Contemptu mundi.

Anastasius Sinaita † 599. *Hodegon* seu Ducem viæ adv. Acephalos, *compendiariam fidei institutionem; Quæstiones* et *Responsa* in Scripturam, LL. 11 *contemplationum* in Hexameron; *Orationes Dogmaticas* et *Homilias* varias.

Leontius Byzantinus † sub finem seculi Libros 10 *de sectis* 3 *cont. Nestor. et Eutychianos*, 2 *cont. Apollinaristas; solutiones argumentorum Severi; Definitiones* cont. eos qui negant duas in Christo naturas.

Venantius Fortunatus Ep. Pictaviensis † post sec. sextum Libros 11 *Poematum* sacrorum, 4 *Carminum* de vita S. Martini; *Hodœpericon* seu Viaticum ad Justinum; *Carmen* ad Artachin; *Expositionem fidei, Symboli Apostolorum, Orationis Dominicæ*, cum vitis plurium sanctorum.

Fragmenta aut perdita memorantur Theodori histor. tripartita; Anthimi Trapezuntini Sermo prosphoneticus et epistolæ; Leontii Cyprii Apologia pro Christianis cont. Judæos; Victoris Ep. Capuani Cyclus Paschalis; Severi Ep. Malacitani Libel. adv. Vincentium Arianum, alius ad Sororem de Virginitate.

Seculum VII.

Isidorus, ad distinctionem a Cordubensi Junior dictus, e Gothorum stirpe, patre Severiano Carthaginis Duce prognatus, fratres Episcopos Fulgentium et Leandrum habuit, postremo successor in Sede Hispalensi an. 595 suffectus. Disputatione contra Hæreticos, Conciliorum celebratione et præsidio, calamo item voce et exemplo, fidem, mores et disciplinam in Hispania multum promovit, an. 636 sanctissime mortuus. Scripsit autem *Proœmia* in Libros Vet. et Nov. Testamenti; *Commentaria* in lib. V. T. historicos; *Expositionem* in Cantica; Quæstiones et Expos. *de Christi Nativitate, Passione, Resurrectione, Regno et Judicio;* L. *Allegoriarum* quarumdam Scripturæ. Præterea Libros 20 *Originum* seu Etymologiarum; 3 *Sententiarum* seu de summo

Bono; 2 *Synonymorum* seu Soliloquiorum; 2 *de Differentiis* seu proprietate verborum; 2 *de Officiis divinis;* 2 *cont. Nequitiam Judæorum;* 1 *de Ordine creaturarum;* 1 *de Contemptu mundi;* 1 *de Vocatione gentium.* Item *Exhortationem* ad pœnitentiam; *Normam vivendi; Regulam* Monachorum; *Orationes* ad flenda peccata, et contra diaboli insidias; *Epistolas* varias; *Lamentum Pœnitentiæ;* carmen; denique *Collectionem canonum et decretalium; Chronicon; Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum; Historiam* Gothorum, Vandalorum, Suevorum. Conc. Toletanum VIII nominat illum seculi sui Doctorem egregium, Ecclesiæ catholicæ decus, seculorum finitorum doctissimum, cum reverentia nominandum. *Editio* Faustini Arevalo Romæ 1797.

Maximus Martyr, Constantinopoli an. 580 natus, ex Heraclii aula Chrysopolin in monasterium secedens monachus, postea Abbas ibidem evadit. Perpetua Monothelismi oppugnatio ipsum non tantum in disputationem semper victricem an. 645 cum Pyrrho Patr. Constantinopolitano, an. 649 cum Theodosio Ep. Cæsareensi, et postea cum Paulo Consule induxit; sed voluntario primum in Occidentem exilio, dein vinculis et vexationibus gravissimis ad mortem usque objecit, quam in carcere an. 662 gloriosus fidei Confessor oppetiit. Scripta ab eodem extant *Quæstiones* 65 in locos Scripturæ difficiles, item breviores 79; Expositio *in Psalmum* 59, *et Orationem Dominicam; Mystagogica* seu expositio Liturgiæ; *Dialogi* 5 *de Trinitate;* Capita 200 *de Theologia et Filii in carne dispensatione,* 500 diversa *Theologica et Œconomica deque virtute ac vitio;* Libri *aut* Tomi *de Substantia, Natura, et Hypostasi; de qualitate, principio, et differentia; de Christi Mysterio; de duabus Christi naturis; de duabus Christi voluntatibus; Non posse dici unam in Christo voluntatem; de duabus in Christo operantibus; Definitiones* Patrum de duabus in Christo operationibus; *Acta disputationis* cum Pyrrho; *Contra Ecthesin Heraclii; Definitiones distinctionum; Definitiones* variæ; ad Marinum tum Presbyterum tum Diaconum; Centuriæ 4 *de Charitate et virtutibus Christianis;* Lib. Asceticus *de vita pie instituenda;* Epistolæ plures et Scholia in Dionysium. Celebratur tanquam orthodoxæ fidei et paternarum traditionum custos tenacissimus, Theologus sua ætate præcipuus et martyrii titulo insignitus, quamvis in illius *stylo* obscuritatem et asperitatem sermonis Photius carpat. *Editio* Francisci Combefis Parisiis 1675.

Ildefonsus Toleti an. 600 natus, a patre seculari vitæ honoribus destinabatur, sed ab Isidoro Hispalensi in pietate non minus quam litteris institutus, sacræ militiæ se devovit, Monachus primum, dein Abbas, demum Archiep. Toletanus an. 657 effectus. In reprimendo recrudescente Helvidii errore et amplificanda in Deiparam devotione præsertim inclaruit, an 667 beate defunctus. Ex operibus restant, et genuina probantur L. *de illibata virginitate,* et L. *de parturitione Dei genitricis Mariæ; Sermones* aliquot de eadem; L. *de Scriptoribus Ecclesiasticis,* qui appendix est ad catalogum similem ab Isidoro continuatum : reliqua, quæ laudantur, vel dubia sunt, vel perdita, vel inedita. Qui hujus meminerunt Scriptoris, jam Chrysostomum, jam anchoram fidei compellarunt : in *stylo* sermonis diffusionem et synonymorum redundantiam notarunt. *Edit.* Francisci de Lorenzana Matriti.

Paterius cir. Sec. initium scripsit LL. 4 *Explicationum* in omnes utr. Testam. libros; sed primus tantum extat genuinus.

Hesychius Ep. Hierosol. † 609. Explanationes *in Leviticum et Prophetas minores;* Centurias duas *Sententiarum de virtute;* Sermones et Orationes aliquot.

Antiochus Mon. Palæstinus cir. an. 614. *Pandecten divinæ Scripturæ*, seu compendium Religionis Christianæ 130 homiliis constans.

Theophylactus Simocata *Historiam* gestorum Mauritii, quam an. 629 absolvit, et 85 Epistolas.

Sophronius Patr. Hierosol. cir. an. 629. *Epistolam Encyclicam*, instar voluminis. cont. Cyri orientem hæresin.

Joannes Moschus cir. an. 630. *Pratum spirituale*, seu Tractatum de vitis Patrum.

Gallus Abb. † 640. *Formam gubernandæ Ecclesiæ; Monita salutaria.*

Georgius Pisides cir. an. 640. *Cosmopæiam*, seu carmen in Hexameron; Carmen *de vanitate vitæ humanæ.*

Joannes P. R. † 642. *Apologiam pro Honorio;* epistolam *de Paschate et Pelagianismo.*

Theodorus Presb. in Raithu cir. an. 646. *Commentar. de Incarnatione Christi* cont. hæreses multorum.

Thalassius in Lybia cir. med. Sec. Centurias 4. *Sententiarum de sincera charitate, vitæ continentia et mentis regimine.*

Joannes Ep. Darensis cir. med. Sec. *Commentarios in Hierarchiam Cœlestem et Ecclesiasticam.*

Eligius Ep. Noviomensis † 659. Tract. *de Rectitudine Catholicæ conversationis*, cum aliquot homiliis.

Dorotheus cir. an. 660. Dissertationes 24. *Ethicas* et *Asceticas.*

Marculfus cir. an. 660. LL. 2 *Formularum Ecclesiasticarum.*

Cummianus † 661. L. *de Pœnitentiarum mensura*, et *Epistolam Paschalem.*

Andreas Cretensis † 680. *Homilias* 17 et *Triodia* 9 in Festa et Sanctos; *Iambos Eucharisticos; computum Paschalem.*

Aponius cir. an. 680. LL. 6 *Commentar. in Cantica.*

Joannes Ep. Thessalon. cir. an. 680. Orationes *in Dormitionem Deiparæ*, et *in mulieres unguenta ferentes; Hymnos* ad Deum et Sanctos.

Theodorus Ep. Cantuariensis † 690. *Pœnitentiale.*

Julianus Ep. Toletanus, dictus *Pomerius*, † 690. *Commentar.* in Nahum; Libros 2. Ἀντικειμένων seu antilogiarum Scripturæ, 3 *Prognosticorum* futuri seculi, 3 *de Adventu Messiæ* cont. Judæos; *Appendicem* ad Ildefonsi catalogum.

Cresconius Ep. Afer. cir. an. 690. *Breviarium Canonum*, et *Concordiam* seu librum Canonum.

Valerius Abb. † 695 præter vitas, miracula et revelationes, L. *de Vana seculi sapientia*, et L. *de Institutione vitæ novæ.*

Mutila vel perdita Eusebii Ep. Thessal. LL. cont. Aphthartodocitas; Theodosii Confutatio Testimoniorum cont. Resurrectionem carnis; Joannis Hispani Libel. de calculo Paschatis; Trojani Chronicon compendiosum.

Seculum VIII.

Beda in agro Angliæ Dunelmensi an. 672 natus, ab anno ætatis 7mo in monasteriis Wermutano et Gervicensi, præter pietatem, linguarum peritia et optimarum scientiarum insigniter instructus, adolevit, vixit, consenuit. An. 691. Diaconus, an. 702. Presbyter creatus, legendo, orando, scribendo omnem vitam consumpsit, an. 735 mortuus. Omissis Philosophicis et Grammaticis, inter Opera ad eruditionem sacram pertinentia præcipue recensen-

tur : EXPLANATIONES *in Pentateuchum, Libros Regum, Esdram, Tobiam, Job, Proverbia, Cantica, et totum Testam. novum :* LIBRI *de Rerum natura; de Temporum ratione; de sex ætatibus mundi; de supputatione temporum S. Scripturæ; de Nominibus Hebr. et Græcis in Scriptura occurrentibus; de Schematibus Scripturæ; de tropis ejusdem; de Opere sex dierum; de Arca Noe; de Tabernaculo, Vasis et Vestibus sacerdotalibus; de Templo Salomonis; de Situ Jerusalem et locorum sanctorum; de nominibus locorum in Actis Apost. occurrentium :* HOMILIÆ *de Tempore* 33 Æstivales, 15 Hyemales, 22 Quadragesimales; *de Sanctis* 31 Æstivales, 19 Hyemales; *ad Populum* varii : COMMENTARII *in LL. Boetii de Trinitate : de Muliere forti; de Passione et Verbis Christi; de Officiis; de Remediis peccatorum :* MARTYROLOGIUM tum *Prosaicum* tum *Metricum;* LIBRI 5 *Historiæ Ecclesiæ Anglicanæ;* aliquot *de computo et ratione calculi :* Hymni, Biographiæ et Epistolæ plures. Dictus est *Venerabilis* ob doctrinæ et virtutum merita, usus *stylo* claro et facili, sine elegantia tamen et elevatione. *Editio* Coloniæ 1688.

JOANNES DAMASCENUS a Damasco, ubi cir. an. 676 nascebatur, dictus, scientiis optimis a Cosma Italo egregie imbutus, apud Saracenorum Principem Consilio præsidebat, donec Leonis Iconomachi perfida arte permotus, cir. an. 728 aula relicta, Hierosolymam profectus, ibique consecratus Presbyter in Lauram S. Sabæ secederet. His pietatis exercitiis et defendendæ contra sui ac priorum temporum hæreses fidei deditus, cir an. 760 obdormivit in Domino. Scripta in hoc secessu sunt : LIBRI 4 *de Fide orthodoxa;* Opus *Parallelorum,* seu collectanea Scripturæ et Patrum in locos communes digesta; *de Hæresibus,* seu catalogus omnium hæresium; *contra Manichæos; contra Nestorianos; de Natura Christi composita* cont. Acephalos; *de duabus Christi voluntatibus et operationibus; Disceptatio Christiani et Saraceni; de Resurrectione et Paradiso; Institutiones de decretis et placitis; de Dialectica :* ORATIONES 3 *de sacris imaginibus;* 3 *de Nativitate Deiparæ;* 2 *de Dormitione B. V.; Quomodo ad imaginem Dei simus creati? de Transfiguratione Domini; de Sabbato sancto; de Die judicii :* EPISTOLÆ *de Trisagio; de Corpore et Sanguine Christi;* CARMINA et CANTICA *de Nativitate, Epiphania, Transfiguratione et Ascensione Christi; de Pentecoste, Annuntiatione Deiparæ,* etc. Doctrinæ ac eruditionis, præsertim Theologicæ, famam nemo, cui sanum est synciput, Joanni, judice Caveo, negabit. *Stylus* in multis est scholasticus. *Editio* Michaelis le Quien Parisis 1712.

ADELELMUS Ep. Schirburnensis † 709 scripsit L. *de laude Virginitatis; ænigmata* et opuscula *metrica.*

COSMAS Ep. Majumensis cir. an. 730. *Hymnos* 13 *in Festa anni; Enarrationem* metricam *in Psalmos.*

EGBERTUS Ep. Eboracensis cir. an. 732. *Excerpta* ex Patribus; *Pœnitentiale* seu Constitutiones Ecclesiasticas.

ACCA Monach. Anglus † 740, *de Ecclesiasticis Chori officiis;* Carmina; Epistolas.

GERMANUS Patr. Constantinopolitanus † 740. Tract. *de Conc. Œcumenicis; Apologiam pro Gregorio Nysseno;* Homilias et Epistolas.

FREDEGARIUS cir. an. 740. *Chronicon* de gestis Francorum; *Collectanea Chronologica.*

CUTHBERTUS cir. an. 740, L. de vita et obitu Ven. Bedæ; L. Epistolarum.

GREGORIUS III. R. P. † 741, præter Epist., *Excerpta* ex Patribus et Canonibus; *de criminibus et horum remediis.*

Anastasius Abb. Palæstinus cir. an. 741, L. *cont. Judæos.*

Pirminus cir. an. 750, Libel. *de singulis libris Canonicis.*

Bonifacius Archiep. Moguntinus † 754, L. *de Fidei unitate; Statuta;* Biographias et Epistolas.

Isidorus Ep. Pacensis cir. an. 754. *Chronicon* Hispaniæ.

Florus Mon. cir. an. 750. *Gesta et passiones Martyrum,* seu Martyrologium Bedæ continuatum.

Chrodegangus Ep. Metensis † 766. *Regulam pro Clericis.*

Ambrosius Autpertus † 778. Lib. 10. *Commentar. in Apocalypsin.*

Paulus *Warnefridi* filius cir. an. 780, Libros 24 *Historiæ miscellaneæ;* 6 *Historiæ Longobardorum;* 4 *vitæ S. Gregorii; Homilias* ex Patribus dispositas pro toto anno; *Excerpta, Hymnos* et *Epistolas.*

Etherius et Beatus Ep. cir. an. 784, LL. 2 *de Adoptione Filii Dei* cont. Elipandum.

Adrianus II. P. R. † 795, præter epist., *Libellum Libris Carolinis oppositum.*

Paulinus Ep. Aquileiensis †804, Libros 3 *adv. Felicem Urgelitanum;* 1 *de Trinitate cont. Elipandum;* 1 *de salutaribus Documentis.*

Flaccus Alcuinus vel Albinus † 804, præter Philosophica et humaniora, Commentaria *in Genesin, Ecclesiasten et Cantica; Enchiridion in Psalmos;* L. *de usu Psalmorum;* LL. 7 *Commentar. in Evang. Joannis :* Libros 3 *de Fide Trinitatis,* cum *QQ. de eadem;* 2 *de Incarnatione : Breviarium* cont. Arianos; Lib. 7 *cont Felicem Urgel.;* 2 *cont. Elipandum;* L. *Sacramentorum; de divinis Officiis; de Ratione animæ; de virtutibus et vitiis :* Homilias, Biographias, Poemata, Epistolas varii generis.

Carolus M. Imp. † 814. *Epistolas* plures et *Capitula de re Ecclesiastica. Capitulare prolixum* seu Libri 4 Carolini dicti, perperam illi adscribuntur.

Seculum IX.

Leidratus Arch. Lugdunensis † 814, scripsit L. *de Sacramento Baptismi,* et Epist. *de ejusdem Ritibus.*

Isidorus Mercator vel Peccator, ante an. 814, quo Riculphus Arch. Moguntinus obiit, *Collectionem Canonum cum Decretalibus,* magnam partem spuriis.

Theophanes Isaacius † 818. *Chronographiam et Canonem Epinicium.*

Theodulphus Ep. Aurelianensis † 821. L. *de Spiritu S.; de ordine et ratione rituum baptismi; Capitula* 46 ad Presbyteros; LL. 6 Carminum.

Benedictus *Ananiensis* † 821. *Codicem et Concordiam Regularum;* L. *Parœneticum* ex Patribus; *Modum Pœnitentiarum.*

Smaragdus Abb. circa an. 824. *Postillam* in Evangelia, et Epistolas officii divini; *Viam regiam et Diadema Monachorum : Acta Collationis Rom. de Processione Spir. S.*

Theodorus Studites † 826. *Sermones catecheticos, et Catechesin parvam;* Orationes *in cultum Crucis* et *Imaginum; Encomia Sanctorum; Testamentum* ad Discipulos; Epistolas et Hymnos.

Nicephorus Patr. Constantinopolitanus † 828. *Chronologiam tripartitam; Breviarium historiæ;* Opuscula 4 *cont. Iconomachos; Canones breviculos* 17, alios 37.

Sergius *Historiam invectivam* cont. Iconomachos an. 828 finitam.

Amalarius Diac. Metensis circa an. 830. Libros *de Officiis divinis, de ordine Antiphonarii; Eclogam in canonem Missæ; Institutionem Clericorum.*

Halitgarius Ep. Cameracensis † 831. LL. *de vitiis et virtutibus, de peccatorum remediis, et ordine Pœnitentiæ.*

Dungalus Parisiensis cir. an. 832. *Responsiones* cont. Claudii Taurinens.; Sententias *de cultu imaginum.*

Ansegisus Abb. † 833. Libros 4 *Capitularium Caroli M. de Re Ecclesiastica.*

Theodorus Graptus † 835. *Disputationem de imaginibus;* Lib. *de Fide orthodoxa* cont. Iconomachos.

Eginhardus circa an. 855. Libel. *de adoranda Cruce;* LL. 4 *de miraculis Marcellini et Petri; Annales* Pipini, Caroli et Ludovici; *Vitam Caroli Magni;* Epistolas.

Agobardus Arch. Lugdun. † 840. Libros *de divinis sententiis; de Picturis et Imaginibus; de Judaicis superstitionibus; de intelligentia Judæorum; de Baptismo mancipiorum Judaicorum :* contra *legem Guntobardi;* cont. *objectiones Fridegisi;* cont. *libros Amalarii de Dispensatione Ecclesiastica; de comparatione regiminis Ecclesiastici et Politici; de divina Psalmodia; de correctione Antiphonarii :* Epistolas et Poemata.

Hilduinus Abb. † 842. *Areopagitica* seu de gestis, passione et scriptis Dionysii Areopagitæ.

Georgius Hamartolus *Historiam dogmaticam* ad an. 842 perductam.

Jonas Ep. Aurelianensis † 843. Libros 3 *adv. Claudii Taurinensis Apologeticum;* 3 *de Institutione Laicorum;* 1 *de Institutione Regia.*

Methodius Confessor † 847. *Canones Pœnitentiales :* Orationes; Encomia Sanctorum.

Walafridus Strabo † 849. *Glossam ordinariam* in S. Scripturam; *de Officiis divinis :* Biographias; Poemata.

Michael Syncellus ante med. Sec. L. *de orthodoxa Fide.*

Amulo Arch. Lugdun. cir. med. Sec. Libros *cont. Judæos; de Gratia, Præscientia, Prædestinatione et libero arbitrio;* de iisdem *Capitula* ex S. Augustino : Epistolas *ad Gotteschalcum, ad Theobaldum Lingonensem.*

Paschasius Radbertus † 851. Commentar. *in Psalmum 44, Threnos, Evangelium Matthæi;* L. *de Sacramento Corporis et Sanguinis Domini; Epistol. de iisdem :* Biographias.

Florus Diac. Lugdun. cir. an. 852. Commentar. *in epist. Pauli et Canonem Missæ;* L. *de Prædestinatione* cont. errores Scoti; *Collectionem* tum ex Legibus et Canonibus, tum ex dictis Patrum.

Freculphus Ep. Luxoviensis † 853. *Chronicon bipartitum.*

Haymo Ep. Halberstadianus † 853. Commentar. *in Psalmos, Isaiam, epist. Pauli, Apocalypsin :* Libros 10 *Histor. Ecclesiasticæ;* 3 *de amore patriæ cœlestis :* Tract. *de Corpore et Sanguine Christi : Homilias in Evangelia* Dominicarum et Festorum.

Rabanus Maurus Arch. Moguntinus † 856. Commentar. in plerosque V. et N. Testam. libros; *Allegorias* in univ. Scripturam : Libros 22 *de universo* seu Etymologiarum; 3 *de Institutione Clericorum et Cæremoniis Ecclesiæ;* 3 *de Disciplina Ecclesiastica;* 3 *de videndo Deo, Puritate cordis et Pœnitentia;* 1 *Pœnitentium; de Sacramentis, ordinibus et vestibus sacris; de consanguineorum nuptiis et magorum præstigiis; de computo :* Tractatus *de signis Nativitatis Domini; de ortu, vita et moribus Antichristi; de Reverentia filio-*

rum erga parentes; de Chorepiscopis : Homilias 152 *sup. Evangelia* a Nativitate Christi ad Pentecosten, præter alias *singulares* Epistolas : Poemata.

Angelomus cir. an. 856. Stromata in LL. *Regum et Cantica.*

Eulogius Arch. Toletan. † 859. LL. 3 *de Mart. Cordubensibus; Apologeticum pro Martyribus; Exhortationem ad Martyrium;* Epistolas.

Lupus Servatus Mon. *Ferrariensis* † 861. L. *de tribus QQ.* scil. de lib. arbitrio, prædestinatione et taxatione Sanguinis Christi; *Collectaneum de iisdem,* cum aliquot Epistolis.

Prudentius Ep. Trecens. seu Tricassinus † 861. Tract. *de Prædestinatione* cont. Joan. Scotum; *Collectaneum de tribus epistolis; adversus Capitula Carisiaca.*

Æneas natione Gallus an. 868. L. *adv. objectiones Græcorum.*

Petrus Siculus cir. an. 870. *Historiam* de Ortu, Progressu, Occasu *Manichæorum.*

Ratramnus vel Bertramus an. 870 susperstes, Libros, 6 *cont. Græcos;* 2 *de Prædestinatione;* 1 *de Partu Virginis;* 1 *de Corpore et Sanguine Christi.*

Remigius Arch. Lugdun. † post an 873. L. *de tribus Episcoporum epistolis;* Libel. *de tenenda Scripturæ veritate, et sectanda Patrum auctoritate; Absolutionem Quæstionis* de generali damnatione Adæ, et speciali ereptione electorum.

Ado Ep. Viennensis † 875. *Breviarium Chronicorum; Martyrologium.*

Usuardus cir. an. 876. *Martyrologium.*

Isaac Diac. Laudunensis an. 878 superstes, *Collectionem Canonum.*

Theodorus Abucara cir. an. 880. *Dialogos, Dissertationes, Disputationes* et *Solutiones Quæstionum* controversarum *cum Judæis, Saracenis, Origenistis, Nestorianis, Manichæis, Theopaschitis,* et aliis *Hæreticis.*

Hincmarus Arch. Remensis † 882. L. *de Prædestinatione Dei et lib. arbitrio; Collectionem* testimoniorum *de una et non trina Deitate;* L. *de Divortio Lotharii et Teutbergæ; Capitula* 65 *pro Clericis;* Opuscula 5 *cont. Hincmarum Laudunensem;* Epistolas plurimas varii argumenti.

Bertharius Abb. † 884. Homilias et Versus.

Nicetas David cir. an. 885. *Encomia Apostolorum* et *Orationes sacras.*

Anastasius Rom. Bibliothecarius † 887. *Historiam Ecclesiasticam; Collectanea* spectantium ad historiam Monothelismi; *Relationem Disputationis* S. Maximi cum Theodosio, et motionis contra Sanctum in Secretario Principis factæ; *Acta Concilii generalis* 7i *et* 8i; Biographias et aliorum epistolas.

Herembertus *Chronicon Longobardorum* ad an. 888 perductum.

Photius Patr. Constantinopolitanus † 891. *Bibliothecam litterariam; Nomocanonem* seu Legum et Canonum conciliationem; L. *de voluntatibus in Christo gnomicis;* Libel. de *Synodis;* Dissertationes 6 *de Divinitate et Incarnatione;* Epistolas multas.

Auxilius cir. an. 894. LL. de *Ordinationibus Formosi.*

Remigus Antissiodor. † cir. an. 900. Commentar. *in Psalmos, Prophetas minores, Epp. Pauli; Expositionem Missæ.*

Seculum X.

Regino Prumiensis † 908 scripsit *Chronicon;* LL. 2 *de Disciplinis Ecclesiasticis ac Religione Christiana.*

Herveus Arch. Remensis † 922. *Constitutum Pœnitentiale.*

Leontius *Byzantinus* cir. an. 922. LL. 4 *Chronographiæ.*

Hippolytus Theban. cir. an. 933. *Syntagma Chronicum.*

Eutychius Ægyptius *Annales* ab O. C. ad an. 940 usque.

Simeon Metaphrastes † 942. *Vitas Sanctorum*, inter quas Leo Allatius tantum 122 genuinas decernit, et designat; *Orationes* 24 *de moribus;* Poemata 6; Epistolas 5.

Odo Cluniacensis † 942. Libros 35. *Moralium in Job;* 3 *Collationum;* 4 *Vitæ S. Geraldi;* Sermones et Tractatus de Sanctis; *Chronicon* succinctum; Hymnos, Antiphonas et Versus.

Theodorus *Dophnopates* cir. an. 950. *Apantismata* seu Flosculos aut Sermones ex S. Chrysostomo decerptos.

Constantinus *Porphyrogenitus* † 959. *Narrationem de imagine Christi Agabaro missa; Pandectas Historicas et Politicas;* L. *de administrando Imperio*, etc.

Atto Ep. Vercellensis † post. an. 960. *Capitulare Vercellense;* L. *de Pressuris Ecclesiasticis;* Sermones et epist. varias.

Flodoardus † 966. *Chronicon* rerum inter Francos gestarum; LL. 4 *Historiæ Eccles. Remensis.*

Luitprandus † post an. 970. LL. 6 *Historiæ* rerum suo tempore gestarum.

Ratherius Ep. Veronensis † 973. *Volumen perpendiculorum* seu de contemptu Canonum; *Apologias* sui ipsius; *Itinerarium* et *discordiam cum suis Clericis*, sermones et epist. aliquot.

Ethelverdus LL. 4 *Historiæ* ad an. 974 perductæ.

Suidas cir. an. 980. *Lexicon*, serviens Theologiæ et Historiæ.

Roswida, Monialis Gandersheimensis, cir. an. 980. *Historiam Ottonis* metricam; *Historias* 8; *Comœdias* 6 *sacras.*

Dunstanus Arch. Cantuarlensis † 988. *Concordiam Regularum Canonicarum.*

Fulcuinus † 990. *Chronicon* Laubiense.

Pilcrimus seu Peregrinus Ep, Laureacensis † 993. *Symbolum.*

Nicon † 998. Libel. *de Religione Armenorum.*

Moses Barcepha Ep. cir. finem Seculi LL. 3 *de Paradiso.*

Olympiodorus cir. fin. Sec. Commentar. *in Jobum et Ecclesiasten.*

Œcumenius an. hujus Seculi incerto Commentar. *in Actus Apost., epist. Pauli et Canonicas.*

Ælfricus Abb. † 1003. Tract. *de V. et N. Testam.;* Hom. Paschalem *de Corp. et Sang. Christi.*

Gerbertus, postea Sylvesterii, † 1003. Sermon. *de Informatione Episcoporum; Epistolas.*

Seculum XI.

Petrus Damiani, a Damiano Fratre, quem patris loco habuit, sic compellatus, Ravennæ an. 1006 oriundus, ob virtutis doctrinæque in Monasterio comparatæ famam ad splendidas Episcopatus et Cardinalatus dignitates evectus, ad summa etiam negotia in Italiam, Galliam et Germaniam Legatus Pontificis missus, pro puritate religionis et Ecclesiæ disciplina contra Clericos Simoniacos et incontinentes non minus quam Laicos consanguineis nubentes strenue ac feliciter laboravit : operæ præmium capturus an. 1072 abiit in cœlum. Præter 8 Libros *epistolarum, et sermones historiasque* sacras, scripsit illustria varii argumenti Opuscula sexaginta. Ex his commemorasse

sufficiat : *Expositionem mysticam Lib. Genesis; de Ægypti plagis et decalogo; de Hebræorum mansionibus; de Divina omnipotentia; de Processione S. Sp.; de fide Catholica; de Sacramentis per impios administratis; de Novissimis et Antichristo; cont. Judæos; de Quadragesima; de Jejunio Sabbati; de celebrandis Vigiliis; de horis Canonicis; de Cœlibatu Sacerdotum; de communi vita Clericorum; cont. Clericos Regulares proprietarios; de perfectione Monachorum; pro Monachis cont. Canonicos; de parentelæ et cognationis gradibus; de tempore celebrandi nuptias; de bono suffragiorum,* etc. Alexander II pro legatione missum hoc prosecutus est elogio : « Talem vobis virum destinare curavimus, quo post nos major in Rom. Ecclesia non habetur, qui noster est oculus et Apostolicæ sedis immobile firmamentum. » *Stylus* ea ætate haud inelegans. *Editio* Constantini Syracusani Veneta 1744.

Lanfrancus, natione Italus, patria Papiensis, Bononiæ litteris imbutus, virtutibus in Galliæ monasterio Beccensi excultus. Cantuariæ in Anglia ad Archiepiscopatum an. 1070 promotus, pro fidei integritate cir. med. Sec. contra Berengarium, pro suæ Ecclesiæ juribus post Præsulatum susceptum contra Archiep. Eboracensem, pro disciplina Ecclesiastica per omnem vitam contra varios, victor ubique certavit an. 1089 in cœlis coronatus. Exstant ex ejus scriptis *Commentar.* in Epp. Pauli cum *Glossa interlineari;* Libel. de *Corpore et Sanguine Domini* cont. Berengarium ; *de celanda confessione; Annotationes* in Cassiani collationes ; *Decreta* pro Ord. S. Benedicti ; *Sermones et Epistolæ* varii argumenti. Sua illum ætas ut magnum sanctitate et doctrina Præsulem, præsens etiam ut Theologiæ præformatorem veneratur. *Stylus* planus et dialectices amans. *Editio* Lucæ Dacherii Veneta 1745.

Simonius cir. an. 1005 scripsit *Historiam* Francorum.

Leo Grammaticus *Chronographiam* Græcorum an. 1013 terminatam.

Ditmarus Ep. Marburgensis † 1018. *Chronicon* Impp. Saxonum.

Burgardus Ep. Wormatiensis † 1025. *Volumen Decretorum* seu Collectionem Canonicam.

Herigerus Lobiensis † 1027. L. *de Corp. et Sang. Domini;* Dial. *de Dissonantia Ecclesiæ.*

Fulbertus Ep. Carnotensis † 1028. Sermones, Canones, Epistolas.

Ademarus *Chronicon* Francorum ad an. 1029 perductum.

Symeon Constantinopolitanus, dictus *junior* vel *Theologus* cir. an. 1030. Orationes 33 *de Fide et moribus; Capitula* 228 ; *Moralia practica et Theologica.*

Eustathius an 1033. Commentar. *de duobus consobrinis.*

Nilus *Doxopatrius* cir. an. 1043. L. *de Patriarcharum sedibus.*

Glaber Radulphus LL. 5 Historiarum an. 1045 finitos.

Berno Augiensis † 1045. L. *de officio Missæ.*

Bruno Ep. Wirceburgensis † 1045. Commentar. in *Psalmos;* in *Cantica* V. et N. Testamenti ; in *Symbola* Apostolorum , Ambrosii , Athanasii.

Odilo Cluniacensis † 1048. *Statutum de Defunctis;* Sermones et Epistolas.

Adeldanus cir. an. 1049. L. *de veritate Corp. et Sang. in Eucharistia.*

Hugo Ep. Lingonensis cir. med. Sec., L. *de Corp. et Sang. Domini.*

David Maronita an. 1053. Tr. *de Sectis et Opinionibus Orientalium.*

Hermannus Contractus † 1054. *Chronicon* de sex mundi ætatibus.

Georgius Cedrenus Annales ad an. 1057 perductos.

Joannes Xiphilinus an. 1057. Epitomen historicam.

Humbertus Cardin. † 1064. L. *cont. calumnias Mich. Cerularii; Refutationem* Nicetæ Pectorati ; *Relationem* gestorum a Rom. Legatis.

Durandus cir. an. 1070. Tr. *de Corp. et Sang. Christi.*

Willemarus cir. an. 1070. *Pharaphrasin* geminam *in Cantica.*

Adamus Bremensis Histor. Ecclesiasticam ad an. 1072 perductam.

Samona Gazensis cir. an. 1074. Libel. *pro Transsubstantiatione.*

Theoduinus † 1075. Libel. *de Corp. et Sang. Domini.*

Lambertus *Schaffnaburgensis* Histor. Ecclesiasticam ad an. 1077 provectam.

Theophylactus Arch. Archidiensis an. 1077 superstes, Commentar. *in Evangelia, Actus Apostolorum, Epistolas Pauli, Prophetas minores; Institutionem Regiam;* Orat. *de adoratione Crucis;* Epistolas 75.

Joannelinus † 1078. *Libellum Precum,* ex Patribus excerptum.

Albericus Cardin. cir. an. 1079. LL. *de Corp. Domini, de Virginitate Deiparæ; Dictaminum et salutationum; Hymnos* de Mysteriis aut Sanctis.

Guitmundus † 1080. LL. 3 *de veritate Corp. et Sang. Domini;* Confessionem *de Trinitate et Humanitate Christi.*

Michael Psellus cir. an. 1080 commentar. *in Cantica* prosaicum et metricum; Libel. *de 7 Synod. æcumenicis;* Capita *de Trinitate et persona Christi;* Dial. *de operatione Dæmonum.*

Joannes Curopalates *Historiam* rerum in Oriente usque ad an. 1081 gestarum.

Marianus Scotus *Chronicon* ad an. 1083 pertingens.

Alphanus Ep. Salemitanus † 1086. *Confessionem* metricam; *Hymnos* de Sanctis.

Berengarius † 1088 *formulas fidei* tres, seu Retractationes suæ hæresis.

Anselmus Ep. Lucensis † 1088. LL. 2 cont. Guibertum Antipapam; Collectanea seu sententias *pro immunitate Ecclesiastica.*

Bonitus † 1089. *Paradisum Augustinianum* seu epitomen operum et sententiarum S. Aug.; *Syntagma decretorum* Ecclesiasticorum.

Joannes Antiochenus cir. an. 1090. *Eclogas Asceticas.*

Petrus Constantinopolitanus cir. an. 1092. *Responsa brevia* ad diversos casus.

Philippus Solitarius cir. an. 1095. *Regulam fidei et vitæ christianæ,* per dialogum animam inter et carnem.

Raymundus de Ageles cir. fin. Secul. *Histor. Hierosolymitanam.*

Bertholdus *Historiam* cœvam ad an. 1100 protractam.

Bruno Fund. Carthusianorum † 1101. Expositionem in *Psalmos, Epp. Pauli;* Libros *de Laudibus Ecclesiæ, de ornamentis ejusdem, de Novis;* Sermones *in festa Christi et Deiparæ, de Martyribus, de Confessoribus, de S. Michaele, de contemptu mundi; Confessionem fidei* et Epistolas.

Seculum XII.

Anselmus Archiep. Cantuariensis, Augustæ in Alpibus an 1033 natus, ex Beccensi post Lanfrancum Priore, ac dein Abbate, Archipræsul Angliæ an. 1093 creatus, pro cœlibatu contra Clericos incontinentes, pro Ecclesiastico jure contra Regem suum Investituras usurpantem, pro fidei doctrina contra Græcos Spiritus S. processionem mutilantes, multa dixit, scripsit, fecit, tulitque, dum rebus ubique ad felicem exitum perductis, finem vitæ beatum an. 1109 consequeretur. Exstant. ab eo *Monologium; Prosologium; Apologeticum cont. Insipientem;* Dialogi *de veritate; de libero arbitrio; de casu Diaboli:* Libri 1 *de fide* seu *incarnatione Verbi;* 2 *Cur Deus homo?*

1 *de processione Sp. S.*; 1 *de Conceptu Virginali et peccato originali*; 1 *de Concordia præscientiæ, prædestinationis et gratiæ cum libertate*; 1 *de Sacramentorum diversitate et Corp. et Sang. Domini*; 1 *de tribus Wallerani quæstionibus*, præsertim *de azymo et fermentato*; 10 *Meditationum*; *Homiliæ*; *Orationes*, *Hymni* varii; LL. 3 *epistolarum*. Præter cætera elogia dum Anselmo notam *anxie docti* tribuit Malmesburiensis, eum inter Latinos Theologiæ Scholasticæ auctorem designat. *Stylus* ejusdem metaphysicus potius quam dialecticus aut oratorius apparet. Editio Gabrielis Gerberon; Parisiis 1721.

Bernardus an. 1091 mundum, an. 1113 Monasterium Cisterciense ingressus, biennio post Claravallensi cœnobio Abbas datur. Apud summos imosque perfecit plurima, sive ad fidei veritatem tuendam, sive ad unitatem Ecclesiæ redintegrandam, sive ad sanctitatem et disciplinam in omni hominum genere conservandam aut reparandam : quas ob res susceptis profectionibus frequentissimis, habitis collationibus aut disceptationibus, editis apologiis et institutionibus exhaustus an. 1153 meritis plenus obiit. Habentur ab illo Sermones 86 *in* 3 *priora cap. Canticorum*; 17 *in Psalmum* 90um, plurimi *in Dominicas et Festa* per annum; 111 *de Diversis*; Libri 5 *de Consideratione*; Tractatus *de erroribus Petri Abailardi*; *de Gratia et libero arbitrio*; *de Quæstionibus ab Hugone propositis*; *de diligendo Deo*; *de contemptu mundi*; *de gradibus humilitatis et superbiæ*; *de moribus et officio Episcoporum*, *de conversione* ad Clericos, *de præcepto et dispensatione* ad Monachos; *Apologia* de vita et moribus Religiosorum; *Formula privatæ confessionis*; *vita et res gestæ S. Malachiæ*, cum Sermone de eodem; *Epistolarum* centuriæ tres et amplius. Communi omnium judicio Pater fuit et Doctor Mellifluus: *Stylus* Scripturæ verbis potius quam Scriptoris concinnatus. Editio Joannis Mabillon; Veronæ 1726.

Franco cir. an. 1111 scripsit LL. 12 *de gratia Dei*.

Odo Abb. Tornacensis † 1113. LL. *de myster. Incarnationis*; *cont. Leonem Judæum*; *de peccato originali*; *de blasphemia in Sp. S.*; *Expositionem Canonis Missæ*.

Sigebertus Gemblacensis † 1113. *Chronicon*; L. *de scriptoribus Ecclesiasticis*.

Gislebertus † 1114. L. *de Fide* cont. Judæos.

Ivo Ep. Carnoten. † 1115. L. *Decretorum*; *Panormiam*; Serm. et Epp.

Euthymius *Zigabenus* cir. an. 1116 præter Commentarios *Panopliam fidei* cont. hæreses.

Michael Glycas Annales an. 1118 finientes : sub idem tempus.

Nicephorus Bryennius, Anna Commena, et Joan Zonaras suas historias.

Nicetus Byzantius cir. an. 1120. *Apologiam pro Conc. Chalcedonensi* cont Armenos.

Arnulphus † 1124. Libel. *de Incestis nuptiis*; *solutiones QQ. de Corp. et Sang. Christi*.

Guibertus Abb. † 1124. LL. 10 *Moralium* in Job; 3 *de Pignoribus Sanctorum*. 1 *de Incarnatione*; 1 *de Virginitate*; 1 *de laude B. M.*; epist. *de veritate Dominici corporis*.

Stephanus Ep. Augustodun. an. 1129 abdic. L. *de Sacram. Altaris* illucque pertinentibus.

Algerus cir. an. 1130. LL. *de Corp. et Sang. Domini*; *de misericordia et justitia*.

Honorius Augustodun. cogn. *solitarius* cir. an. 1131. L. *de Luminaribus magnis* seu de scriptoribus Ecclesiasticis; *Inevitabile,* seu de prædestinatione et lib. arbitr.; *Gemmam animæ*, seu de Officio Missæ; Libel. *de Hæresibus; seriem Pontificum; Synopsin mundi; Elucidarium.*

Rupertus Abb. Tuitiensis † 1135. Commentar. in utr. Test. seu LL. 42 *de Trinitate; in Proph. minores; in Job; in Ecclesiasten; in Cantica; in Evang. Joannis; in Apocalypsin;* Libros 8 *de Rege David;* 13 *de gloria Filii hominis;* 9 *de gloria Trinitatis et processione Sp. S.;* 13 *de Victoria Verbi Dei;* 12 *de div. Officiis;* 3 *Dialogorum Judæi et Christiani;* 2 *de morte;* 1 *de Omnipotentia :* 1 *de voluntate Dei;* 1 *de læsione virginitatis.*

Hildebertus de Lavardino † 1136. Poema *de concordia* V. et N. *Testamenti;* tum V. et N. *Sacrificii;* Prosa *de Natali Domini; Sermo Synodicus.*

Rodulfus Abb. S. Trudonis † 1138. *Collectionem decretorum;* LL. 5 cont. Simoniacos.

Gillebertus † 1139. Libel. *de statu Ecclesiæ.*

Hugo a S. Victore † 1140. *Annotationes.* in scripturam et scriptores sacros; *allegorias* in V. et N. Testam.; *excerptiones et commentaria* in plures Scripturæ libros; *Summam sententiarum,* cum aliis ad scripturam vel Theologiam spectantibus;

Odericus Vitalis LL. *histor.* Ecclesiasticæ 1142 finitæ.

Otto Ep. Frisingensis *Chron.* an. 1146 desinens.

Malachias Ep. Armachanus † 1148, ut fertur, *Prophetiam de futuris Rom. Pontificibus.*

Robertus Pullus † 1150. LL. 8 *Sententiarum de Trinitate.*

Constantinus Harmenopulus circ. an. 1150. L. *de sectis Hæreticis; epitomen sacrorum Canonum.*

Gratianus Bonon. an. 1151. Collectanea decretorum canonicorum, seu *concordantiam discordantium Canonum.*

Sugerius † 1153. Libel. *de consecratione Ecclesiæ;* Constitutiones; Testamentum.

Wilhelmus Claravallensis cir. an. 1153 præter Comment. et Ascetica *speculum et ænigma fidei;* Disputationem cont. Abailardum; L. *de erroribus Guilielmi de Conchis;* L. *de Sacr. Altaris.*

Anselmus Ep. Havelsbergensis † 1154. Dialogos 3 cont. Græcos.

Petrus Mauritius cogn. *venerabilis* † 1156. Tractatus cont. Judæos; cont. Petrobusianos; cont. Hæreses et sectam Saracenorum.

Ecbertus Schœnaugiensis cir. an. 1160. Sermones *cont. Catharos.*

Arnoldus Carnotensis an. 1162 superstes, Tractatus *de opere* 6 *dierum, de* 7 *verbis Christi, de cardinalibus Christi virtutibus.*

Petrus Lombardus Ep. Parisiiensis † 1164. *Libros* 4 *Sententiarum,* seu summam Theologiæ ex Patribus methodo Scholastica digestam; *Glossas in Psalmos; Collectanea in Epp. Pauli.*

Hugo Ep. Rothomag. † 1164. Libros 3 *de Hæresibus;* 3 *de memoria dogmatum;* 3 *de Officiis et ministris Ecclesiæ.*

Pelagius Ep. Ovetensis *Chronicon* universale ad an. 1170 pertingens.

Joannes Cornubiensis cir. an. 1170. *Eulogium* seu de Philosophia et hæresibus; *Summam de Eucharistia et ordinibus Missæ.*

Theorianus cir. an. 1170. *Dialogum;* quo dogma Conc. Chalcedonensis auctoritate Patrum stabilitur.

Richardus a S. Victore † 1173. Libros 6 *de Trinitate;* 1 *de tribus personis;*

1 *de Incarnatione*; 2 *de Emmanuele*; 4 *Exceptionum*; 1 *de potestate ligandi et solvendi* : Explanationes *in Cantica et Apocalypsin* : Declarationes difficultatum Scripturæ, præsertim *de tabernaculo fœderis*; *de differentia sacrificii Abrahæ et David*; *de templo Salomonis*; *de concordia temporum Regum Juda et Israel*; *de visione et templo Ezechielis*; *de comparatione Christi ad florem*; *Mariæ ad virgam*; *de superexcellenti baptismo Christi*; *de Christo posito in signum*; *de Sp. S. missione*; *de Spiritu sancto, amore Patris et Filii*; *de aliquot dubiis Apostoli* : Tractatus *de gemino paschate, de judiciaria potestate in fine mundi*; *de spiritu blasphemiæ*; *de gradibus amoris*; *de differentia peccati venialis et mortalis.*

Hugo Etherianus LL. 3 *cont. errores Græcorum* an. 1177. Pontifici oblatos.

Philippus Harvengius post an. 1180. *Commentar.* mysticum et morale *in Cantica* : Tractatus *de lapsu primi hominis*; *de damnatione Salomonis*; *de somnio Nabuchodonosoris*; *de Clericorum dignitate et dotibus* : Epistolas, carmina, vitas.

Guilielmus Tyrius *historiam belli Palæstini* ad an. 1180 excurrentem.

Arnulphus Ep. Luxov. † 1182. Tr. *de schismate pontificio.*

Joannes Sarisburensis † 1182. *Commentar. in Epp. Pauli*; *Polycraticum*; seu de nugis Curialium et vestigiis Philosophorum.

Andronicus Commenus † 1185. *Dial. cont. Judæos.*

Godefridus Viterbiens. *Chron.* universale an. 1186 desinens.

Saxo Grammaticus *historiam* an. eodem terminatam.

Petrus Cellensis † 1197. L. *de conscientia*; *Sermones de tempore.*

Balduinus Cantuar. † 1192. LL. *de commendatione fidei*; *de Sacram. Altaris.*

Petrus Comestor † 1198. *Historiam Scholasticam* seu totius Scripturæ.

Petrus Blesensis † cir. an. 1200. Libros vel Tractatus *Instructionis fidei*; *de Scriptoribus sacror. librorum*; *cont. perfidiam Judæorum*; *de confessione*; *de pœnitentia injungenda*; *de institutione Episcopi*; *de Eucharistia*, etc.

Theodorus Balsamon † seq. sec. initio. *Commentar. in canones Apostol. et Conciliorum*; *in Nomocanonem*; *collectionem canonum*, etc.

Plures tum scriptores tum scriptorum lucubrationes nominandi erant, si instituti ratio Patrum venerationi devota et Theologicæ eruditioni intenta recensere omnes postulasset. Prioris defectus fecit, ut scriptores hæreticos, schismaticos, aut impios passim omitteremus : posterioris autem, ut meros Ascetas et Epistolographos quidem sobrie, historicos profanos et biographos parce, Philosophos autem et Grammaticos rarissime laudaremus; hæc opera scilicet illis relicta, qui Historiam litterariam universim prosequuntur.

CAPUT II.

DE THEOLOGIA ET JURISPRUDENTIA.

Geminam hanc disciplinam ad unum Caput reducimus; quia, cum Juris sacri scientiam sub titulo duntaxat hic indicamus, sicut utraque ex iisdem fontibus nascitur, sic neutra, nisi conjuncta, perfectum aut Theologum aut Jurisperitum constituit. Præmissa utriusque notitia brevi, de auctoritate cuilibet competente, quantum satis est, disseremus.

ARTICULUS I.

QUÆNAM SIT THEOLOGIÆ NOTIO ET HISTORIA.

224. *Nota.* Theologia vi nominis idem sonat ac quæcumque de Deo sermocinatio : strictissime sumpta solam de divinitate tractationem significat; minus stricte, proprie tamen accepta, pro disciplina usurpatur, quæ de Deo rebusque divinis aut ad illum pertinentibus disserit. Ea, si solo naturæ lumine ducitur, et principiis naturalibus nititur; naturalis audit, et ad Metaphysicam spectat : si vero principiis nitatur divinitus revelatis et superni luminis adjutorio cognitis; supernaturalis est, et sicut per antonomasiam Theologia dicitur, sic nostræ disquisitionis argumentum constituit. Ad hoc vero tractandum nihil attinet spectare Theologiam, alteram beatorum, viatorum alteram, istamque dividere in infusam et acquisitam; cum instituti nostri ratio sermonem præsentem ad disciplinam in præsenti vita et proprio studio comparandam satis determinet. Porro istud Theologiæ genus universim dividere licet in didacticam seu præceptivam, et in mysticam seu affectivam; quarum ista voluntatem in Deum movet ac dirigit, ideoque Ascesis et Spiritualis vitæ magistris propria est; illa vero intellectum cognitionibus divinis imbuit, et hinc Scholarum Doctoribus et sacræ scientiæ magistris competit. Proxima Theologiæ didacticæ divisio in Positivam et Scholasticam communius quidem statuitur ab omnibus, sed a diversis diversimode exponitur. Juxta aliquos enim Positiva solum occupatur in Theologiæ principiis, quæ constitutiva diximus, examinandis, asserendis et stabiliendis; Scholastica autem ad alia pleraque Theologiæ principia et objecta etiam extenditur : juxta alios vero Positiva latius quidem quoad materiam protenditur, fidei tamen morumque dogmata duntaxat tractat, et ex solis principiis constitutivis ac directivis deducit; cum e contrario Scholastica dicatur in abstrusis solum ac metaphysicis quæstionibus versari, et rationi potissimum humanæ ac Philosophiæ inniti : a reliquis demum diversitas a sola methodo

desumitur, cum juxta hos Positiva oratione sive plana et naturali sive elegantiore et rhetorica ad sua solum exponenda asserta procedat; Scholastica vero stylo simplici quidem et aperto, sed conciso ac presso, atque ad leges Dialecticæ strictamque Syllogisticen exacto suas positiones non tantum stabiliat, sed pugnax etiam vindicet ab oppositis.

Quanquam vero, quæ in Expositionum 3ª de utraque, in 2ª de Positiva, et in 1ª de Scholastica proferuntur, facile admittamus; acceptionem tamen Positivæ et in 1ª nimis adscriptam et mancam censemus : illa autem, quæ de Scholastica 2º loco dicuntur, tanquam vitium aut præconceptam aliquorum opinionem falsam repudiamus. Quæ enim, præter fidei morumque dogmata certa, subtilius adhuc a germana scholastice pertractantur, ad ipsa hæc dogmata aut illustranda, aut firmanda, aut tuenda pertinent : argumenta autem, si quæ ex Philosophia et Ratione producuntur, vel contra Infideles principiis fidei haud acquiescentes, vel tanquam extranea et probabilia, non ad fundandam sed ad juvandam veritatem adjiciuntur; prout a S. Patribus factum videmus, et D. Thomas p. 1, q. 1, ostendit. Quare, cum pateat discrimen inter utramque vel ab extensione vel a methodo duntaxat desumi, divisa nuper Theologia, quoad substantiam una eademque, aut Positivo-Scholastica vocari potest; hic autem pro genere proximo Theologiæ, de qua in præsens agimus, a nobis usurpatur.

225. *Dico I.* **Theologia proprii nominis est disciplina sacra, quæ fidei morumque dogmata, ac veritates illis affines aut eo ordinatas ex principiis sacræ scientiæ deducit, rite disponit, stabilit, propugnat.**

Dicitur 1º *Disciplina sacra* tum ratione subjecti, quod est Deus; cum docente D. Thoma in sacra doctrina omnia pertractentur sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad principium vel finem : tum ratione scopi; qui est cognoscere et amare Deum et Jesum Christum. 2º *Fidei morumque dogmata,* tanquam actus Theologiæ primarios. 3º *Veritates affines aut eo ordinatas;* quæ quamvis actus secundarii sint, ad majorem tamen priorum elucidationem firmitatemque serviunt. 4º *Ex principiis sacræ scientiæ deducit;* quia primum Theologiæ munus est ea, quæ in Scripturis aut Traditione abdita continentur, in lucem velut e tenebris eruere, et quid inde consequens vel repugnans sit, elicere. 5º *Rite disponit* quia secundum munus est inventa hujusmodi et deducta in unum velut corpus colligere, collecta in titulos et quæstiones distribuere, distributa congruo et facili ordine disponere; 6º *Stabilit;* quia tertium munus est, conclusiones dogmaticas juxta et theologicas omni argumentorum genere munire, explanare, illustrare. 7º *Propugnat;* quia munus quartum est, doctrinam sacram et sanam tueri, atque tum ab infidelium et hæreticorum sive calumniis sive sophismatibus, tum a Catholicorum sive errantium sive repugnantium difficultatibus aut tricis liberare ac præstare immunem. Cujusmodi officia varia adumbravit Augustin., L. 14 de Trin., c. 1 *Sapientiam,* seu rerum divinarum scientiam, illam enuntians, *qua fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur : qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud enim est scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam : aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur.*

226. *Dico II.* **Theologia dupliciter dividitur;**

1. Ratione finis saltem immediati in *speculativam et practicam :* prior per se terminatur cognitione, et fidem aut scientiam parit; continetque sub se quæstiones circa Dei naturam, attributa, Trinitatem, Incarnationem, aliaque hujusmodi : posterior ad actionem tendit, et morum informationem aut sacrum exercitium dirigit; atque hinc circa principia actionum humanarum, regulas moralitatis, Leges, administrationem et usum Sacramentorum, aliaque ad praxin facientia versatur.

2. Ratione materiæ ac in partes quasi subjectivas dividitur in Scripturalem, Dogmaticam, Polemicam, Moralem, et Scholasticam. *Scripturalis* seu Scripturistica Librorum sacrorum authentiam, numerum, argumentum, Auctores et Interpretes recenset; sensus varios ac genuinam intelligentiam scrutatur; versionem ad fontes, argumentum ad scriptionis qualitates, vim probandi ad critices regulas examinat; antilogias conciliat; controversias dissolvit; spectantia ad fidem, ad mores, ad jus, ad historiam aliasque scientias, observat. *Dogmatica* ex Verbo Dei scripto aut tradito fidei morumque dogmata et alias veritates revelatas eruit, auctoritate Ecclesiæ, Conciliorum, Pontificum ac præsertim Patrum munit et illustrat. *Polemica* seu Controversa in iisdem veritatibus adversus fidei aut veritatis hostes propugnandis, istorum autem erroribus aut quorumcumque propositionibus censuram merentibus confutandis occupatur. *Moralis* seu Casuistica a principiis generalibus vel præjactis vel præsuppositis ad specialia descendit, indeque prudenti facta applicatione particulares materias, quas conscientiæ casus vocant, decidit. *Scholastica* pure talis ex veritatibus revelatis elicit legitimas sanæ doctrinæ conclusiones, quæ ad fidei dogmata et morum principia aut illustranda, aut explicanda, aut firmanda conducunt; eoque extranea rationis et auctoritatis humanæ, necnon scientiarum naturalium subsidia non raro adsciscit. Ex his Theologiæ sive partibus sive speciebus vix ulla jam solitarie tractatur, sed plerumque mixta in scholis educitur, jam Scripturistico-Polemica, jam Dogmatico-Scholastica, jam alia, compositionem aliis iisque vel pluribus vel paucioribus membris integrantibus.

227. *Dico III.* Theologia hactenus descripta præformata est **in Oriente,** Seculo 8 a Joanne Damasceno in Libris tum Parallelorum tum orthodoxæ fidei; **in Occidente** Sec. 11 tum a Lanfranco tum maxime ab Anselmo Archiep. Cantuariensi in Libris tomum Editionis Gerberonianæ primum constituentibus. Edidit eamdem Sec. 12 Petrus Lombardus Ep. Parisiensis in quatuor libris sententiarum : quorum 1^mus^ doctrinam de Trinitate et Unitate Dei, 2us de Creatione mundi, præsertim Angelorum et hominum, ac de Gratia Dei, 3us de Incarnatione Verbi, deque Virtutibus et vitiis, 4us de Sacramentis et quatuor Novissimis potissimum ex Patrum effatis depromptam continet. Rude tamen etiamnum opus erat, judice Melchiore Cano, et testimoniorum congeriem potius quam dispositionem et rationem Disciplinæ referebat. Eam tandem perfecit Sec. 13. Divus Thomas Aquinas in sua Summa Theologica, quæ aliorum ipsius librorum veluti compendium est, ex quibus supplementum etiam partis 3^æ^, quam Auctor morte occupatus finire haud poterat, est desumptum. Sub hujus seculi finem et initium sequentis Theologorum natio scissa est in tres sectas, seu, ut aiunt, vias; quarum 1ma Thomistica complectitur illos, qui D. Thomæ placita sectantur : 2^a^ Ægidiana eos, qui Ægidii Romani, familia Columnensis, sententias amplectuntur :

3ª Scotistica hos, qui Joannis Duns, vulgo Scoti, sensus tuentur. Succedente tempore tum hæ ipsæ viæ divisæ in plures, ob diversa systematis proprii capita : tum 4ª emersit, recentiorum dicta, qui scilicet nullius magistri in verba jurare patientes systema Eclecticum aut novum constituerunt, quamvis ordinem vel Librorum sententiarum vel Summæ Thomææ non respuerent.

Vicissitudines alias aut fata Theologiæ enarrare, pretium ejusdem ac meritum extollere, illiusve famam vindicare a variorum hostium criminationibus nostri haud est instituti. Illud universim adnotasse sufficiat, commemoratam adhuc Theologiam secerni oportere a pseudoscholastica, quæ hominum vitio et abusu enata, aut quæstionum vanitate, aut levitate argumentorum, aut concertationum sive pertinacia sive fallacia, aut dictionum sive barbarie sive obscuritate jam sub prima initia damnationem Patrum Lanfranci, Anselmi et Bernardi, sub progressum exprobrationem Pontificum Gregorii IX et Joannis XXII, sub adultam ætatem ad Sec. 16 usque vituperia Doctorum Joan. Gersonis, Nicolai Clemangi, et Melchioris Cani, quin et universalem prudentum contemptum sibi accersivit, nunc autem, Theosophia propitia, plerisque ex Academiis exulat.

228. *Observa.* Compendiariam Theologiæ œconomiam daturi, synopsin materiarum ex summa Theologica Doctoris Angelici hic subjicimus. Redundare illa subinde in Philosophicis, deficere autem aliquando in Theologicis quæstionibus videri poterit non nemini ; qui vel scopum disputationis contra gentiles præsertim susceptæ ignoraverit, vel ex hæresibus postea exortis non meminerit necessitatem fuisse enatam, controversias nonnullas hac ætate tractandi uberius. Methodus disputandi universim continua non est, sed interpolata et secta in partes, quæstiones et articulos ; speciatim autem rationes dubitandi præmittit, tum subjungit assertum et probat, objectis demum difficultatibus respondendo satisfacit. Divisio totius operis fit in tres partes, quarum tamen altera in duas subdividitur, et hinc prior prima secundæ, posterior secunda secundæ compellatur. Partium harum et quæstionum illis contentarum titulos duntaxat damus, distincto etiam charactere illos notatos, qui sequentium velut capita quædam haberi possunt.

DIVI THOMÆ AQUINATIS

SUMMA TOTIUS THEOLOGIÆ.

PARS PIRMA

DE DEO, TRINITATE, MUNDO, ANGELIS ET HOMINIBUS,

Continet Quæstiones centum et novemdecim.

Quæstio 1. De ipsa sacra doctrina. 2. De Deo, an sit. 3. De simplicitate Dei. 4. De Perfectione Dei. 5. De Bono in communi. 6. De Bonitate Dei. 7. De Infinitate Dei. 8. De Existentia Dei in rebus. 9. De Immutabilitate Dei. 10. De Æternitate Dei. 11. De Unitate Dei. 12. De Cognitione et Visione Dei. 13. De Nominibus Dei. 14. De Scientia Dei. 15. De Ideis. 16. De Veritate. 17. De Falsitate. 18. De Vita Dei. 19. De Voluntate Dei. 20. De Amore Dei. 21. De Justitia et Misericordia Dei. 22. De Providentia Dei. 23. De Prædestinatione Dei. 24. De Libro Vitæ. 25. De Potentia Dei. 26. De Beatitudine Dei. 27. De Processione sive Origine Divinarum Personarum. 28. De Relationibus Divinis. 29. De Personis Divinis. 30. De Pluralitate Personarum in Divinis. 31. De pertinentibus ad Unitatem vel Pluralitatem div. Personarum. 32. De Cognitione div. Personarum. 33. De pertinentibus ad personam Patris. 34. De Verbo in Divinis. 35. De hoc nomine Filii, quod est imago. 36. De pertinentibus ad nomen Spiritus sancti. 37. De nomine Sp. S., quod est Amor. 38. De nomine Sp. S., quod est donum. 39. de Personis in comparatione ad essentiam. 40. De Personis in comparatione ad relationes sive proprietates. 41. De Personis per comparationem ad actus notionales. 42. De æqualitate et similitudine div. Personarum ad invicem. 43. De Missione div. Personarum.

44. De prima causa omnium entium. 45. De Creatione. 46. De principio durationis rerum. 47. De distinctione rerum in communi. 48. De distinctione rerum in speciali et primo de Malo. 49. De causa mali. 50. De substantia Angelorum absolute. 51. De Angelis in comparatione ad corpora. 52. De Angelis in comparatione ad locum. 53. De motu locali Angelorum. 54. De virtute cognoscitiva Angeli. 55. De medio cognitionis Angelicæ. 56. De cognitione Angelica ex parte rerum immaterialium. 57. De Cognitione Angelorum, quantum ad res materiales. 58. De modo cognitionis Angelicæ. 59. De

Voluntate Angelorum. 60. De Amore seu dilectione Angeli. 61. De productione Angelorum in esse naturæ. 62. De productione Angeli in esse gratiæ et gloriæ. 63. De malitia Angelorum quoad culpam. 64. De pœna Dæmonum. 65. De opere creationis CREATURÆ CORPORALIS. 66. De ordine creationis ad distinctionem. 67. De opere distinctionis primi diei. 68. De opere secundi diei. 69. De opere tertii diei. 70. De opere quarti diei. 71. De opere quinti diei. 72. De opere sexti diei. 73. De pertinentibus ad diem septimum. 74. De omnibus septem diebus in communi. 75. DE HOMINE QUANTUM AD ESSENTIAM ANIMÆ. 76. De unione animæ ad corpus. 77. De pertinentibus ad potentias animæ in generali. 78. De potentiis animæ in speciali, et primo de iis, quæ sunt præambula ad intellectum. 79. De potentiis intellectivis. 80. De Appetitu in communi. 81. De Sensualitate. 82. De Voluntate. 83. De Libero arbitrio. 84. Quomodo anima corpori unita intelligat corporalia, quæ sunt infra ipsam. 85. De modo et ordine intelligendi. 86. Quid intellectus hominis cognoscat in rebus corporalibus et materialibus. 87. Quomodo anima intellectiva cognoscat seipsam et ea, quæ in ea sunt. 88. Quomodo anima humana cognoscat ea, quæ sunt supra se. 89. De cognitione animæ separatæ. 90. De productione hominis quantum ad animam. 91. De productione corporis primi hominis. 92. De productione mulieris. 93. De fine sive termino productionis hominis, prout dicitur factus ad imaginem et similitudinem Dei. 94. DE STATU VEL CONDITIONE PRIMI HOMINIS quoad intellectum. 95. De pertinentibus ad voluntatem primi hominis, sc. de gratia et virtute et justitia. 96. De dominio, quod homini competebat in statu innocentiæ. 97. De pertinentibus ad statum primi hominis, quantum ad conservationem individui. 98. De his, quæ pertinent ad conservationem speciei per generationem. 99. De conditione prolis generandæ, quantum ad corpus in illo statu. 100. De conditione prolis tunc generandæ, quoad justitiam. 101. De conditione prolis tunc generandæ, quoad scientiam. 102. De Paradiso. 103. DE GUBERNATIONE RERUM in communi. 104. De effectibus divinæ gubernationis in speciali. 105. De mutatione creaturarum a Deo. 106. De actu Angelorum, qui est invicem illuminare. 107. De locutione Angelorum. 108. De ordinatione Angelorum secundum hierarchias et ordines. 109. De ordine malorum Angelorum scilicet Dæmonum. 110. De præsidentia Angelorum super corporalem creaturam. 111. De actione Angelorum in homines. 112. De missione Angelorum ad homines. 113. De custodia hominum a bonis Angelis. 114. De impugnatione Dæmonum. 115. De actione corporalis creaturæ. 116. De Fato. 117. De pertinentibus ad actionem hominis. 118. De traductione hominis ex homine secundum animam. 119. De propagatione hominis quantum ad corpus.

PRIMA SECUNDÆ

DE BEATITUDINE, ACTIBUS HUMANIS, PASSIONIBUS, HABITIBUS, VIRTUTIBUS, PECCATIS ET VITIIS, LEGIBUS, GRATIA ET MERITO.

Continet Quæstiones centum et quatuordecim.

Quæstio 1. De Fine ultimo hominis in communi. 2. DE BEATITUDINE HOMINIS, in quibus consistat. 3. De Beatitudine, quid sit. 4. De his, quæ exiguntur ad beatitudinem. 5. De adeptione beatitudinis. 6. DE VOLUNTARIO

ET INVOLUNTARIO. 7. De circumstantiis humanorum actuum, in quibus voluntarium invenitur. 8. De voluntate quorum sit ut volitorum. 9. De motivo voluntatis. 10. De modo, quo voluntas movetur. 11. De fruitione, quæ est actus voluntatis. 12. De intentione, quæ est actus voluntatis. 13. De electione, quæ est actus voluntatis, in comparatione ad ea, quæ sunt ad finem. 14. De consilio, quod præcedit electionem. 15. De consensu, qui est actus voluntatis in comparatione eorum, quæ sunt ad finem. 16. De usu, qui est actus voluntatis in comparatione ad ea, quæ sunt ad finem. 17. De actibus imperatis a voluntate. 18. De bonitate et malitia humanorum actuum in generali. 19. De bonitate et malitia humanorum actuum interioris voluntatis. 20. De bonitate et malitia exteriorum actuum humanorum. 21. De his, quæ consequuntur actus humanos, ratione bonitatis et malitiæ. 22. De Passionibus Animæ in generali. 23. De differentia passionum ab invicem. 24. De bono et malo circa passiones animæ. 25. De ordine passionum ad invicem. 26. De passionibus animæ in speciali : de Amore. 27. De causa amoris. 28. De effectibus amoris. 29. De Odio. 30. De Concupiscentia. 31. De Delectatione secundum se. 32. De causa delectationis. 33. De effectibus delectationis. 34. De bonitate et malitia delectationum. 35. De Tristitia seu dolore secundum se. 36. De causis tristitiæ seu doloris. 37. De effectibus tristitiæ seu doloris. 38. De remediis tristitiæ seu doloris. 39. De bonitate et malitia tristitiæ seu doloris. 40. De Passionibus Irascibilis. De Spe et Desperatione. 41. De Timore secundum se. 42. De objecto timoris. 43. De causa timoris. 44. De effectibus timoris. 45. De Audacia. 46. De Ira secundum se. 47. De causa effectiva iræ, et de remediis ejus. 48. De effectibus iræ.

49. De Habitibus in generali, quantum ad substantiam eorum. 50. De subjecto habituum. 51. De causa habituum, quantum ad generationem ipsorum. 52. De causa habituum, quantum ad augmentum. 53. De corruptione et diminutione habituum. 54. De distinctione habituum. 55. De Virtutibus, quantum ad suas essentias. 56. De subjecto virtutis. 57. De distinctione virtutum. 58. De distinctione virtutum moralium ab intellectualibus. 59. De distinctione virtutum moralium secundum comparationem ad passiones. 60. De distinctione virtutum moralium ad invicem. 61. De virtutibus cardinalibus. 62. De virtutibus theologicis. 63. De causa virtutum. 64. De medio virtutum. 65. De connexione virtutum. 66. De æqualitate virtutum. 67. De duratione virtutum post hanc vitam. 68. De Donis. 69. De Beatitudinibus. 70. De Fructibus. 71. De Peccatis et Vitiis secundum se. 72. De distinctione peccatorum et vitiorum. 73. De comparatione peccatorum ad invicem. 74. De subjecto peccatorum et vitiorum. 75. De causis peccatorum in generali. 76. De ignorantia, quæ est causa peccati ex parte rationis. 77. De causa peccati ex parte appetitus sensitivi. 78. De causa peccati quæ est ex parte voluntatis, quæ dicitur malitia. 79. De causis peccati exterioribus ex parte Dei. 80. De causa peccati ex parte diaboli. 81. De causa peccati ex parte hominis, et traductione peccati originalis. 82. De peccato originali, quantum ad suam essentiam. 83. De subjecto originalis peccati. 84. De causa peccati, secundum quod unum peccatum est causa alterius. 85. De effectibus peccati, quantum ad corruptionem boni naturæ. 86. De effectu peccati, quantum ad maculam animæ. 87. De effectu peccati, quantum ad reatum pœnæ. 88. De peccatis, quæ distinguuntur secundum reatum pœnæ, et de venialibus per comparationem ad mortale. 89. De veniali peccato secundum se.

90. De exteriori principio actuum movente ad bonum, scilicet De Lege

in communi, quantum ad ejus essentiam. 91. De legibus, quantum ad earum differentiam. 92. De lege, quantum ad suos effectus. 93. De legibus in speciali, quantum ad leges singulares : et de ipsa lege æterna. 94. De lege naturali. 95. De lege humana secundum se. 96. De lege humana, quantum ad ejus potestatem. 97. De lege humana quantum ad ejus mutationem. 98. De veteri lege secundum se. 99. De veteri lege, quantum ad præcepta ejus, sc. de præceptorum ejus distinctione. 100. De præceptis veteris legis, et de moralibus. 101. De præceptis cæremonialibus veteris legis secundum se. 102. De præceptis cæremonialibus quantum ad suas causas. 103. De præceptis cæremonialibus, quantum ad eorum durationem. 104. De præceptis judicialibus in communi. 105. De præceptis judicialibus, quantum ad ipsorum rationem. 106. De lege nova sc. Evangelii secundum se. 107. De comparatione legis novæ ad veterem. 108. De his, quæ continentur in lege nova. 109. De principio exteriori humanorum actuum, per quod juvamur ad recte agendum, scilicet De Gratia, quantum ad ejus necessitatem. 110. De gratia Dei, quantum ad ejus essentiam. 111. De divisione gratiæ. 112. De gratia, quantum ad ejus causam. 113. De gratia, quantum ad ejus effectus. 114. De Merito, quod est effectus gratiæ cooperantis.

SECUNDA SECUNDÆ

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS ET CARDINALIBUS, OPPOSITISQUE VITIIS, GRATIIS GRATIS DATIS, DIVERSIS VITA, STATU ET OFFICIIS HOMINUM.

Continet Quæstiones centum octoginta novem.

Quæstio. 1. De virtutibus et vitiis in speciali, et primo De Fide, quantum ad ejus objectum. 2. De fide, quantum ad actum ejus interiorem, qui est credere. 3. De fide, quantum ad actum ejus exteriorem, qui est confiteri fidem. 4. De fide, quantum ad ipsum habitum fidei, et quantum ad ipsam fidem. 5. De habitu fidei, quantum ad habentes ipsam. 6. De habitu fidei, quantum ad ejus causam. 7. De ipsa fide, quantum ad suos effectus. 8. De correspondentibus virtuti fidei, et primo de dono intellectus. 9. De correspondentibus fidei, quantum ad donum scientiæ. 10. De fide, quantum ad vitia opposita; et primo de infidelitate in communi. 11. De vitiis oppositis fidei, quantum ad hæresin. 12. De vitiis oppositis fidei, quantum ad apostasiam. 13. De vitiis oppositis confessioni fidei, et primo de blasphemia in generali. 14. De blasphemia speciali, quæ est peccatum in Sp. sanctum. 15. De vitiis oppositis dono intellectus, sc. de cæcitate mentis et hebetudine sensus. 16. De præceptis pertinentibus ad fidem, dona scientiæ et intellectus. 17. De Spe, quantum ad ipsam spem. 18. De spe, quantum ad subjectum ejus. 19. De dono Timoris, quod respondet spei. 20. De spe, quantum ad vitia opposita, et 1° de Desperatione. 21. De Præsumptione. 22. De præceptis pertinentibus ad spem et ad donum timoris. 23. De Charitate secundum se. 24. De charitate in comparatione ad subjectum. 25. De charitate, quantum ad ejus objectum. 26. De charitate, quantum ad ordinem diligendorum. 27. De charitate, quantum ad ejus actum principalem, qui est dilectio. 28. De interioribus effectibus charitatis, et 1° de gaudio. 29. De effectibus charitatis, quantum ad pacem. 30. De effectibus charitatis, quantum ad misericordiam. 31. De exterioribus effectibus charitatis, et 1° de beneficentia. 32. De

effectibus charitatis, quantum ad eleemosynam. 33. De effectibus charitatis, quantum ad correctionem fraternam. 34. De vitiis oppositis charitati, et 1° de odio. 35. De vitiis oppositis charitati, quantum ad acediam. 36. De vitiis oppositis charitati, quantum ad invidiam. 37. De discordia, quæ opponitur effectui charitatis, qui est pax. 38. De contentione, quæ opponitur paci quantum ad os. 39. De schismate, quod opponitur paci quantum ad opus. 40. De bello, quod opponitur paci quantum ad opus. 41. De rixa, quæ opponitur paci quantum ad opus. 42. De seditione, quæ opponitur paci quantum ad opus. 43. De scandalo, quod opponitur charitati quantum ad beneficentiam. 44. De præceptis charitatis. 45. De dono sapientiæ, quod respondet charitati. 46. De stultitia quæ opponitur sapientiæ.

47. De Prudentia secundum se. 48. De prudentia quantum ad partes suas in generali. 49. De partibus prudentiæ quasi integralibus. 50. De speciebus prudentiæ, quæ sunt ad multitudinem. 51. De prudentia, quantum ad virtutes ei adjunctas, et partes potentiales. 52. De dono consilii, quod respondet prudentiæ. 53. De vitiis prudentiæ oppositis, et primo de imprudentia. 54. De negligentia. 55. De vitiis prudentiæ oppositis, quæ cum illa habent similitudinem. 56. De præceptis pertinentibus ad prudentiam. 57. De Justitia et 1° de Jure. 58. De Justitia. 59. De Injustitia. 60. De Judicio. 61. De partibus justitiæ, et 1° de partibus subjectivis. 62. De Restitutione, quæ est actus justitiæ commutativæ. 63. De vitiis oppositis justitiæ distributivæ, 1° de acceptione personarum. 64. De vitiis oppositis justitiæ commutativæ, et 1° de homicidio. 65. De injuriis in personam proximi commissis. 66. De furto, quod infert nocumentum proximo in bonis. 67. De injustitia judicis in judicando. 68. De his quæ pertinent ad justam accusationem. 69. De injustitia ex parte Rei, sive accusati, in sua defensione. 70. De injustitia ex parte Testis in testificando. 71. De injustia ex parte Advocatorum in judicio. 72. De injuriis verborum extra judicium, et 1° de Contumelia. 73. De Detractione. 74. De Susurratione. 75. De Derisione. 76. De Maledictione. 77. De Fraude in emptione et venditione. 78. De Usura. 79. De partibus integralibus justitiæ, sc. fac bonum, declina a malo. 80. De partibus potentialibus justitiæ, sc. virtutibus. 81. De singulis virtutibus justitiæ annexis, et 1° De Religione secundum se. 82. De actibus Religionis interioribus, et 1° de Devotione. 83. De Oratione. 84. De actibus exterioribus latriæ, et 1° de Adoratione. 85. De Sacrificiis. 86. De oblationibus et Primitiis. 87. De Decimis. 88. De Voto. 89. De Juramento. 90. De Adjuratione. 91. De Laude Dei. 92. De Superstitione opposita Religioni. 93. De speciebus superstitionis, et 1° quantum ad cultum indebitum. 94. De Idololatria. 95. De Divinationibus. 96. De superstitionibus Observantiarum. 97. De Tentationibus, queis Deus tentatur. 98. De Perjurio. 99. De Sacrilegio. 100. De Simonia. 101. De Pietate. 102. De Observantia. 103. De Dulia. 104. De Obedientia. 105. De Inobedientia. 106. De Gratia sive Gratudine. 107. De Ingratitudine. 108. De Vindicatione. 109. De Veritate. 110. De Mendacio. 111. De Simulatione. et Hypocrisi. 112. De Jactantia. 113. De Ironia. 114. De Amicitia, quæ Affabilitas dicitur. 115. De Adulatione. 116. De Litigio. 117. De Liberalitate. 118. De Avaritia. 119. De Prodigalitate. 120. De Epicheia. 121. De dono justitiæ correspondente sc. Pietate. 122. De præceptis justitiæ. De Fortitudine. 124. De præcipuo fortitudinis actu, sc. Martyrio. 125. De Vitiis fortitudini oppositis, et 1° de Timore. 126. De vitio Intimiditatis. 127. De Audacia. 128. De partibus fortitudinis in communi. 129. De iisdem in speciali, et 1° de Magnanimitate.

130. De Præsumptione. 131. De Ambitione. 132. De inani Gloria. 133. De Pusillanimitate. 134. De Magnificentia. 135. De vitiis magnificentiæ oppositis. 136. De Patientia. 137. De Perseverantia. 138. De vitiis perseverantiæ oppositis. 139. De dono correspondente fortitudini. 140. De præceptis fortitudinis. 141. De Temperantia. 142. De vitiis oppositis temperantiæ. 143. De partibus temperantiæ in generali. 144. De iisdem in speciali, et 1° de Verecundia. 145. De Honestate. 146. De Abstinentia. 147. De Jejunio. 148. De Gula. 149. De Sobrietate. 150. De Ebrietate. 151. De Castitate. 152. De Virginitate. 153. De Luxuria. 154. De partibus luxuriæ. 155. De Continentia. 156. De Incontinentia. 157. De Clementia et Mansuetudine. 158. De Iracundia. 159. De Crudelitate. 160. De Modestia in communi. 161. De Humilitate. 162. De Superbia in communi. 163. De superbia primi hominis. 164. De pœna primi peccati. 165. De Tentatione primorum Parentum. 166. De Studiositate. 167. De Curiositate. 168. De Modestia in exterioribus corporis motibus. 169. De Modestia in exteriori apparatu. 170. De præceptis temperantiæ.

171. De Gratiis gratis datis, et 1° de Prophetia, quantum ad ejus essentiam. 172. De causis Prophetiæ. 173. De modo cognitionis propheticæ. 174. De divisione Prophetiæ. 175. De Raptu. 176. De gratia Linguarum. 177. De gratia Sermonis sapientiæ seu scientiæ. 178. De gratia Miraculorum. 179. De divisione Vitæ. 180. De vita Contemplativa. 181. De vita Activa. 182. De comparatione vitæ activæ ad contemplativam. 183. De Officiis et statibus hominum in generali. 184. De Statu perfectionis in communi. 185. De his, quæ pertinent ad statum Episcoporum. 186. De statu Religionis, quantum ad principalia. 187. De his, quæ competunt Religiosis. 188. De differentia Religionum. 189. De Ingressu Religionis.

PARS TERTIA

DE INCARNATIONE, CHRISTI VITA ET MYSTERIIS, TRIBUS PRIMIS SACRAMENTIS ET PŒNITENTIA IN GENERE.

Continet Quæstiones nonaginta.

Quæstio 1. De Convenientia Incarnationis. 2. De modo unionis Verbi incarnati quoad ipsam unionem. 3. De modo unionis ex parte Personæ assumentis. 4. De modo unionis ex parte naturæ humanæ. 5. De modo unionis ex parte partium naturæ humanæ. 6. De modo assumptionis quantum ad ordinem. 7. De coassumptis in natura humana pertinentibus ad perfectionem, sc. de gratia Christi, prout est homo singularis. 8. De gratia Christi secundum quod est caput Ecclesiæ. 9. De scientia Christi in communi. 10. De scientia beata Christi. 11. De scientia indita vel infusa. 12. De scientia acquisita vel experimentali. 13. De potentia animæ Christi. 14. De defectibus, quos Christus assumpsit, quantum ad corpus. 15. De iisdem, quantum ad animam. 16. De his, quæ consequuntur unionem, quantum ad convenientia Christo secundum se. 17. De his, quæ pertinent ad unitatem Christi, quantum ad esse. 18. De iisdem, quantum ad voluntatem. 19. De iisdem, quantum ad operationem Christi. 20. De convenientibus Christo secundum subjectionem ejus ad Patrem. 21. De oratione Christi. 22. De Sacerdotio Christi. 23. De Adoptione Christi. 24. De Prædestinatione Christi. 25. De

Adoratione Christi. 26. De hoc, quod Christus dicitur Dei et hominum mediator.

27. De Sanctificatione B. Virginis. 38. De Virginitate B. Mariæ. 29. De Desponsatione Matris Dei. 30. De Annuntiatione B. Virginis. 31. De Conceptione Salvatoris, quantum ad materiam, de qua corpus conceptum. 32. De Conceptione Christi, quantum ad principium activum. 33. De modo et ordine Conceptionis. 34. De perfectione prolis conceptæ. 35. De Nativitate Salvatoris. 36. De Manifestatione Christi. 37. De Legalibus circa puerum Jesum observatis. 38. De Baptismo Joannis. 39. De Baptizatione Christi. 40. De modo conversationis Christi. 41. De tentatione Christi. 42. De Doctrina Christi. 43. De Miraculis a Christo factis in generali. 44. De Miraculis Christi in speciali. 45. De Transfiguratione Christi. 46. De Passione Christi. 47. De causa efficiente passionis. 48. De modo efficiendæ passionis. 49. De effectibus passionis. 50. De morte Christi. 51. De sepulchro Christi. 52. De descensu Christi ad inferos. 53. De Resurrectione Christi. 54. De qualitate hujus Resurrectionis. 55. De manifestatione Resurrectionis. 56. De causalitate Resurrectionis Christi. 57. De Ascensione Christi. 58. De Sessione Christi ad dexteram Patris. 59. De judiciaria Christi potestate.

60. De Sacramentis, quid sit sacramentum. 61. De necessitate sacramentorum. 62. De effectu sacramentorum, qui est Character. 64. De causa sacramentorum. 65. De numero et modo Sacramentorum. 66. De Sacramento Baptismi, quantum ad se. 67. De Ministris baptismatis. 68. De suscipientibus baptismum. 69. De effectibus baptismi. 70. De Circumcisione, quæ præcessit baptismum. 71. De præparatoriis ad baptismum concurrentibus. 72. De Sacramento Confirmationis. 73. De Sacramento Eucharistiæ. 74. De materia Eucharistiæ secundum speciem. 75. De Conversione panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi. 76. De modo, quo corpus Christi existat in eucharistia. 77. De Accidentibus remanentibus in hoc sacramento. 78. De Forma hujus sacramenti. 79. De effectibus hujus sacramenti. 80. De usu sive sumptione hujus sacramenti in communi. 81. De modo, quo Christus usus est in isto sacramento. 82. De Ministris hujus sacramenti. 83. De ritu hujus sacramenti. 84. De Sacramento Pœnitentiæ. 85. De Pœnitentia, secundum quod est virtus. 86. De effectu pœnitentiæ. 87. De remissione venialium peccatorum. 88. De reditu peccatorum per pœnitentiam dimissorum. 89. De recuperatione virtutum per pœnitentiam. 90. De partibus pœnitentiæ in generali.

SUPPLEMENTUM PARTIS TERTIÆ

DE PŒNITENTIÆ PARTIBUS, EXTREMA UNCTIONE, ORDINE, MATRIMONIO, RESURRECTIONE, EXTREMO JUDICIO, BEATIS ET DAMNATIS.

Continet Quæstiones nonaginta novem.

Quæstio 1. De Contritione. 2. De objecto contritionis. 3. De quantitate contritionis. 4. De tempore contritionis. 5. De effectu contritionis. 6. De Confessione et ejus necessitate. 7. De confessionis quidditate. 8. De Ministro confessionis. 9. De qualitate confessionis. 10. De effectu confessionis. 11. De sigillo confessionis. 12. De Satisfactione. 13. De satisfactionis possibilitate. 14. De qualitate satisfactionis. 15. De his, per quæ fit satisfactio. 16. De sus-

cipientibus hoc sacramentum. 17. De Potestate Clavium. 18. De effectu clavium. 19. De Ministris clavium. 20. De his, in quos usus clavium exerceri potest. 21. De Excommunicatione. 22. De his, qui excommunicare et excommunicari possunt. 23. De participatione cum excommunicatis. 24. De absolutione ab excommunicatione. 25. De Indulgentia secundum se. 26. De his, qui possunt indulgentias facere. 27. De his, quibus valent indulgentiæ. 28. De solemni ritu pœnitentiæ. 29. De Sacramento Extremæ Unctionis. 30. De effectu hujus sacramenti. 31. De ministro hujus sacramenti. 32. Quibus et in qua parte hoc sacramentum conferri debeat. 33. De iteratione hujus sacramenti. 34. De Sacramento Ordinis. 35. De effectu hujus sacramenti. 36. De qualitate suscipientium. 37. De distinctione ordinum. 38. De conferentibus hoc sacramentum, 39. De Impedimentis hujus sacramenti. 40. De his, quæ annexa sunt sacramento Ordinis. 41. De Sacramento Matrimonii, quod est in officium naturæ. 42. De Matrimonio, in quantum est Sacramentum. 43. De Matrimonio quantum ad Sponsalia. 44. De matrimonii definitione. 45. De Consensu matrimonii. 46. De consensu, cui advenit juramentum vel copula carnalis. 47. De consensu coacto. 48. De objecto consensus. 49. De bonis matrimonii. 50. De Impedimentis Matrimonii. 51. De impedimento Erroris. 52. De impedimento Conditionis Servitutis. 53. De impedimento Voti et Ordinis. 54. De impedimento Consanguinitatis. 55. De impedimento Affinitatis. 56. De impedimento Cognationis. 57. De Cognatione legali, quæ est per adoptionem. 58. De impedimento frigiditatis, maleficii, furiæ et amentiæ. 59. De disparitate Cultus. 60. De uxoricidio. 61. De impedimento matrimonii, quod est votum solemne. 62. De impedimento, quod supervenit matrimonio consummato. 63. De secundis Nuptiis. 64. De annexis matrimonio et debiti redditione. 65. De Bigamia. 66. De Bigamia et irregularitate inde contracta. 67. De Libello repudii. 68. De filiis illegitime natis.

69. De his, quæ spectant Resurrectionem, et 1° de loco animarum post mortem. 70. De qualitate animæ exeuntis e corpore, et pœna ei inflicta ab igne corporeo. 71. De suffragiis mortuorum. 72. De oratione respectu sanctorum, qui sunt in patria. 73. De signis, quæ Judicium præcedunt. 74. De igne ultimæ conflagrationis. 75. De Resurrectione. 76. De causa Resurrectionis. 77. De tempore, et modo Resurrectionis. 78. De termino Resurrectionis. 79. De Conditionibus resurgentium, et 1° de eorum identitate. 80. De integritate corporum resurgentium. 81. De qualitate resurgentium. 82. De conditionibus Beatorum resurgentium. 83. De subtilitate corporum beatorum. 84. De æqualitate corporum beatorum. 85. De claritate beatorum corporum. 86. De conditionibus corporum damnatorum resurgentium. 87. De cognitione quam habebunt resuscitati respectu meritorum aut demeritorum. 88. De Judicio Generali, tempore et loco, in quo fit. 89. De judicantibus et judicatis in hoc judicio. 90. De forma Judicis venientis ad judicium. 91. De qualitate mundi et resurgentium post judicium. 92. De Visione divinæ essentiæ per comparationem ad Beatos. 93. De Sanctorum beatitudine et eorum mansionibus. 94. De modo, quo sancti se habebunt erga damnatos. 95. De dotibus Beatorum. 96. De Aureolis. 97. De pœna Damnatorum. 98. De voluntate et intellectu damnatorum. 99. De misericordia Dei respectu damnatorum.

ARTICULUS II.

QUÆNAM SIT NOTIO ET ŒCONOMIA JURISPRUDENTIÆ ECCLESIASTICÆ ?

229. *Nota.* Præter varias acceptiones *Jus* potissimum usurpatur sive pro legibus singulis, sive pro legum collectione : *Ecclesiasticum* dicitur ab Ecclesia; quæ cum sit cœtus inæqualium, ac eumdem actum non habentium, rite ordinatus, utpote a Christo institutus et potestate auctoritativa donatus, hoc ipso certis legibus carere non potest. Harum legum notitia scientifica rectius *prudentia* quam scientia appellatur, quia, agendorum potius praxin, quam credendorum meditationem et curam gerit. Quamquam enim tum fundamentalia Religionis capita tum reliqua fidei dogmata intra facultatis hujus ambitum contineantur, quin et plurimam partem in corpore Juris sacri claudantur; principalius tamen ea Theologiæ deberi adeo convenit inter omnes, ut nec morum principia sive ex Evangelio sive ex jure naturali provenientia sacræ Jurisprudentiæ tribuantur. nisi ad statum Ecclesiæ publicum aut animarum externum pertineant. Quare *Juris Ecclesiastici* nomine leges tantum positivas, easque ab Ecclesia ipsa h. e. Magistratu Ecclesiastico latas intelligimus. Forte tamen nec eas Ecclesiæ constitutiones dicere oportebat leges; cum ipsa easdem canones aut regulas vocare consueverit; unde et *Jus Canonicum*, sicut a potissimo auctore *Pontificium*, et a materia *Sacrum* compellatur.

230. *Dico I.* Jus Ecclesiasticum pro lege acceptum dividitur 1° ratione auctoris in Canonicum et Pontificium. *Jus Canonicum* seu Canon est constitutio in Concilio condita : *Jus Pontificium* est constitutio facta extra Concilium, et hinc a Pontifice; cum lex universalis seu pro universa Ecclesia non nisi a Pontifice ferri possit. 2° Ratione materiæ in Dogma, Mandatum, Interdictum et Sanctionem. *Dogma* est constitutio sive de fide sive de re ad fidem spectante aut ordinata : *Mandatum* pertinet ad disciplinam ecclesiasticam : *Interdictum* tendit ad correctionem malorum : *Sanctio* pœnam dictat ad cautelam futurorum. 3° Ratione formæ internæ in Decretum et Rescriptum. *Decretum* constitutio est a Pontifice de consilio Cardinalium edita ad nullius consultationem : *Rescriptum* specifice sumptum est responsum scriptum, seu constitutio Ejusdem sine vel cum Cardinalium consensu data ad alterius quamcumque postulationem; dicitur etiam *Epistola Decretalis*. 4° Ratione formæ externæ in vivæ vocis Oraculum, Bullam et Breve. *Oraculum* primitus verbo duntaxat datur, licet postea in scripturam forsan redigatur; reliqua nonnisi litteris consignata prodeunt : *Bulla* est scriptura major in membrana, plumbeo de funibus pendente sigillo munita : *Breve* est scriptura modica frequenter in papyro, signata cera rubra et annulo Piscatoris, h. e. sigillo imaginem S. Petri, rete in mare e navi projicientis, referente.

Præterea annotari merentur 1. *Regulæ Cancellariæ*, seu ordinationes constitutæ pro causis maxime beneficialibus et stylo Cancellariæ Apostolicæ : quæ speciale hoc habent, ut expirent cum morte Pontificis. 2. *Declarationes Cardinalium*, scilicet Concilii Tridentini interpretum, seu Expositiones Tridentinorum Decretorum circa mores : quæ doctrinales non tantum, sed authenticæ sunt; si sint comprehensivæ, emanent consulto prius Pontifice,

hujus nomen expressum referant, et in forma authentica proferantur. 3. *Decisiones Rotæ* Romanæ, seu sententiæ Judicum, in orbem sedentium, ex diversis nationibus ad causas litigiosas decernendas a Pontifice Romæ constitutorum : quæ tamen vim juris saltem universalis et extra curiam Romanam non habent; cum judicibus his potestas haud sit leges ferendi, sed solum judicandi secundum leges.

231. *Dico II.* Jus Ecclesiasticum pro legum collectione sumptum, aliud est vetus, quod *Codex Canonum* appellatur; aliud novum, quod *Corpus Juris Canonici* dicitur; aliud novissimum, quod *plures collectionum species*, post Sixti IV Constitutionem an. 1483 editam, publicatas complectitur.

I. Codicem Canonum nullum tribus seculis primis extitisse, satis exploratum est. Quæ enim collectio aut Canonum Apostolicorum aut Constitutionum Apostolicarum circumfertur, juxta communem jam criticorum opinionem, nec hanc ætatem, nec illos auctores cognovit.

In Oriente sub finem sec. 4^{i} circa an. 385. Canonum Codex prodiit, qui videtur antiquissimus. Nec enim Romana Ecclesia præter Nicænos et Sardicenses Canones hoc ævo admisit alios, ut Innocentii epistolæ testantur : nec Africanæ Ecclesiæ Codex coævus est aut antiquior; cum ex iis plurimum Conciliis sit depromptus, quibus et S. Augustinus interfuit, adeoque natales suos prope medium sec. 5^{i} celebrat. Continet autem Orientalis hic Codex continuata numerorum serie sibi succedentes Canones Conciliorum Nicæni I, Ancyrani, Neocesareensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodiceni et Constantinopolitani I, atque in Concilio Chalcedonensi laudatus et commendatus auctoritatem suam potissimum est nactus. Idem apud Græcos accessiones plurimas cepit ad an. 860 usque; quas enarrare nostrum non est.

In Occidente antiquus quidem is Romanæ Ecclesiæ Codex asseritur a multis, qui a Quesnello et Pitheo notis illustratus seculo decimo septimo prodiit : quoniam vero non idem est omnium judicium, primas damus illi, quem Dionysius cogn. Exiguus sub seculi 6^{i} initium condidit, Romana autem Ecclesia mox acceptavit. Complectitur is concinniorem Codicis Orientalis latine jam antea versi translationem; Canones etiam Sardicenses, Africanos et Chalcedonenses; præterea epistolas decretales Pontificum Siricii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cœlestini, Leonis Magni, Gelasii et Anastasii : item Canones 50 Apostolicos; quos tamen an Dionysius ipse, an alius adjecerit, non certo habetur.

Pro Ecclesia *Africana* sub medium seculi ejusdem scripsit Breviationem Canonum Fulgentius Ferrandus Eccl. Carthaginensis Diaconus; sub finem seculi 7^{i} autem Breviarium Canonicum Cresconius Episc. Africæ. Pro *Hispanica* Martinus Episc. Braccarensis post medium sec. 6^{i}, sub initium autem sec. sequentis Isidorus Archiepiscopus Hispalensis Collectionem Canonicam ediderunt. Pro *Gallicana* Ecclesia quo Auctore vel tempore specialis Codex conditus sit, nihil scitur : an distinctus a Dionysiano (quem constat ab Hadriano sub finem sec. 8^{i} in Gallias missum, atque pro his a Carolo Magno acceptatum) prius extiterit, incertum est. Sane constat, præter proprias a Conciliis suæ Provinciæ editas constitutiones, plerosque Græci Codicis Canones et Pontificum Decretales tum Africanis et Hispanicis collectionibus incertas, tum a Gallis observatas frequenter reperiri.

Veteris hujus Juris integritatem violare cœpit circa finem sec. 8^{i} aut initium 9^{i} Isidorus cogn. jam Mercator jam Peccator, dum Collectionem Cano-

nicam Isidori Hispalensis fere duplo amplius auxit, adjectis tum spuriis Pontificum, Clementi I et Damaso interjectorum, epistolis decretalibus, tum Conciliorum usque ad an. 683 celebratorum Canonibus. Adulterinas has merces post sec. noni initia ex Hispania in Gallias intulit Riculfus Archiepiscopus Moguntinus : suis autem Canonum Collectionibus inseruerunt sequentium seculorum scriptores, Regino Prummiensis, Burchardus Wormatiensis, Anselmus Lucensis, Ivo Carnotensis, aliique in proximo Patrum et Scriptorum Ecclesiasticorum syllabo notati, qui suis in Collectionibus varia figura et ratione editis Scripturæ sacræ Patrumque testimonia, Pontificum tam falsa quam vera Decreta, Conciliorum antiquorum et recentiorum Canones, Legum Romanarum et Capitularium Francorum placita pro jure Sacro retulerunt. Atque ex his potissimum aliisque quibusdam monumentis compilatum opus an. 1151 edidit Gratianus O. S. B. Professus Bononiæ, quod Concordia discordantium Canonum inscribitur, vulgo autem Corpus Decretorum, aut absolute Decretum compellatur.

II. *Jus novum* seu Corpus Juris Canonici sex partes complectitur. 1ª est Decretum Gratiani, de quo proximus sermo fuit : 2ª Compilatio Decretalium epistolarum, auctoritate Gregorii IX et opera Raymundi de Pennafort an. 1234 facta et promulgata : 3ª Liber sextus Decretalium a Bonifacio VIII an. 1299 editus. 4ª Clementinæ h. e. Constitutiones a Clemente V collectæ, sed a Joanne XXII an. 1317 promulgatæ : 5ª Extravagantes Joannis ejusdem et ab eodem an. 1325 compilatæ : 6ª Extravagantes communes sub finem seculi 15i in unam collectionem compactæ.

Decretum. Ex quibus coaluerit, nuper est dictum. Dividitur in tres partes. Earum 1ª continet Distinctiones 101, quæ in Canones secantur; tractatque de Jure et Personis Ecclesiasticis : 2ª complectitur Causas 36, quæ in Quæstiones, sicut hæ deinceps in Canones dividuntur, excepta Causæ 33ª Quæstione : 3ª quæ de Pœnitentia inscribitur, ac prius in Distinctiones, tum in Canones scinditur, agitque universim de Judiciis et negotiis sacris : 4ª de Consecratione nomen gerit, habetque Distinctiones 5 in Canones rursus divisas; quibus argumentum tituli aliaque ad cultum Dei spectantia exponuntur. In iisdem partibus præmittuntur Distinctionibus et Quæstionibus Principia vel Summæ, quæ argumentum rei tractandæ præferunt; subjiciuntur Canonibus Paragraphi, qui rationem conciliandi Canones exponunt; in Canonum numero nonnunquam apparent *Paleæ*, quæ sunt additamenta aliena; cum summæ et paragraphi sint propria Gratiani studia et sensa. Partibus omnibus subduntur Canones Pœnitentiales 47, et Canones Apostolorum 84.

Decretales depromptæ sunt ex aliis post Gratianum collectionibus Bernardi Cirta, Joannis Vallensis, Petri Beneventani, Tancredi et aliorum, suntque maximam partem Epistolæ Pontificum circiter 36 a Gregorio I usque ad Gregorium IV; reliquam constituunt testimonia Scripturæ, Canones tum Apostolorum, tum 37 Conciliorum ab Antiocheno ad Lateranense IV usque celebratorum, effata item Patrum aliorumque decem fere auctorum. Dividuntur in Libros quinque, Libri in Titulos, Tituli in Capita sive Capitula, hæc forte proxiliora in Paragraphos. Liber 1us complectitur Titulos 43, tractat post præmissam Constitutionum, Consuetudinis et Rescriptorum materiam, de Personis Ecclesiasticis, Prælatis et Judicibus sacris : 2us Titul. 30 de Processu Judiciali : 3us Tit. 50 de Clericorum Secularium et Re-

gularium vita, obligationibus, et rebus : 4us Tit. 21 de Sponsalibus et Matrimonio : 5us Tit. 41 de delictis eorumque pœnis

Reliquæ Juris novi partes eamdem Librorum et materiæ rationem sectantur, minuto tamen Titulorum numero. Liber 6us ex posterioribus Gregorii IX et sequentium usque ad Bonifacium Pontificum, necnon Conciliorum Lugdunensium œcumenicorum Constitutionibus, Rescriptis et Decretis collectus, Tit. 79 complectitur. *Clementinæ* editas a Clemente V tum in Concilio Viennensi tum ante vel post illud Constitutiones complectuntur sub 51 Titulis. *Extravagantes* sic dictæ, quod post memoratas hactenus collectiones Corpori Juris insertæ non forent, Pontificum etiamnum nomen retinent; et illæ quidem *Joannis XXII* auctorem suum satis prodentes, Tit. 14 duntaxat numerant; aliæ autem *Communes* appellatæ, variorum Pontificum ab Urbano IV ad Sixtum IV. Constitutiones, hominis privati studio collectas, exhibent sub Tit. 35. De Libro 7o Decretalium a Petro Matthæi, et Institutionibus Juris Canonici a Paulo Lancelloto editis, ac Corpori Juris editione recentiore annexis nihil attinet dicere; cum privatorum collectiones sint, nec auctoritate nec usu robur legale unquam consecutæ.

III. *Jus Novissimum* aliud est absolutum et ex auctoritate, aliud hypotheticum et ex pacto. Priori continentur Concilia ætate Corporis Juris Canonici posteriora, præsertim Tridentinum, Bullarium, Regulæ Cancellariæ, Decreta Congregationis, Decisiones Rotæ : posteriori Concordata Germaniæ, Transactio Passaviensis, Pax Religiosa, Pax Westphalica. De plerisque sub jure absoluto contentis diximus vel num. priore vel in historia Conciliorum. Solum *Bullarium* restat, quod est collectio Constitutionum Pontificiarum in Corpore Juris non clausarum, quam Laertius Cherubinus initium a Leone I sumens suscepit, filius Angelus Maria Cherubinus continuavit, alii typis Romanis aut Luxemburgicis ad nostra usque tempora sunt prosecuti. De reliquis specialis pro Germania et pactitii juris speciebus, ad notitiam duntaxat aliquam, pauca subjicimus; cum ad cognitionem earum exactam tribuendam, politicas Imperii rationes multamque historiam exponere oporteret, quod a nostro hic instituto alienum videtur.

Concordata Germaniæ sunt conventa Pontificem inter et Germaniæ Principes circa res aut statum Ecclesiæ in Germania. Præter illa inter Callixtum II et Henricum V an. 1122 inita, de quibus in historia Conc. Lateranensis I dictum, et alia forsan anteriora Adriani ac successorum cum Carolo M. et Ottonibus pacta, antonomastice intelligitur illa conventio, quæ super causis beneficiariis Fridericum III Imperiique Principes plures, non omnes, tum Ecclesiasticos tum Laicos inter et Pontificis Legatum an. 1447 concepta, 19 Martii 1448 autem a Nicolao V per Constitutionem. *Ad Sacram Petri Sedem*, confirmata fuit.

Præcipua Concordatorum capita sunt : 1. Pontifici reservantur beneficia Ecclesiastica cujuscumque dignitatis aut nominis, quæ apud sedem Apostolicam vacare contigerit. 2. In Ecclesiis Metropolitanis et Cathedralibus, necnon Monasteriis Pontifici immediate subjectis, vigeat electio canonica, a Pontifice examinanda et confirmanda; nisi ex rationabili et evidenti causa de digniori et utiliori persona Pontifex de consilio Cardinalium duxerit providendum. 3. Reservantur Pontifici dignitates post Episcopalem majores in Cathedralibus, et principales in Collegiatis. 4. Quoad alia beneficia statuitur alternativa mensium inter Pontificem et Collatores ordinarios, ita tamen, ut si tertio post mense, quam vacare cœperit beneficium,

Apostolica provisio non innotescat, ea ad ordinarium devolvatur. 5. Annatæ Episcopatuum et Abbatiarum, Pontifici solvendæ, determinantur. Postrema de alternativa et Annatis capita adjectam conditionem habent : nisi in futuro Concilio de consensu Germanæ nationis aliter fuerit ordinatum. Aliud de exspectativis beneficiorum regularium statuto universali Tridentini Sess. 24, c. 19 de Reform. ad omnes extensum jam nihil singulare habet.

Transactio Passaviensis dicitur ea conventio, quæ ad sopiendum bellum, ex fœdere Schmalcaldico Protestantes inter et Catholicos ortum, a Ferdinando Rom. Rege et quibusdam Principibus Catholicis cum Fœderatis 2 Aug. 1552, sub reservatione ratihabitionis Cæsareæ Caroli V inita est Passavii. Hic, quantum ad Religionem spectat, conveniebatur, ut intra semestre celebrarentur comitia, in quibus de via componendi dissidia Religionis deliberaretur : interim Augustanæ Confessioni addictis nulla in Imperio violentia, molestia aut contemptus propter Religionem inferretur; sicut vicissim nec illis, qui antiquæ Religioni adhærent, h. e. Catholicis.

Pax Religiosa præliminarem hunc Tractatum excepit, Augustanis in Comitiis 25 Septemb. 1555. Ferdinandum jam potestate munitum et Catholicos Principes inter atque Protestantes icta. Quamvis de fide ipsa decerneretur nihil, nec probaretur Religio nova; nomen tamen illud obtinuit, quod tranquillitas externa fuerit sancita, et pacis imperii publicæ extensio ad causas Religionis facta, eousque, dum sequitur absoluta et finalis compositio Religionis ac fidei.

Articuli ad rem nostram pertinentes sunt : 1. Nullus Imperii status, neque immediata Nobilitas, propter Augustanam Confessionem patiatur vim aut contemptum. 2. Controversiæ Religionis mediis Christianis et amicabilibus componantur. 3. C. A. addicti statibus Catholicis eorumque Capitulis nullam inferant molestiam. 4. Dispositio de Collegiis, Cœnobiis ac bonis Ecclesiasticis ante Transact. Passaviensem ad alios usus a Protestantibus facta, persistat firma. 5. Prælati Ecclesiastici a veteri h. e. Catholica Religione discedentes, sua dignitate et beneficio excidant, salva tamen existimatione eorum ac honore. Articulus hic *Reservatum Ecclesiasticum* audit. 6. Jurisdictio Ecclesiastica, salvis redditibus et juribus, adversus A. C. addictos esto suspensa; exerceatur tamen more recepto circa ea, quæ huic Confessioni non sunt contraria. 7. Cuilibet statui integrum sit jus seculare, quod quis ante orta Religionis dissidia habuit in proventus Ecclesiarum intra territorium suum constitutos; ita tamen, ut absque discrimine Religionis ex iis sustententur ministeria sacra, parochiæ, scholæ, hospitalia prout moris erat. 8. Nullus status alium constatum ejusve subditos vi aut arte pertrahat ad suam Religionem, aut hos contra proprium magistratum tueatur. 9. Subditis utriusque Religionis conceditur jus emigrandi. 10. In civitatibus Imperialibus liberis, ubi utraque Religio viget, incolæ vivant pacifice, nullusque alterum turbet in suæ Religionis exercitio. 11. Exclusi sint ab hac pace, qui neque veteri Religioni neque Augustanæ Confessioni adhærent.

Pax Westphalica illa intelligitur, quæ post frustrata Pacis Religiosæ media, post scissum, ob jus reformandi immoderate exercitum, in factiones Imperium, post enatum exinde, et rebellionis Bohemicæ occasione, bellum tricennale an. 1648, sancita est duplici Instrumento, altero Monasterii inter Ferdinandum III Catholicosque Principes et Ludovicum XIV Galliæ Regem Protestantium adjutorem, altero Osnabrugæ inter Imperatorem cum Catho-

licis eumdem et Christinam Sueciæ Reginam Protestantium sociam condito. Pax hæc, quantumvis a Summis Pontificibus fuerit reprobata, confirmata tamen est in Comitiis Imperii sequentibus, et in plerisque Germaniæ provinciis executioni mandata; hodiedum in foro seculari observatur.

Religionem concernunt ex pactis Monasteriensibus vix ullum, ex Osnabrugensibus autem præcipue sequentia. 1. Transactio Passaviensis et Pax Religiosa confirmatur atque a præsenti conventione declaratur; contra quam declarationem nulla juris adminicula locum habeant : si quod dubium in causa Religionis oriatur, de eo in Imperii comitiis amicabili ratione transigatur, non attenta votorum pluralitate. 2. Religionis intuitu vis nemini paciscentium inferatur, nec subdito quidpiam contra conscientiam et Religionis suæ principia injungatur : nemo etiam Religionis causa habeatur despectui : nec mercatorum, opificum, etc., communione, nec legatis, eleemosynis, hospitalibus, etc., multominus cœmeteriis publicis aut sepulturæ honore arceatur. 3. Terminus a quo restitutionis Ecclesiasticæ et dies normalis sit 1ª Januarii 1624, fiatque conservatio aut reductio ad statum dicti anni et diei in omnibus quoad Prælaturas, beneficia, jura, redditus et alia, etiam quoad numerum Canonicorum et exercitium Religionis in mixtis Ecclesiis. 4. Qui retenti sunt a Protestantibus ob possessionem anni hujus decretorii; vel illis ex aliis rationibus cedebantur Archiepiscopatus, Episcopatus, cæteræque dignitates Ecclesiasticæ cum territorio appertinente, vel secularizentur, vel in ordine Principatuum Ecclesiasticorum permaneant, jure eligendi vel postulandi fundationibus immediatis stabilito, hæreditaria autem successione exclusa. 5. Imperator investiat Protestantes Episcopos post præstita juramenta : per primarias preces præsentet ejusdem Religionis consortem cum defuncto. 6. Jus Diœcesanum et tota jurisdictio Ecclesiastica cum speciebus suis omnibus contra A. C. status eorumque subditos esto suspensa : executio non decernatur pro exactione Annatarum, Jurium Pallii, mensium Papalium in Ecclesiis Protestantibus. 7. Inter utriusque Religionis status sit exacta æqualitas, ut quod uni parti justum est, alteri quoque sit justum : unde et Reservatum Ecclesiasticum extenditur etiam ad Protestantes Prælaturis Ecclesiasticis potitos; qui gaudent eodem titulo et proedria cum Catholicis : adlecti etiam ex utraque Religione Assessores in Camera Imperiali et Judicio Cæsareo Aulico pari numero causas inter Catholicos et Protestantes aut illos solos agitatas discutiant et judicent. 8. Statibus immediatis cum jure territorii competat jus reformandi exercitium Religionis : subditi tamen retineant exercitium an. 1624 quacumque anni parte habitum, nec cogantur emigrare : qui id dicto anno non habuerint, his emigrandi jus conceditur : si nec sponte emigrare voluerint, nec a territorii domino jussi fuerint, patienter tolerentur conscientia libera privatim domi vacare suæ devotioni. 9. Præter Catholicos et A. C. addictos comprehenduntur in hac Pace etiam Reformati seu Calvinistæ, ita, ut præter tres illas Religiones nulla alia in Imperio recipiatur vel toleretur.

232. *Dico III.* Jurisprudentia Ecclesiastica est disciplina practica, Rempublicam Christianam ad politiam Sacram manuducens per leges Ecclesiasticas rite perspectas.

Dicitur 1. *Disciplina;* quia ad imitiationem dictorum de Theologia, ad usum potius rei quam statum mentis attendimus. 2. *Practica;* quia actus Jurisprudentiæ hujus primarii, canones scilicet et aliæ regulæ, vim diri-

gendi habent, praximque objecti intendunt. 3. *Rempublicam Christianam;* tum quia rei nomine venire possunt et personæ et actiones Ecclesiasticæ; cum priores earumque officia spectentur ad res sacras, quas tractant, posteriores autem ad acquirendas, conservandas aut alienandas res Ecclesiasticas maxime referantur; tum quia fideles ab hac Jurisprudentia non considerantur more Theologiæ Moralis ut singuli, sed vel ut omnes, vel ut membra communitatis Ecclesiasticæ; tum quia infideles aut baptismo carentes Ecclesiasticis legibus non subjacent, nec hæ illos, qui foris sunt, respiciunt. 4. *Ad politiam Sacram manuducens:* quia, quamvis finis ultimatus Jurisprudentiæ Sacræ sit salus interna præsentis vitæ et felicitas æterna futuræ, ea tamen proxime determinat externa, eoque immediate spectat, ut cura animarum, fori exercitium et regimen Ecclesiæ ordinate, honeste ac juste geratur. 5. *Per leges Ecclesiasticas;* quia, sicut in Civili, sic in Ecclesiastica Jurisprudentia ratio juris positivi præcipua habetur, sive illud acceptatione sive constitutione sive approbatione legitimi magistratus, vim obligandi primam aut novam obtinuerit. 7. *Rite perspectas;* quia attendi debet 1°, an uno ex prædictis modo vim obligandi aliquam habeant : 2°, an universim, an pro speciali casu aut circumstantiis loci, temporis, personæ, aut aliis enuntient : 3°, an vigeant etiamnum, an per jus posterius, consuetudinem contrariam, vel aliud mutationis genus non amplius obligent : 4°, quinam sit sensus legitimus secundum genuinas hermeneuticos regulas, etc.

Atque ad primum harum observationum punctum statui potest de jure triplici supra proposito. Quia enim Romana Ecclesia *Codicem Canonum* acceptavit; Jus antiquum vim legalem habet, nisi ubi aliquo mutationis modo eam perdidit. Præterea vero quia Pontifices nominati Libros Decretalium cum Sexto, Clementinis et Extravagantibus solemniter promulgando eorum decreta vel constituerunt vel approbarunt; Jus novum quoad has partes in vim legis obligat : ob defectum modi legalis cujuscumque communius asseritur contrarium de Gratiani Decreto etiam post correctionem Romanam; adeo, ut Summæ et paragraphi, qui Gratiani sunt, et rubricæ canonum, qui sunt auctoris incerti, nullam habeant auctoritatem; Canones autem, genuini etiam ipsi, non aliam, ac quam merentur fontes, unde desumuntur : usus autem Scholæ et praxis fori, falsis etiam Decretalibus plus tribuens, facere forsan potest præjudicium aliquod, legem condere non potest.

Denique *Jus novissimum* auctoritativum quam potestatem habeat, ex ejus auctoribus petendum est : utrum reipsa obliget ex jure et facto promulgationis determinari potest ac debet. Quod tandem jus idem pactitium attinet, Concordata quidem obligationem utrinque producunt : reliqua autem an idem justitiæ vinculum efficiant, disputatur : eadem tamen in foro observanda esse convenitur.

233. *Observa.* Codicem Canonum non sola acceptatione Romanæ Ecclesiæ, de qua nuper diximus, sed etiam solemni Constitutione pro norma Judiciorum Ecclesiasticorum a Leone IV propositum fuisse, Dist. 20, Canon. 1 *de Libellis* aperte testatur. Cum proinde ad Jus novum fuerit relatus, nec tamen passim prostet; placuit eumdem ad complementum œconomiæ Canonicæ dandum hic subjicere. Ne vero repetamus dicta alibi, Canones œcumenicorum Conciliorum omittimus; ne quoque Decretales Pontificum Juri novo insertas, ideoque passim obvias hic proferamus, hoc Dionysii Exigui aucta-

rium simili silentio præterimus. Quare non restant producendi, nisi Codex Orientalis, isque secundum Concilia particularia, et alter Africanus Codex; quorum nunc compendium pro more superius usurpato subteximus.

CODEX CANONUM ANTIQUUS.

CODEX ECCLESIÆ ORIENTALIS.

Canones Conc. Ancyrani an. 315, ab 18 PP. celebrati. 1. Presbyteri in idololatriam lapsi, martyrio tamen se postea offerentes, retineant dignitatem, sed officio non fungantur. 2. Similibus Diaconis similis indulgentia et pœna detur. 3. Per vim passi ritum paganum, sed in fide constantes, nec communione priventur, nec sint irregulares. 4. Ad idem coacti primum, post autem circa ritum indifferentes, anno inter Audientes, triennio inter Pœnitentes hæreant. 5. Ex timore, ritu gentili contaminati, triennio non communicent, si dolorem pacti prodiderint. 6. Si hucusque non doluerint, sexennem pœnam subeant : neutris tamen in periculo mortis communio propter viaticum negetur. 7. Qui sæpius idolis immolarint, sexennio. 8. Qui insuper causam immolandi dederint, decennio puniantur. 9. Diaconis, inter ordinandum contra continentiam protestatis, uxores non negentur : professis continentiam, sed non servantibus, ministerium auferatur. 10. Desponsata, etiam a raptore corrupta, reddatur sponso. 11. Adhuc Catechumenus lapsus, post baptismum ordinari queat. 12. Chorepiscopis non liceat ordinare Presbyteros aut Diaconos; nec mandatum dare Presbyteris civitatis. 13. Clerici carnem superstitiose respuentes cessent ab omni officio. 14. Contractus venditionis rerum Ecclesiæ viduatæ a Presbyteris factus subsit rescissioni. 15. Qui irrationabiliter versantur, hoc est, Bestiarii aut Sodomitæ, pro varia ætate aut conditione vitæ jam 20, jam 25 annis, jam ad mortem usque pœnitentiæ subjaceant. 16. Tabescentes ex his criminibus reponantur inter energumenos. 17. Promoti ad Episcopatum, nec tamen recepti, remaneant ubi fuerunt Presbyteri. 18. Virginitatem professi, non tamen colentes, habeantur pro bigamis. Sub sororis nomine non permittatur habitatio cum viris. 19. Adulterio sit pœnitentia septem annorum. 20. Fornicariæ vel abortum procurantes decennio pœniteant. 21. Homicidæ voluntario perpetua seu ad mortem usque sit pœnitentia. 22. Casuali septem vel quinque annorum. 23. Divinationibus dediti quinquennio pœnitentiam ferant. 24. Sponsæ sororem corrumpens et corruptionis cum consensu conscii decennalem pœnitentiam subeant.

Canones Conc. Neocæsareensis an. eod. a 16. PP. celebrati. 1. Presbyter uxorem ducens deponatur : fornicans ad pœnitentiam redigatur. 2. Nubens duobus fratribus aut sororibus duabus ad mortem usque careat communione. 3. Polygamis successivis pœnitentia imponatur. 4. Gratiæ tribuitur, si desiderans fornicationem prohibeatur ab actu. 5. Catechumenus assistens et peccans remittatur ad audientes; iterato lapsus expellatur. 6. Catechumena prægnans ante puerperium baptizari possit. 7. Presbyter nuptiis bigami non intersit. 8. Maritus adulteræ, ante susceptos ordines, ad hos ne admittatur; post susceptos, aut illam dimittat, aut privetur ministerio. 9. Presbytero, peccatum ante ordinationem commissum confesso, prohibita sit oblatorum consecratio. 10. Diacono in simili casu auferatur ministerium. 11. Presbyter non ordinetur ante annum tricesimum, quo Christus baptizatus docere cœpit. 12. Clinicus baptizatus non fiat Presbyter; nisi aptorum raritas id exigat,

et morum probitas mereatur. 13. Presbyteri agrorum vel alterius regionis in urbe aut regione alia non sacrificent. Chorepiscopi, qui sunt ad formam et exemplum discipulorum Christi, honorentur. 14. Septem duntaxat sint civitatis etiam magnæ Diaconi.

Canones conc. gangrensis post an. 325, a 16. PP. celebrati. — Anathema dicitur. 1. Damnanti nuptias : 2. Carnis manducationem omnem reprobanti : 3. Servo dominum, occasione Religionis, spernenti : 4. Presbyteri conjugati oblationem contemnenti : 5. Ecclesiam vel Ecclesiasticos conventus despicienti : 6. Congregationem extra Ecclesiam cum contemptu Ecclesiæ agenti : 7. Fructus alibi, quam in Ecclesia offerenti : 8. Præter Episcopum aut ejus vicarium, fructuum oblationem acceptanti : 9. Virginitatem matrimonio, tanquam bonum malo præferenti : 10. Virgini conjugatos arroganter despicienti : 11. Agapas penitus despicienti : 12. Reponenti justitiam in speciali amictu pallii, et vulgari vestitu utentes vituperanti : 13. Mulieri, licet pro continentia, vestem virilem usurpanti : 14. Uxori, ex nuptiarum contemptu, virum relinquenti, aut matrimonium solventi : 15. Religionis occasione, proles negligenti : 16. Prolibus parentes non honorantibus : 17. Mulieri, obedientiæ declinandæ causa, comam abscindenti : 18. In die Dominico jejunanti : 19. Jejunia Ecclesiæ non observanti : 20. Conventus et sacra ad sepulchra Martyrum execranti.

Canones Conc. Antiocheni an. 341, a 30. PP. catholicis celebrati. 1. Statutum Nicænum de Paschate servetur. 2. In Ecclesia præsentes communicent; cum excommunicatis autem, vel per domos minime. 3. Clerici, præter conscientiam sui Episcopi, in alia Diœcesi non morentur. 4. Depositi aut damnati ministrare non audeant. 5. Seorsim ab Episcopo congregationem faciens deponatur. 6. Excommunicatus non recipiatur, nisi a proprio Episcopo vel a Concilio. 7. Clerici peregrini non recipiantur sine epistola Formata. 8. Formatas dare non liceat Presbyteris. 9. Episcopi suas tantum Diœceses curent : Metropolitanis subsint. 10. Chorespicopi, licet ordinati, Presbyteros et Diaconos non ordinent; Subdiaconos tamen et Minoristas, quin et Episcopum civitatis, cui subjicitur, ordinare liceat. 11. Episcopi aut Clerici non adeant Imperatorem, nisi necessitatis causa et consulto Metropolita. 12. Iidem damnati ad Imperatorem non recurrant, sed ad majus Episcoporum Concilium, 13. Episcopus non ordinet subditum alienæ Diœcesis, absque Metropolitæ litteris : alias ordinans et ordinatus incurrat pœnam. 14. Si dissideat Concilium in judicio de Episcopo, Metropolitanus e vicina Provincia judices alios evocet. 15. Episcopus a Concilio unanimiter damnatus apud alios non judicetur amplius. 16. Episcopus vacans vacantem Ecclesiam sine Concilio, cui Metropolitanus adsit, occupans abjiciatur. 17. Episcopus Ecclesiæ datus, eamdem vero non recipiens, communione privetur. 18. Sine culpa propria non receptus pœna sit liber. 19. Episcopus præter synodum et præsentiam Metropolitani non ordinetur. 20. Concilia Provincialia celebrentur bis in anno. 21. Episcopus non transeat nec transferatur a suo ad alium Episcopatum. 22. In altera Diœcesi aut alterius Diœcesis Clericos Episcopus non ordinet. 23. Episcopus non constituat sibi successorem. 24. Rerum Ecclesiæ Episcopus sit duntaxat curator, suarum autem dominus. 25. Potestatem tamen habeat dispensandi res Ecclesiasticas.

Canones Conc. Laodiceni an. 370 a 20. PP. celebrati. 1. Secundo nubentes subsint pœnitentiæ sed breviori. 2. Peccatori pœnitenti et satisfacienti detur communio. 3. Neophyti non ordinentur. 4. Præsentibus

Catechumenis ordines non conferantur. 5. Clerici usuras non exerceant. 6. Hæreticis non permittatur ingressus in Ecclesias. 7. Hæretici nonnisi post ejuratam hæresin et perceptum fidei Symbolum recipiantur per Unctionem. 8. Cataphrygæ venientes instruantur et baptizentur. 9. Ecclesiastici ad hæreticorum speluncas orationis causa euntes priventur communione per tempus. 10. Matrimonia cum hæreticis non ineantur indifferenter. 11. Non ordinentur Presbyteræ. 12. Episcopi legantur judicio Metropolitani et Episcoporum Comprovincialium. 13. Electio Sacerdotum non permittatur multitudini. 14. Sacra mysteria, Eulogiarum nomine, tempore Paschali non mittantur ad alias Ecclesias. 15. Præter Cantores ordinarios, alii non conscendant ambonem, psallendi causa. 16. Sabbato legantur Evangelia cum aliis Scripturis. 17. Psalmorum interstitia observentur. 18. Ad Nonam et Vesperas eædem semper preces fiant. 19. Modus et ordo precum post Homilias, et hominum ad altare accessus ordinetur. 20. Presbyteris a Diaconis, et his a Clericis inferioribus exhibeatur honor. 21. Subdiaconi non habeant locum in Diaconio, nec tangant vasa sacra. 22. Nec Subdiaconi, 23. Nec Lectores aut Cantores obeant ministerium cum orariis. 24. Clerici, nisi itinerantes, in tabernis non comedant. 25. Subdiaconi abstineant a danda benedictione. 26. Non ordinatus non exorcizet. 27. Ad Agapas vocati non tollant secum partes. 28. Agapæ non fiant in Ecclesia. 29. Sanctificetur dies Dominica, non Sabbatum more Judæorum. 30. Christiani lavacra cum mulieribus non frequentent. 31. Si contrahantur connubia cum hæreticis, hi spondeant se fore Catholicos. 32. Non capiatur benedictio ab hæreticis. 33. Caveatur a communione cum hæreticis vel schismaticis. 34. Prohibeatur accessus ad sepulchra pseudomartyrum. 35. Malorum Angelorum cultus, antiquis hæreticis frequens, interdictus esto. 36. Clerici sub excommunicationis pœna abstineant a magia, incantatione et usu phylacteriorum. 37. Judæorum aut hæreticorum dona festiva non accipiantur, nec festa cum iisdem celebrentur. 38. Nec azyma admittantur a prioribus. 39. Gentilium nec festa colantur, nec communicatio cum istis fiat. 40. Episcopus vocatus adsit Concilio, nisi ægritudine impediatur. 41. Clericus nec absque litteris canonicis. 42. Nec præter Episcopi sui jussionem peregre abeat. 43. Subdiaconi non deserant Ecclesiæ januas. 44. Mulieres accedere ad altare, aut officium viris proprium agere ne ausint. 45. Post duas quadragesimæ hebdomadas nemo baptizetur. 46. Baptizandus fidem discat, et doctrinæ specimen feria 5ª majoris hebdomadæ edat. 47. Ægri baptizati, sanitate reddita, doceantur fidem, et discant. 48. Baptizati post lavacrum chrysmentur. 49. In quadragesima non fiat oblatio, nisi Sabbato et die Dominica. 50. Die Jovis Sancto non solvatur jejunium. 51. In quadragesima Sanctorum memoriæ transferantur in Sabbatum vel Dominicam. 52. In eadem nuptiæ et natalitia non celebrentur. 53. Christiani in nuptiis etiam abstineant a plausu et saltu. 54. Clerici nullis spectaculis intersint. 55. Nec Clerici nec laici celebrent convivia ex collatis Symbolis. 56. Ante Episcopi ingressum Clerici non intrent sacrarium, nec sedeant. 57. Non constituantur Episcopi in villis aut agris; nec Presbyteri sine præcepto aut consilio Episcopi agant quidpiam. 58. Oblationes non fiant in domibus. 59. Psalmi non sacri absint ab Ecclesiis, ibique soli Canonici libri legantur. 60. Canon Librorum Canonicorum hic describitur.

CODEX ECCLESIÆ AFRICANÆ.

CANONES SYNODO AFRICANÆ 6æ, SUB AURELIO 18æ, AN. 419, A 217. PP. CELEBRATÆ ATTRIBUTI. 1. Statuta Conc. Nicæni serventur. 2. Trinitas personarum in Divina unitate prædicetur. 3. Episcopi Presbyteri et Diaconi servent continentiam. 4. Iidem abstineant ab uxoribus. 5. Clericis cavendum ab avaritia et usura. 6. Chrysma a Presbyteris non conficiatur. 7. Absente Episcopo Presbyter pœnitentem periclitantem reconciliet. 8. Criminosus non permittatur accusare Episcopum aut Presbyterum. 9. Excommunicatus a suo Episcopo non recipiatur ab alio. 10. Presbyter ab Episcopo correptus et separatam congregationem faciens puniatur. 11. Idem faciens schisma, nec causam vicinis Episcopis committens, amittat locum et anathemati subsit. 12. Episcopus, extra synodi tempus, in reatum lapsus audiatur a duodecim Episcopis. 13. Episcopus ordinetur a pluribus, aut saltem a tribus Episcopis. 14. Tripolitanæ Provinciæ Episcopus unus in legationem veniat, Presbyter et Diaconus ibidem pauciores habeat judices. 15. Clerici declinato judicio Ecclesiastico civile eligentes, puniantur. Sacerdotum filii spectacula nec exhibeant nec spectent. 16. Clerici majores non sint conductores aut procuratores : Lectores puberes ducant uxores, aut continentiam profiteantur : Diaconi et Virgines ante annum 25um non ordinentur aut consecrentur. 17. Provinciæ distantes proprium habeant Primatem. 18. Dum ordinatur Clericus, moneatur servare constituta : Nec Eucharistia nec baptismus detur defunctis : Singuli Episcopi conveniant ad Concilium Metropolitani. 19. Episcopi accusati causa deferatur ad Provinciæ Primatem. 20. Presbyter aut Diaconus accusati judicem habeant Episcopum proprium cum vicinis Episcopis vel Presbyteris. 21. Filii Sacerdotum non jungantur matrimonio cum hæreticis. 22. Clerici hæreticis etiam consanguineis nihil conferant. 23. Episcopi sine consilio et litteris formatis Metropolitæ trans mare non abeant. 24. Præter Scripturas Canonicas in Ecclesia legatur nihil : earum CANON hic recitatur. 25. Subdiaconi, cum habentibus ordines majores, servent continentiam. 26. Res Ecclesiæ nemo distrahat, nisi cum consensu Primatis. 27. Presbyteri et Diaconi gravioris criminis convicti, non tamen redigantur ad pœnitentiam publicam : Rebaptizati non ordinentur. 28. Presbyteri aut minores Clerici, appellantes ad transmarina judicia, priventur communione. 29. Excommunicatus, ante audientiam communicans se ipsum damnat. 30. Accusator sequatur locum vel forum accusati. 31. Clerici, renuentes ad majores ordines ex mandato Episcopi ascendere, prohibeantur exercere sui ordinis ministeria. 32. Clerici bona Ecclesiastica acquisita dent Ecclesiæ : de bonis vel ex liberali donatione vel ex hæreditate acceptis disponant conformiter suo statui. 33. Presbyteri res suæ Ecclesiæ non vendant; Episcopi res Ecclesiæ matricis non usurpent.

CANONES EX PLENARIIS AFRICÆ CONCILIIS IN EADEM VEL ALIA SYNODO COLLECTI. 34. In Concilio Hipponensi (an. 397 celebrato) nihil corrigatur vel addatur. 35. Episcopi et Clerici filios suos non facile emancipent. 36. Iidem non ordinentur ante suorum ad fidem conversionem. 37. Præter panem et vinum aqua mixtum nihil offeratur in missa. 38. Clerici et continentes, nonnisi comitati et sciente Episcopo, accedant ad Virgines et viduas. 39. Ne quidem primæ Sedis Episcopus vocetur Princeps Sacerdotum aut summus Sacerdos. 40. Clerici, nisi peregrinentur, tabernas non adeant. 41. Sacrificia celebrentur a jejunis. 42. Nulla in Ecclesiis celebrentur convivia. 43. Pœni-

tentiæ tempus definiatur ab Episcopo : reconciliatio non fiat a Presbytero, nisi Episcopo absente : reconciliando imponatur manus ante absidem, seu chorum Ecclesiæ. 44. Virgines, parentibus mortuis, commendentur feminis gravioribus, et una habitent. 45. Ægroti loquela privati, testantibus de eorum desiderio aliis, baptizentur : histrionibus ac cæteris hujusmodi negetur reconciliatio. 46. Passiones Martyrum in Ecclesia legere liceat die anniversario. 47. Qui apud Donatistas baptizati sunt parvuli, ordines suscipere possint. 48. Non fiant rebaptizationes, reordinationes, nec translationes Episcoporum. 49. Episcopus non ordinetur a paucioribus quam a tribus Episcopis. 50. Quatuor aut quinque Episcopi sufficiant pro Episcopo eligendo. 51. Ecclesia Carthaginensis enuntiet in Africa diem Paschatis. 52. Provinciæ visitentur tempore Concilii. 53. Diœceses particulares, nisi ex consensu Episcopi proprii, non accipiant Episcopum. 54. Alienus Clericus non admittatur ab alio Episcopo. 55. Episcopo Carthaginensi liceat ordinare alienigenam Clericum. 56. Ordinatus ex proprii Diœceseos Episcopi consensu Episcopus propriam Diœcesin exigendi jus non habeat. 57. Amplificatur Can. 47us. 58. Rogentur Imperatores, pro abolendis idolorum reliquiis et templis; 59. Pro liberandis Clericis a ferendo testimonium in publico; 60. Pro conviviis paganorum prohibendis; 61. Pro spectaculis a die Dominico et Festo amovendis; 62. Pro Clericis criminosis non defendendis; 63. Pro histrionibus, ad fidem conversis, ab infamia eximendis; 64. Pro manumissionibus in Ecclesia celebrandis; 65. Pro Equitio, Episcopo damnato, comprimendo. 66. Cum Donatistis agatur lenius. 67. A Judicibus petatur notitia actorum a Maximianistis. 68. Clerici Donatistæ conversi recipiantur in Clero. 69. Dirigatur ad Donatistas legatio, pacis componendæ ergo. 70. Congruit cum 25°. 71. Nemo diutius absit a sua Ecclesia. 72. Absque scrupulo baptizetur, de cujus baptismo est dubium. 73. Indic tur dies Paschalis : dies Conciliis designatus observetur. 74. Episcopus vacanti Cathedræ datus Vicarius, hanc non retineat; sed eligi Episcopum curet. 75. Defensor Ecclesiarum ab Imperatore postuletur. 76. Episcopi ad Concilia veniant, aut justas absentiæ causas perscribant. 77. Cresconius citetur ad proximum Concilium. 78. Disponitur de Ecclesia Equitii. 79. Clerici intra annum causam suam dicere negligentes, non audiantur postmodum. 80. Ex alieno Monasterio suscepti nec præficiantur Monasterio, nec ordinentur. 81. Episcopo, hæreticos vel paganos hæredes scribenti, dicatur anathema. 82. Repetitur Canon 64us. 83. Memoriæ Martyrum falsæ aboleantur : novæ autem caute permittantur. 84. Idolorum reliquiæ extirpentur. 85. Ab Episcopo Carthaginensi subscribantur, si opus fuerit, litteræ, omnium Episcoporum nomine. 86. Ordo Episcoporum desumatur a tempore ordinationis. 87. De causa Quodvultdei Ep. disponitur provisorie. 88. Agitur de cessione facienda a Maximino. 89. Episcopi ordinati accipiant ab Ordinatoribus litteras testes cum die et Consule. 90. Qui vel semel legit in Ecclesia, ab alia in Clerum non recipiatur. 91. Episcopi in sua civitate conveniant Donatistarum præpositos; ad pacem tentandam. 92. Conventionis forma perscribitur. 93. Instructio, legatis contra Donatistas ad Imperatorem missis data, recitatur. 94. Index canonum in Concilio, expressis solis titulis, describitur cum correctionibus. 95. Concilium universale, nonnisi urgente necessitate, est faciendum. 96. A judicibus electis non liceat appellare. 97. Pro causis Ecclesiæ constituantur defensores Scholastici, seu Advocati. 98. Parochiæ, quæ non habuerunt Episcopum, talem non accipiant, nisi Primas et Epis-

copus, intra cujus Diœcesin Ecclesia est sita, consenserint. 99. Parochiæ Donatistarum conversæ, si habeant Episcopum, illi relinquantur : si non habeant, vel sine Episcopo maneant, vel ad vicinum Episcopum se adjungere permittantur. 100. Maurentio postulanti dantur judices in sua contra Xantippum causa. 101. Litteræ decernuntur pro pace Ecclesiam Romanam inter et Alexandrinam concilianda. 102. Dimissus ab uxore aut a marito dimissa reconcilientur aut alteri non jungantur. 103. Preces in Ecclesia, nonnisi approbatæ in Concilio, adhibeantur. 104. Postulare ab Imperatore judicium Episcopale, non autem publicum, liceat. 105. Qui in Africa non communicant, communicare trans mare non præsumant. 106. Pergens ad Imperatoris comitatum vel Romano vel Carthaginensi Episcopo reddat rationes. 107. Causam Episcopi cognoscere, non unius, sed plurium sit Episcoporum. 108. Adoptatur Africæ Concilium contra Pelagium et Celestium celebratum. 109. Inde statuitur, Adamum a Deo non factum mortalem; 110. Parvulos in remissionem peccatorum baptizari; 111. Gratiam Dei remittere peccata, et præstare adjutorium, ne peccetur; 112. Gratiam tribuere scientiam et inspirare charitatem; 113. Sine gratia nihil boni posse impleri; 114. Humilem et veracem esse Sanctorum vocem hanc, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus; 115. Sanctos etiam pro se postulare in oratione Dominica, Dimitte nobis debita nostra; 116. Idem a Sanctis orari veraciter. 117. Ecclesia Donatistarum conversa pertineat ad cathedram, ad quam Catholica ibidem jam exstans, spectat. 118. Divisio Diœceseos decernitur et regulatur, ubi Episcopo Donatista converso, duo in eadem Diœcesi erant Episcopi. 119. Episcopus; per se liberatam ab hæresi Ecclesiam triennio possidens, eamdem retineat. 120. Nemo Episcoporum irruat in Ecclesiam controversam, sed causam in Episcoporum judicio decerni curet aut expectet. 121. Episcopus, subditos suæ Ecclesiæ convertere negligens, moneatur a vicinis Episcopis : illo negligentiam non emendante, quicumque conversionem effecerit, subditos facit suos. 122. Repetitur Can. 96us. 123. Episcopus suam Diœcesin negligens excommunicetur. 124. Episcopus, Donatistas communicasse mentiens, Episcopatum amittat. 125. Presbyteri et Clerici appellent tantum ad Concilia Africana. 126. Liceat Episcopis velare virgines viginti quinque annis minores, urgente necessitate vel periculo. 127. Ne ob Concilium Episcopi diutius absint, ex qualibet provincia illuc mittendi legentur tres. 128. Ad accusationem non admittantur excommunicati; 129. Neque servi, liberti, aut infames; 130. Nec, qui in probatione unius criminis defecerint. 131. Qui accusatores esse nequeunt, nec testes sint, et supra annum ætatis 14um. 132. Ob crimen, quod Episcopus sibi soli detectum fatetur, nemo excommunicetur. 133. Non temere quispiam communione privetur. 134. Recitantur Litteræ Concilii ad Bonifacium R. P.; 135. Cyrilli Alex. de canonibus Nicænis ad Africanos; 136. Attici Constantinopolitani ad eosdem; 137. Exemplar Conc. Nicæni; 138. Litteræ Conc. Africani ad Cœlestinum Rom. Pontificem.

QUÆRES : *Quænam sit Theologorum et Canonistarum auctoritas, indeque fluens argumentationiis rectitudo et Cautela?*

234. *Nota.* Quæ est Theologiæ et Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ ex nuper dictis auctoritas, non eadem est THEOLOGORUM et CANONISTARUM; cum hi principia earum subinde vel non sequantur, vel non assequantur. Principia

utrique disciplinæ propria esse diversa, patet ex præmissis : unde quamvis sub Capitis proloquium monuerimus Theologum citra Juris Ecclesiastici peritiam, et vicissim Jurisperitum sine Theologia perfectum non esse, pro more tamen hactenus tractatæ a nobis geminæ scientiæ, utriusque etiam cultores et magistros seorsim hic et distinctos spectabimus. Eos cætera in præsens supponimus viros Catholicos, prudentes ac probos, atque disciplinæ, quam nomine et officio profitentur, non gnaros tantum, sed et ejusdem principiis utentes : qui enim conditionibus his carent, eorum rationem habendam esse nullam, prævie jam damus.

235. *Respondeo I.* Theologi et Canonistæ, **in sua quilibet facultate et pro materia sibi propria, habent auctoritatem.** *Ratio* est ; tum quia doctissimis quibusque sua in arte habenda est fides ; cum cujusque rei cognitio non aliis certius meliusque obtingat, quam ejusdem rei studiosis ac peritis : tum quia Pontifices et Concilia etiam œcumenica, præsertim posteriora, in decernendis quæstionibus dogmaticis et canonibus statuendis, illorum judicia sibi et perquirenda et sequenda censuerunt : tum quia Ecclesiæ Doctoribus et Sanctis Patribus iidem, in minore tamen auctoritatis gradu, successerunt ; ut Greg., L. 36, Mor. c. 17, similitudine *virgultorum ex succisis arboribus annosis succrescentium* declarat. Quare fundatum in hujusmodi auctoritate argumentum est probabile ; cum probabilitas argumenti extrinseca desumatur ab auctoribus fidem merentibus.

Non tamen sufficiunt 1° Auctores qualescumque, sed graviores tantum ac illi, qui prudenter æstimari poterunt, et ratione doctrinæ suæ potuisse, et ratione probitatis voluisse, et ratione diligentiæ ac prudentiæ reipsa non omisisse recte examinare quæstionem propositam : 2° Nec sufficit Auctor unicus ; prout notare licet ex hac ab Alex. VII damnata propositione, quæ num. 27° sic habet : *Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis ; dum non constet rejectam esse a sede Apostolica tanquam improbabilem.* Quid tamen de auctore unico quidem, sed omni exceptione majore, dici possit, vid in Tr. de Act. hum.

236. *Respondeo II.* **Auctoritas Theologorum et Canonistarum nec semper crescit ex numero ; nec major etiam, si contradicant alii, est irrefragabilis.** *Ratio primi* est ; tum quia in utraque disciplina, ubi auctores non sunt meri testes traditionis aut praxis, non tam numeranda quam ponderanda sunt suffragia : tum quia numerum subinde faciunt vel jussi jurare in verba scholæ aut magistri, vel soliti præeuntem sequi turmatim ut grues aut oves, vel dotibus non pollentes aut quandoque cum bono Homero dormitantes : quorum primi auctoritatem duntaxat sui magistri obtinent, medii absque examine proruentes vix ullam merentur, postremi illam vel non possident vel amittunt. *Ratio secundi* est, tum quia Theologorum et Canonistarum auctoritas nunquam est æqualis auctoritati Patrum, sed inferior : tum quia scholæ sæpius integræ opponuntur scholis, atque in pugna hujusmodi etiam inæquali auctoritas Doctorum ad faciendam fidem plus non valet, quam ratio illorum probet : tum quia patet experientia, sententias olim multorum jam antiquatas, paucorum autem invaluisse. Itaque argumentum ex auctoritate multorum, seu unam scholam conficientium seu ex diversis in aliqua opinione consentientium, contra alias scholas aut viros graves alios, non est certum, ac sæpe ne probabilius quidem. Præterea

Sequitur 1° præjudiciis illos male abripi, qui alterius vel scholæ vel opinionis viros aut doctrinam vituperant, aut notis facile impetunt : 2° observandum etiam esse ab Ecclesiarum præsidibus monitum illud, quod Benedictus XIV Lib. 7 de Syn. Diœces., c. 11, § 2, circa contendentes inter se Theologos præscripsit.

237. *Respondeo III.* **Auctoritas Theologorum aut Canonistarum in sententia, quantumvis ab Ecclesia nondum definita, conspirantium est tanta, ut illi refragari sit temerarium.** *Ratio* est ; tum quia imprudentiæ aut insolentiæ genus videtur, nolle acquiescere concordi peritorum suffragio : tum quia res satis perspicua censeri potest, in qua diversarum scholarum sectatores aut alia in cæteris passim dissentientes conveniunt : tum quia Conc. Viennense ob concordem suæ ætatis Theologorum sententiam, rem licet sub opinionis tantum gradu assertam, proposuit tamen omnibus tenendam. Hinc quod in notata etiam materia ex concordi Theologorum aut Canonistarum sententia fit argumentum, vel moraliter certum est, vel saltem unice probabile.

Est tamen 1° cavendum, ne unanimis Doctorum consensus nimis confidenter aut temere asseratur ; nisi saltem inspectio præcipuorum aut magis celebrium auctorum de reliquis id contestantium fidem fecerit : sicut nec curandum, si unus aut alter obscurioris nominis auctor, absque efficacibus rationibus et responsis, contra torrentem nitatur et extra chorum communem saltet. 2° Observanda est auctorum sive asserentium sive contrariantium ratio enuntiandi, an absolute scilicet edisserant ac simpliciter, an cum modo : an tanquam de fide, fidei proximum, certum, probabilius, probabile, etc.

238. *Respondeo IV.* **In iis, quæ ad fidei dogmata aut morum principia pertinent, indeque indubie deducuntur, unanimis Theologorum sententia majorem etiam auctoritatem habet ac tantam, ut eidem contradicere saltem hæresi aut errori proximum videatur.** *Ratio* est ; tum quia unanimis ejusmodi consensus est testimonium plusquam probabile, articulum, in quem consentitur, esse traditum ; *Quod enim,* ut Tertul., L. de Præscript. ait, *apud multos unum invenitur, non est erratum sed traditum :* tum quia sententia Theologorum concors, et erronea, in errorem induceret Ecclesiam ; sive quod ejus Pastores docendo, prædicando, et adhortando ovibus instillarent unanimia Theologorum asserta : sive quod Ecclesia nunquam repudiet concors Theologorum placitum, sic tamen statuente Can. 3, Dist. 83 : *errorem, cui non resistit, approbaret, et veritatem, quam non defendit, opprimeret.* Inde patet, argumentum ex ejusmodi unanimi conspiratione depromptum omnino pro certo esse habendum.

Neque pro hac auctoritate necessarium est Canonistarum suffragium ; quia quod Melch. Canus, L. 8 de Loc. Theol., c. 7 inquit, in his, quæ ad fidem pertinent, Jurisconsultorum auctoritate Theologus non eget : quin potius eorum titulorum expositionem Legis peritus a Theologo mutuari debet. Eamdem in rem Benedictus XIV tum Card. Dominici Pinellii sententiam adducit, tum ipse enuntiat Instit. Eccles. Inst. 57 scribens, ad Theologum pertinere, dogmata proferre in medium atque de illis disputationem instituere ; Canonum interpretem autem ea habere pro certo, et ea Theologia desumpta. Quibus dictis simile aliud in Præf. ad Comment. de Fest. Domini videre licet.

239. *Observa.* Facultates suis in censuris ac responsis eadem gaudent auctoritate, quam Theologis aut Jurisperitis pluribus supra tribuimus. In his tamen Facultatum sententiis, pro merito æstimandis, attendere oportet 1° ex parte rei, ad rationum momenta, queis nititur doctrinale judicium : 2° ex parte judicii; an fuerit unanime, legitime latum, etiam liberum tum a præjudicio Scholæ, tum a dominatu cujuscumque sive intra sive extra congregationem erga consultantes prævalentis : 3° ex parte personarum; an suffragatores sint numerosi, an eruditionis ac sapientiæ fama floreant, an valeant usu rerum et experientia, etc.

CAPUT III.

DE RATIONE ET HISTORIA HUMANA.

Rationem humanam, contra, ac in tractatus ingressu factum est, Historiæ præponimus, eo quod ampliores quam alias usus habeat, et diffusa ad scientias significatione, illam hic accipere materia superstes jubeat. Constat autem Rationem humanam sub hac latitudine sumptam non minus ac historiam a sacris Libris distinctam locos Theologiæ extraneos constituere et ex alienis disciplinis assumptos : unde de utraque dicturi duntaxat sumus universim et breviter, adjecta sub finem recensione hæresum ac propositionum damnatarum, quæ pars historiæ, præter alias in superioribus jam expositas, potissimum Theologiæ conducere potest.

ARTICULUS I.

QUÆNAM SIT RATIONIS HUMANÆ UTILITAS ET CAUTIO IN THEOLOGICIS ?

240. *Nota.* RATIONIS HUMANÆ nomine tum congenitam cognoscendi verum potentiam seu facultatem naturalem ratiocinandi, tum naturale medium cognoscendi verum indicare licet. Medium hoc naturale triplex præcipue deprehenditur : *Philosophia* scilicet, quæ rerum sive in essendo sive in cognoscendo causas naturales investigat et prodit; *Juris Naturæ cognitio*, quæ innata justitiæ principia honestati morali superaddit; *Jurisprudentia Civilis*, quæ quamvis plurimum ex libera imperantis voluntate habeat, æquitatem tamen naturalem ubique sectatur aut supponit. De facultatis rationalis viribus agendique modis supervacaneum foret, post logicæ rudimenta hic disserere. Quænam sit Philosophiæ notio et amplitudo, quæve illius sint partes seu theoreticæ seu practicæ, eæque vel physica vel moralia spectantes, prænosci a Theologo, ante accessum ad sacram scientiam,

debent. Unde si qua notitia adhuc exigitur, ea de Jurisprudentia tum naturali tum civili danda est. Sed enim de Jure naturali, officiisque erga Deum, seipsum et proximum, naturali ac indispensabili obligatione debitis, horumque principiis tum constitutivis tum cognoscitivis saltem agitur in Tract. de Legibus aut de Jure et Justitia : de Jure civili autem, quamvis particulare illud ac pro variis civitatibus vel regnis sit varium ideoque minus cognoscendum, ut tamen commune est receptum a pluribus, ex corpore Juris Justinianæi haud difficulter perspicitur.

Præter Gregorium et Hermogenem ICtos Romanos, ediderat quidem an. 435. Theodosius Junior Orientis Imperator Legum civilium collectionem libris sexdecim distinctam, quæ ab Eodem *Codicis Theodosiani* nomen accepit : prævaluit tamen postmodum Opus, quod universum jus Romanum complexum post Imperii sui exordia an. 525 posita Justinianus itidem Imp. Orientis colligi curavit, post varias autem vicissitudines Maximilianus I. per Recessus Imperii etiam Germaniæ observandum præscripsit. Corpus hoc juris, a suo editore *Justinianæum* dictum, continet Institutiones, Digesta seu Pandectas et Codicem repetitæ lectionis an. 533 simultanea promulgatione confirmatas, nec non Authenticas seu Novellas an. 559 publice dein additas.

Institutiones, quæ sunt velut elementa civilis Jurisprudentiæ, versantur circa jus triplex, Personarum scilicet, Rerum et Actionum : constant libris quatuor, divisis in titulos nonaginta novem, qui secantur in Paragraphos.

Digesta seu *Pandecta* secundum rem et nomen digerunt et comprehendunt præcipua de plerisque Juris quæstionibus antiquorum Juris Consultorum placita; definiuntur Libris quinquaginta; qui in Titulos quadringentos et amplius, sicut hi in Leges dividuntur; ne quid dicam de Digestorum divisione, alia in septem partes ab Imp. Justiniano, alia in duo volumina ab Irnerio, alia in Jus vetus, Infortiatum seu intermedium, et novum a Bulgaro, Bononiensibus sec. duodecimi jurisperitis facta.

Codex complectitur constitutiones Ethnicorum æque ac Christianorum Imperatorum ex Gregoriana, Hermogeneana et Theodosiana Collectionibus compilatas, adjectis tum antiquorum ibidem omissis, tum novis Theodosii ac succedentium Impp. editis legibus : his in repetita lectione, h. e. secunda editione auctoritativa, accesserunt quinquaginta Decisiones Justiniani cum novis constitutionibus, tandemque postea insertæ sunt authenticæ, id est derogationes vel confirmationes legales, quas vel ex Novellis Justiniani vel ex Friderici primi ac secundi Impp. constitutionibus desumptas minore litterarum charactere inspersit auctor incertus. Conflatur autem Codex ex Libris duodecim; libri ex Titulis pluribus ultra septingentos; Tituli ex Legibus et authenticis.

Authenticæ seu *Novellæ* vocantur constitutiones, quas post tres priores Juris partes conjunctim editas ab anno scilicet 533 ad an. 559 usque varias condidit. Earum in Juris corpore extant centum sexaginta octo, non tamen observato temporis ordine : Collectio ista dispescitur in Collationes novem; collationes secantur in Titulos, quorum singuli singulas Novellas proponunt: Novellæ exhibent Præfationem, Legem et Epilogum; Lex sæpius in capita scinditur.

Ad calcem memoratarum Juris civilis partium apponuntur aliquando varia Imperatorum *Edicta et Novellæ* Constitutiones item et *Feudorum* consuetudines libris quinque comprehensæ, *Leges duodecim Tabularum*, *Fasti consulares* et alia, quorum tamen vis exolevit.

241. *Dico I.* **Ratio Humana, accepta pro facultate rationali, non utilis solum est, sed et necessaria Theologo.** *Ratio* est; tum quia facultas hæc juxta Psal. 4 est quædam luminis divini participatio homini concessa ad comparandam veritatis cognitionem; hac vero sublata, ut Canus L. 9 de Loc. Theol., c. 4 inquit: « Non dico inter rusticum et Theologum, sed inter Theologum et pecudem aut saxum etiam aut truncum nihil interest : » tum quia sine rationis naturalis usu conclusio Theologica nulla haberi potest; utpote quæ propositionem naturaliter certam et perspicuam inter præmissas exigit : tum quia illius subsidium requiritur, ut quis comprehendat exponatque motiva credibilitatis; percipiat et teneat substantiam saltem articulorum fidei; paratus denique sit ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, spe fundata scilicet in fide, ut 1 Pet. 3, v. 15 dicitur.

Cavendum tamen 1° ne ratio naturalis rapiat sibi partes primas, sed discat servire, seque in captivitatem redigi in obsequium fidei : 2° ne eadem pro mensura credendorum adhibeatur; cum plura mysteria sint supra naturam, possitque Deus plura facere, quam capere humana ratio : 3° ne præfidentior sit sibique nitatur, aut ductum auctoritatis respuat; ne curiosa nimium in altissimas res penetrare præsumat; ne frivola denique sit, et inanes ac otiosas quæstiones immisceat materiis Theologicis.

242. *Dico II.* **Ratio Humana, sumpta pro Philosophia, suam in Theologicis utilitatem habet.** *Ratio* est; tum quia servit ratione Hermeniæ ad legitimum verborum et propositionum Theologicarum sensum, ratione sillogistices ac Methodi ad probationem et convictionem fidei, ratione Naturalis scientiæ ad Parabolarum, Historiarum ac Descriptionum sacrarum expositionem, ratione Ethices ad virtutum vitiorumve tractatum : tum quia juvat ad edocendos gentiles, convincendos Naturalistas et Atheos, refellendos Sophistas, delectandos eruditos, instruendos rudes, etc.; quo consilio et Patres plerique in suis scriptis, et post D. Thomam Theologi suis in Summis aut sententiarum commentariis multum philosophati sunt.

Curandum tamen 1° Ut Philosophia sit vera in principiis, adeoque hæc nihil negent aut statuant universaliter circa superiora naturæ; quia fides de potentia Dei, Trinitate et Eucharistia, hujusmodi assumpta plura declarat falsa, v. g. Nihil ex nihilo fit; Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; Exactum sensuum omnium testimonium non fallit, etc. : 2° Ut sit sana in doctrinis, quæ proin non repugnent rectæ rationi aut dogmatibus orthodoxis. Quamvis enim Philosophiæ sua sit libertas et propria regio; prior tamen limitibus rectæ rationis definiri debet, ne sentiendi libido evadat : posterior autem veritati fidei obstare nequit, cum hæc ipsa oppositio falsitatem alias prodat : 3° Ut sit cauta in delectu opinionum, inter Christianos innocue controversarum, eamque eligat, quæ cum modo loquendi Ecclesiastico cohæret; ab hoc enim recedere Catholico non licet absque temeritatis nota vel suspicione : 4° Ut si sobria in usu, ideoque nec præsumat naturali ratione evincere, quod sola revelatione constat; nec omittat e sua penu addere, quod in fidei dogmatibus ad illustrandum, in morum principiis ad confirmandum conferre poterit; nec tamen nimium Philosophiæ principiis ac principibus tribuat; cum ancillari illam non autem dominari oporteat; nec quæstiones et speculationes Philosophicas in Theologiam invehat; cum ea hinc sterilis ac inutilis evadat : nec etiam ratiunculas quascumque arripiat; cum frigidum alias et impotens fiat adminiculum.

243. *Dico III.* **Ratio Humana, accepta pro Juris naturalis scientia, non mediocrem in Theologia usum obtinet.** *Ratio* est; tum quia principia morum, quæ sive a Moyse in Tabulis sive a Christo in Evangelio prolata sunt, pleraque jam scripta fuerant in cordibus nostris, et a Jure naturæ ordinantur : tum quia qua ex parte Religio nostra est naturalis, per sese jus naturæ admittit; qua vero ex parte supernaturalis est, qua supposita revelatione et institutione, jus idem subintrat, et pro determinati status conditione obligare incipit : tum quia hanc juris materiam tanquam sibi propriam et ad Religionis officium pertinentem assumpserunt ex SS. Patribus quidem Clemens Alex. LL. 8. Stromatum, Tertul. Apolog. adv. Gentes et LL. adv. Judæos ac Marcionem, Euseb. Demonstratione Evangelica, Lactantius LL. Institutionum, Ambros. LL. 3 de Officiis, Chrysost. Homiliis in Genesin, Augustin. LL. de Civitate Dei et cont. Faustum, etc. : ex Interpretibus Alphonsus Tostatus, Cornelius a Lapide, Nicolaus Serarius, Estius, Pineda, Bonfrerius, Marius, Pererius, Lorinus, etc. : ex Theologis S. Thomas LL. cont. Gentes et Sum. 2, 2., Sotus, Cajetanus, Medina, Sylvester, Victoria, Molina, Suarez, Lessius aliique innumeri.

Colligere hinc licet 1° Penes Ecclesiam esse, interpretari Jus naturæ, quod Moysis et Christi promulgatione evasit Divinum, eamque in hac interpretatione esse infallibilem : 2° Sicut Ecclesia potestatem hanc sæpius jam exercuit damnando propositiones varias; sic ejus auctoritatem in hoc usu a Catholicis omnibus colendam reverendamque esse : 3° Cavendum hic studiosius, ut principia et dogmata hujus scientiæ vera sint ac sana : 4° Tutissimam ea eruendi viam patere in libris sacris et Patrum Interpretum ac Theologorum lucubrationibus; cujus rei specimen ante vicennium *Theses Scripturisticæ Colonienses* dederunt.

244. *Dico IV.* **Ratio Humana, sumpta pro Jurisprudentia civili, non caret utilitate, in Theologicis.** *Ratio* est tum quia in materia justitiæ normam positivam aliunde, quam ex hoc jure, frequenter non habemus : tum quia in materiis aliis ab hac prudentia vel Jus naturale determinatur vel explicatur, vel augetur : tum quia Superioribus et Legibus etiam civilibus, nihil iniquum jubentibus, obediendum esse Jus naturale et Divinum præcipit.

Advertendum tamen : 1° In causis spiritualibus et Ecclesiasticis attendi solum Jus canonicum : 2° Inter personas Ecclesiasticas in causis etiam profanis præferri Jus canonicum civili : 3° Si de conscientia et peccato agitur, ab omni Catholico servari Jus canonicum discrepans a civili : 4° Legem civilem canonizatam, h. e. vel per observantiam vel per expressos Canones comprobatam, obtinere in foro Ecclesiastico : 5° Ubi jus alterutrum aut ex obscuritate aut ex casus præteritione deficit, deficiens suppleri ab altero : 6° Occurente antinomia legis et canonis in materia indifferente, quodlibet jus valere in foro sibi proprio.

245. *Observa.* Quod de *Jure naturali* dictum est, dici etiam cum proportione potest de *Jure gentium;* quamvis recte pluribus titulis ab illo distinguatur. Præterquam enim quod cum aliis hactenus memoratis in aliqua acceptione humanæ rationis possit comprehendi; consideranti facile patet, quod analogam cum Jure naturali pro publicis gentium negotiis utilitatem in Theologia præstet : sed et hinc similibus illud cautelis limitandum esse, planissima illatione constat.

ARTICULUS II.

QUÆNAM SINT HISTORIÆ HUMANÆ COMMODA ET CAUTELÆ PRO USU THEOLOGICO?

246. *Nota.* Ut, quam appellationem a Cicerone accepit, HISTORIA dici magistra et lux veritatis mereatur, comites quidem Geographiam et Chronologiam, ducem autem artem Criticam habere oportet. Dividitur in Sacram et Profanam, prout gesta, quæ perscribuntur, ad unam alteramve rerum classem pertinent. De profana hic dicere nihil attinet, nisi quatenus cum sacra connectitur, hujusque seu partem constituit, seu notitiam illustrat : de sacra autem, quæ scriptores Canonicos pro parentibus habet, neque nunc dicendum restat; cum illuc pertinentia in prima de scripturis sacris Disputationē attigerimus; ut adeo de historia Ecclesiastica præcipuus nobis sermo relinquatur. Porro per sese liquet, sive ad cognoscenda facta, sive ad ea rite distinguenda, sive ad eadem in manu memoriaque habenda, commodum illud ingens, quod liberaliter confert Geographia æque ac Chronologia tam scientifica, quæ scilicet monumentis ex historia et mathesi depromptis locum annumque gestorum probat et determinat quam pratica, quæ nimirum aut recensionibus, scriptis aut mappis tabulisque incisis eadem exhibet : unde, præter pauca Corollario innectenda, de neutra hic tractabitur.

E contra vero, quamvis de ARTE CRITICA et rudimenta jam tradantur in Philosophia, et a nobis etiam, ubi de libris Canonicis et Patrum operibus egimus, nonnulla fuerint dicta, instituti tamen ratio videtur exigere, ut aliqua ad res Ecclesiasticas magis pertinentia subjiciamus. Nititur autem hæc ars, præter testimonium seu auctoritatem testium, quod est commune cum historia fundamentum, tanquam propriis suis principiis, et conjectura seu reflexione prudenti ad verosimilitudinis criteria; et traditione, non quidem divina aut Ecclesiastica, nec tamen mere vulgari, sed inter utramque media; et sensu aut observantia Ecclesiæ sive universalis sive particularis, quam vel ex Martyrologiis, Missalibus, Breviariis, Calendariis aliisque monumentis, vel ex solemnitatibus, moribus, memoriis aliisque institutionibus colligere datur.

247. *Dico I.* **Historia plurimum subsidii præstat sacræ scientiæ.** *Ratio* est tum quia Religio per historiam primis mundi ætatibus tradita, a Moyse ad Christum usque conservata, abhinc in omnem terram ætatemque propagata fuit : tum quia Theologia per historiam accipit præcipua sua principia, maxime directiva; doctrinæ, disciplinæ ac rituum antiquitatem vel novitatem intelligit; dogmatum fidei ac principiorum moralium occasionem, certitudinem ac sensum discit; rerum Ecclesiasticarum originem, usum, constantiamque aut varietatem cognoscit : tum quia per historiam sæpe facilius quam per ratiocinationem docetur et discitur fides; solidius confirmantur dogmata; efficacius refelluntur errores; illustrius exponuntur mysteria; potentius persuadentur instituta; stabilius servantur ordinata.

Ut vero hic fructus sperari possit, nec recipere historiam quamcumque

oportet, nec omnem historiam abjicere decet; sed prudens inter historias delectus est faciendus.

Porro *rejici* historia debet aut potest : 1° quæ impossibilia aut aliena a verosimili narrat : 2° quæ velut apocrypha aut sublestæ fidei damnatur ab auctoritate publica vel communi eruditorum sententia : 3° quæ est vel anonyma seu incerti saltem et ignoti auctoris; vel pseudonyma, seu auctori cuipiam falso inscripta, vel scotonyma seu auctoris obscuri et nullius famæ : 4° quæ multo post factum tempore primum enata, caret testium et monumentorum antiquorum auctoritate.

Recipi e contra meretur historia : 1° quæ quamvis stupenda et naturam excedentia referat, fundamento tamen non caret pro miraculo : 2° quæ judiciali auctoritate, aut consentiente scriptorum judicio firmatur : 3° quæ coram multitudine rerum curiosa nec rei admodum favente contigit; aut in lucem similis multitudinis sine contradictione fuit evulgata, aut a scriptoribus refertur, quorum intererat illam silere vel labefactare : 4° quæ ab origine fuit notissima et contestata a scriptoribus coævis.

In delectu : 1° Pensanda est tum facti publicitas, celebritas et constantia; tum narrationis veritas, asseverantia et uniformitas saltem quoad substantiam; tum Scriptorum prudentia et probitas, ab affectu et partium studio immunitas, famæ et æstimationis celebritas. 2° Præferre decet Historicos præsentes et ex visu testantes absentibus et auditu duntaxat edoctis; coævos aut suppares posterioribus et ætate sejunctis; veteres demum, si æqualibus dotibus polleant, junioribus aut recentibus. 3° Inter eosdem unus aut alter, qui factum refert, audiendus est potius, quam qui de eo silent; negantibus autem aliis, eumdem audiri non convenit : variantibus aut discrepantibus inter se scriptoribus pluribus, ex solo numero fides non est decernenda; sed vel ad qualitates testium vel ad alia critices subsidia recurrere oportet.

218. *Dico II.* **Ars Critica utilitatem habet in Theologicis, non tamen indefinitam.** *Ratio primi* est tum quia Theologia non minus crisi sanoque judicio opus habet quam recta ratione : tum quia germana critice præter textus sensusque genuini demonstrationem, veterum monumentorum authentiam et testium scriptorum auctoritatem exponit : tum quia prudentes eruditorum animadversiones, populorum persuasiones et Ecclesiarum opiniones sacram scientiam juvant et illustrant. *Ratio secundi* est tum quia sacrarum litterarum sensus, librorum Canonicorum authentia, Traditionum, Conciliorum et Patrum auctoritas judicio Ecclesiæ, non crisi humanæ, examinanda divino jussu ac privilegio est tradita : tum quia critice, quod facillime fit, limites sibi fixos transvecta in sacrum tribunal inducit privatum spiritum; simplicitatem fidei ac certitudinem evertit, Ecclesiam opinamentis, dubiis aut divinationibus implet : tum quia ars hæc posteriore primum ætate nata, neque nunc etiam certis omnino regulis firmata, et abusibus hactenus potius quam prosperis effectibus famosa, utilitatem indefinitam habere aut promittere nequit.

Ubi tamen crisi locus esse potest, advertendum est quidem : Circa *Conjecturam* : 1° Non sufficere, quod ea rationi non adversetur; sed requiri, ut argumento positivo nitatur : 2° Conjecturæ vim vel ex intrinsecis historiæ principiis vel extrinseco sapientum de ea judicio ponderari : 3° Si firma sit et partem contrariam explorate vincat, certitudinem quamdam nancisci :

4° Conjecturæ hujusmodi cedere auctoritatem incertam ; vicissim autem ab hac illam superari, si auctor fide dignus nec contradictionem coætanei expertus, rem diserte et citra ambiguitatem affirmet : 5° In auctoritatis et conjecturæ æquilibrio præsumi pro veritate historiæ ; cum auctoritas e possessione deturbari nequeat, nisi argumentis certis.

Circa *Traditionem et sensum Ecclesiasticum* autem : 1° Nihil in his tolerari superstitiosum, vanum aut inutile ; nihil nocens, indecorum aut ridendum : nihil incredibile, contradictorium aut fabulosum ; nihil absonum ab usu temporum aut dignitate hominum, quibus actio vel res tribuitur : 2° Debere legitime posse præsumi, res vel actiones easdem diuturnitate vel usu non fuisse adulteratas, nec etiam primum cœpisse absque ratione sufficiente, quamvis ea nunc designari nequeat : 3° Requiri, ne scriptores coævi, antiqui, aut alii auctoritate pollentes illas impugnarint vel damnarint ; aut difficultates obstent, quæ nequeant solide elidi.

Circa ipsam *crisin* denique : 1° Non esse transiliendos limites humanæ disquisitioni fixos supra designatos ; nec negandam submissionem judicio Ecclesiæ ; nec omittendam reverentiam antiquitati merito æstimatæ debitam : 2° Communius acceptata vel antiquitus indubia non esse abjicienda vel ex conjecturis levissimis vel ex argumento mere negativo ; sed ad hoc requiri argumenta convincentia : 3° Nihil concedendum esse effectui cuipiam sinistro ; nihil detorquendum male, arguendum præcipitantius aut exaggerandum invidiosius, non facile etiam credendum criticis, affectus hujusmodi vel defectus prodentibus.

249. *Observa.* Pro commodo ex *Geographia et Chronologia* capiendo, non tam faciunt regulæ, quam librorum notitia, in quibus Theologus subsidium paratum inveniat. Inter hoc vero pro intelligendis Vet. Novique Testamenti Codicibus serviunt præprimis Theatrum Terræ sanctæ ab Adriano Adrichomio editum, Mappæ Geographiæ sacræ a Nicolao Sanson tabulis tribus incisæ, duo item volumina Samuelis Bochardi, Geographiam Terræ sanctæ complexa : pro historia primitivæ Ecclesiæ cognoscenda prodest ex veteribus Geographia tum Strabonis tum Ptolemei ; ex recentioribus Philippi Ferrari Topographia in Martyrologium Romanum et Arnoldi Meermanni Theatrum conversionis gentium totius orbis : pro dignoscendis rebus Ecclesiasticis a Constantini ætate usque ad Honorii tempora præstat, quæ antonomastice dicitur, Notitia utriusque Imperii sub initium sæculi 5 scripta, a Guidone Pancirolo notis illustrata ; cui adjungi potest Index Geographicus editioni Conciliorum Labbeanæ subjectus : pro noscendis Ecclesiis ad quinque Patriarchatus pertinentibus consuli præsertim merentur Geographia Caroli Vialar, olim dicti a S. Paulo, Ep. Abrincensis, Jus Græco-Romanum Joan. Leunclavii, Officia Ecclesiæ Constantinopolitanæ Georgii Codini, ac demum Notitia Episcopatuum Auberti Miræi : pro hodierno tandem statu Episcopatuum discendo, præter postremi memoratam Notitiam, Politiam et Geographiam Ecclesiasticam, conducit Apparatus ad novam Conciliorum editionem, auctus ab Harduino, et correctior a Coleto Venetiis editus.

Chronologiæ notitiam suppeditant Scaliger de Emendatione temporum, Calvisius in Chronologia, Beveregius in Institutionibus Chronologicis, Petavius in Rationario et in Doctrina temporum, Ricciolius in Chronologia reformata, Salianus et Usserius in Annalibus, Brietius in Chronico uni-

versali, aliique tum antiqui tum recentiores, quorum amplissimos labores brevi libello complexi sunt Musantius in Tabulis Chronologicis et Calmetus in Chronologica Epitome. Ex his autem alter alterum correxit sæpius, aut diversam annorum seriem ordinavit, partim quod ipsi scriptorum primævi fontes deficerent, variarent, vel fluctuarent; partim quod epocharum, ærarum, periodorum aliarumque notarum Chronologicarum initia, ordo ac usus incerti variique forent : unde sub extremum valeat hæc Genebrardi observatio : In Chronologicis satis est, si probabilissimus veroque proximus calculus teneatur.

APPENDIX I.

DE HÆRESIBUS IN ECCLESIA SUBORTIS.

250. *Nota.* Ex historicis pro Theologia subsidiis restat notitia de sectis erroneis; quæ quamvis sparsim et pro opportunitate materiæ in Institutionibus Theologicis etiam amplior detur, eam tamen pro Principiorum Adjuvantium supplemento hic adjungendam duximus, ut et aliorum morem imitemur, et hanc Theologicæ eruditionis partem desiderari haud patiamur. Sectarum hujusmodi, ut de Virt. Theol. dicemus, tres universim classes numerantur, Paganismus nempe, Judaismus et Hæresis. Ad *Paganismum* referuntur Athei, Deistæ, Polythei et Mahumetani : sub *Judaismo* comprehendebantur olim Samaritani, Sadducæi, Pharisæi, Hemero-baptistæ, Herodiani, Galilæi cum Nazaræis et Essenis, utrique Ecclesiæ communibus; nunc vero Judæi in Caraitas traditionem respuentes et Rabbinistas illam recipientes scinduntur : *Hæreses* in Ecclesia Christi invaluerunt plures, quam ut paucis eas titulis recensere liceat, nisi forte ad certos fidei articulos, quos principaliter negarunt, eos reducere liberet.

Porro sicut in Disp. 2ª a prioribus duabus partibus oppugnandis abstinuimus, sic neque nunc in iis uberius referendis detinebimur; partim quod errores earum characteristici vel ex ipsomet nomine vel ex alibi dictis jam constent, alii vero inter hæreses etiam occurrant : partim quod sectariorum illorum apud nos vel minor sit frequentia vel rarior oppugnandi occasio; unde et titulum de solis hæresibus inscripsimus. Acturi autem de his, eruditioni id dabimus, ut plerasque secundum seculorum seriem, annotatis nomine, auctore et anno, atque erroribus præcipuis indicatis referamus : brevitatis autem studio id concedemus, ut minus famosas nec postea reviviscentes suis in tenebris relinquamus; vitam hæreticorum et mores historicis enarrandos relinquamus; oppugnatores etiam, damnatores ac judices hæresum, utpote magnam partem in recensione Conciliorum, Pontificum et Patrum jam annotatos, hic prætermittamus.

Seculum I.

Simoniani, dicti a Simone Mago, an. 40. Docebant mundum ab Angelis, Legem a sinistra Intelligentia conditam; Christum apparenter duntaxat passum; dari metempsychosin; resurrectionem carnis non fore; promiscuum fœminarum usum licere; nulla opera bona requiri.

A Simonis discipulis, pauca mutantibus, provenerunt Menandriani, qui immortalitatem corporum promittebant in nomine Menandri baptizatis,

Dositheani, Gleobani, Gortheni, Masbothei, Adrianistæ, Eutychistæ, Canistæ; quorum omnium brevissima duratio erat.

Cerinthiani, a Cerintho proselyto ex Judaismo, an. 51. Statuerunt Angelos mundi conditores adorandos; Jesum distingui a Christo, illumque commercio maritali natum, passum, necdum resurrexisse; hunc sub columbæ specie descendisse; et sub passionem discessisse; abjecto, præter Evangelium Matthæi, nec illud integrum, novo Testamento, servandam legem Mosaicam; baptismum pro mortuis non baptizatis suscipiendum; fore millenarium regnum deliciis carnalibus abundans, post resurrectionem, Hierosolymis agendum.

Nicolaitæ, a Nicolao Diacono, non quidem auctore, sed occasione, an. 65. Præter errorem de conditoribus mundi barbaronymis, volebant licitam idolothytorum comestionem; scortationem ac indifferentem uxorum usum non tantum licitum, sed et meritorium et ad salutem necessarium.

Ebionitæ, ab Ebione, sive voce *mendicum* significante, sive persona sic appellata, an. 72. Credebant Christum ex conjugio Josephi et Mariæ carnali natum; obligabant ad legalia; virginitatem rejiciebant; permittebant uxorum pluralitatem.

Nazarei, item Essæi, aut Esseni cir. an. 82 erant e Synagoga Christiani; qui sicut fidei in Christum addebant necessitatem observationis legalium, ita sectis antiquis appellari potuis amabant, quam dici Christiani.

Hujus seculi hæreticis addi a quibusdam solent Capharnaitæ discipulatum Christi deserentes ob crudiorem comestionis Eucharisticæ acceptionem: Hymenæus item Alexander et Philetus cum aliis Corinthiis resurrectionem mortuorum negantes, traditi satanæ a Paulo: plures denique tum Pseudochristi seu Messiam se fingentes, tum Pseudoapostoli vel Pseudoprophetæ, quorum plerique observationem legalium urgebant, aliqui etiam aut impuritatum licentiam docebant, aut magistratibus gentilibus obedientiam præstandam negabant.

Seculum II.

Cainitæ, ab æstimatione Caini fratricidæ sic dicti, an. 101. Quos Scriptura pessimos depinxit, hi celebrabant velut optimos, a Sophia contra Hysteram protectos, queis nominibus virtutes rerum creatrices, illam fortiorem, hanc infirmiorem colebant, ex Evangelio Judæ proditoris conficto ita edocti. Senserunt male de expiatione peccatorum per Christum, martyrio et idolothytis.

Helcesæi, ab Elaxai sive Helcæo Pseudopropheta appellati, an. 103. Tribuebant Christo et Spiritui S. certas quantitatis mensuras; illum apparuisse tantum licet sæpius, hunc sexu fœmineo formatum dicebant: religionis partem exoticis jurisjurandi formulis definiebant; in persecutione fidem libere negabant.

Saturniani, a Saturnino Menandri discipulo, an. 107. Fingebant septem angelos mundi et hominis conditores; eorum unum esse Deum Judæorum, sed a Christo superatum: duplex haberi hominum genus, matrimonium a satana esse inductum, esum animalium illicitum.

Basilidiani, a Basilide etiam Menandriano, an. 110. Præter Saturnini errores docebant ab ingenito Patre prognatam Mentem, a Mente Verbum, a Verbo Prudentiam, ab hac Sapientiam et Potentiam, ab his Virtutes Principes et Angelos primos, a primis cœlum supremum et Angelos alios, ab his cœlum

secundum et itidem alios, ac sic deinceps, donec per continuam propagationem formarentur 365 cœli; quem numerum in se contineat nomen *Abraxas*, quoad rem Deus, rerum omnium principium; Christum, virtutem incorpoream sed omnis tamen figuræ potentem, sub specie Simonis Cyrenæi evasisse, dum hic crucifigeretur; unde nec in crucifixum credendum, nec martyres, utpote Cyrenæo tantum similes, honorandos: animas ob peccata olim commissa nunc pati; fidem homini naturalem esse ac congenitam; disciplinam arcani more Pythagoræorum servandam.

Gnostici a scientia, Carpocratiani a Carpocrate auctore dicti, an. 120. Statuerunt Theogoniam Saturnianæ in multis similem, diversam quoad primum Deum *Barbelo* nuncupatum et alterum *Sabbaoth* cœli septimi incolam mundique conditorem: Christum hominem purum et carne tantum apparente indutum: duas in homine animas, bonam alteram et ratione præditam, alteram malam et rationis expertem; earumdem metempsychosin; carnis resurrectionem et judicium nullum; licitam a fide defectionem, idololatriam, omnemque libidinem; aversanda jejunia et procreationem prolium; ne quid dicam de nefandis mysteriis.

Adamitæ, quod nuditatem Adami innocentis in conventibus imitarentur, sic nominati, an. 130. Prodicum Carpocratis discipulum pro auctore habentes, errabant circa unitatem Dei; permissa libidine promiscua improbabant nuptias; lapsos ex Ecclesia, quam Paradisum dicebant, ejicere soliti.

Valentiniani, appellati a Valentino an. 140. Suo de Æonibus horumque genealogia systemati, ex Platonis ideis, Theogonia Hesiodi, et Evangelio S. Joannis misere compilato, addiderunt errores de Deo corporeo, de corpore Christi cœlesti, de nativitate ejusdem mere transitoria, de triplici genere hominum Pneumaticorum, Psychicorum et Choicorum, deque corporum resurgentium spiritualitate, etc.

Ex Valentini sectariis, specialem subin errorem addentibus, alii usurpabant nomen ab auctoribus, quales sunt Secundiani, novam Æonum seriem et naturam statuentes; Heracleonitæ, animam mortalem et corruptibilem volentes; Marcosii Deum quaternitate et Pleroma litteris alphabeti complectentes; Colorbasii vitam et gratiam hominum in septem sideribus constituentes; cæterique a Florino, Blasto, Bardesane, Berone et Alexandro nomen et singularem insaniam mutuantes: alii appellationem derivabant aliunde, uti Ophitæ seu serpentini a serpente Paradisi, quem auctorem scientiæ boni et mali, quin ipsum esse Christum delirabant; Archontici seu principales a principe, pro quo seu rerum omnium principio spirituales substantias habebant; Abelitæ, qui Abelem, Sethiani, qui Sethum Patriarcham fuisse Christum contendebant.

Cerdoniani, a Cerdone an. 141. Admittebant duo rerum principia æterna, alterum bonum et Christi patrem; malum alterum et Legis ac Prophetarum auctorem.

Marcionitæ, a Marcione an. 142. Assumptis duobus Cerdonis principiis et Valentini Æonibus, adjunxerunt Christum duplicem, alterum apparentem tantum et passum, alterum judicem olim venturum: damnarunt conjugium et generationem; vetuerunt baptismum conjugatorum: exercuerunt anabaptismum, etc.

Marcionis discipuli Lucianus et Apelles cum Philumena sectas quidem a nomine suo distinctas, a Marcionitis autem dogmate non admodum diversas

fecere. Ex his posterior voluit fidem sine examine retineri, quam quilibet a nativitate ac institutione parentum acceperit.

Theodotiani, a Theodoto Coriaro an. 146. Asserebant filium Dei et Angelos, animas etiam ac dæmones esse corporeos; dari in Angelis differentiam sexus; ipsum Jesum habuisse opus redemptione, quam columbæ in baptismo apparentis beneficio acceperit; Deum Patrem in Christo passum; a Christo patiente recessisse animam spiritualem et divinam, remanente materiali; astra rebus inducere fatum, etc. Dicebantur etiam Alogi. h. e. Verbo carentes, ob negatam Verbi divinitatem, atque hinc S. Joannis Apocalypsin ac Evangelii initium erasum.

Encratitæ, h. e. continentes, orti a Tatiano lapso, an 171. Admittebant Valentini Æones; rejectis pro libitu variis Scripturæ libris, sectabantur Evangelia apocrypha; Legis et nuptiarum auctorem statuebant dæmonem; ob eamdem originem abstinebant a carne et vino, adhibita etiam in Eucharistiæ sacrificio sola aqua, inde Hydroparastatæ dicti.

Montanistæ a Montano, Cataphryges a regione, Pepuziani a vico dicti an. 172. Fingebant Sp. Sanctum Montanum ejusque scorta, Priscillam et Maximillam descendisse; damnabant secundas nuptias; inhibebant fugam in persecutione; imminuebant potestatem clavium; indicebant nova et singularia jejunia.

Montanistis accensentur Quintilliani, a Quintilla pseudoprophetissa, Artotyritæ, panem et caseum in Eucharistia adhibentes, Tascodrugitæ, inter orandum naso digitum indicem imponentes; Ascodrugitæ, utrem inflatum in conventibus exponentes; Tertullianistæ a Tertulliano Scriptore Ecclesiastico, animas esse corporeas, et has olim in dæmones convertendas asserente, etc.

Ad hoc seculum pertinent Millenarii verecundiores a Papia an. 109 exorti: Epiphanes Carpocratis filius an. 120 a sua secta honore divino singulis mensium Calendis cultus: Hermogenes Stoicus an. 179 docens materiam improductam, æternam, et rerum omnium conprincipium: Seleucus et Hermias an. 190 sentientes cum Hermogene, nec resurrectionem aliam, quam generationem ordinariam admittentes: Artemon an. 191 negans divinitatem Christi, falsamque ad Apostolorum doctrinam et traditionem provocans.

Seculum III.

Patropassiani vel Monarchici sic dicti, quod Patrem divinum esse passum admitterent, vel admittere cogerentur; quia in Deo statuebant personam re unam, nomine duntaxat vel operatione trinam, quæ frequentius Pater, sæpe Filius aut Sp. Sanctus dicebatur. Appellationes varias capiebant a variis hujus erroris vel solitarii vel aliis conjuncti auctoribus, scilicet Praxeani a Praxea Asiatico an. 205; Noetiani a Noeto Smyrnensi an. 239; Sabelliani a Sabellio Ep. Ptolemaidis an. 257, qui et Christo divinitatem detraxit; Pauliani a Paulo Ep. Samosateno an. 263; quamvis hic distinxerit Verbum et Spiritum Deo internum et cum Patre unum a Spiritu et Verbo externo ac prolatitio, immediate unito cum Christo.

Novatiani tum a Novato Carthaginensi, tum a Novatiano Romano Presbyteris an. 251. Lapsis negabant pœnitentiam; baptizatos extra suam sectam rebaptizabant, negabant Confirmationem, contemnebant Martyres et Mar-

tyrum reliquias, secundas nuptias damnabant. Dicebantur etiam *Cathari* ob jactatam suorum munditiam.

Manichæi a Manete seu Manichæo, mancipio Persa an. 277. Statuebant duo principia, alterum bonum seu lucem et boni causam, alterum malum seu tenebras, et mali, quod substantia etiam sit, auctorem; unde fabulosam rerum omnium et mundi ex boni malique mixtione conflati genesin deducebant. Utrique principio tanquam affectus tribuebant bonos vel malos ignem, aquam, ventum et aera; bono præterea solem et lunam, malo carnem et vinum adscribebant. Faciebant Deum corporeum et nomine duntaxat trinum : Christum volebant sine vera carne, adeoque mere apparenter natum passum et redivivum, ad solas salvandas animas missum. Homini negabant libertatem, admissis in eo duabus animabus, ex natura sua faciente altera bonum, altera malum, prout alterutra foret superior. Rejiciebant Testamentum Vetus, fidei baptismique necessitatem et utilitatem, Reliquiarum Sanctorum venerationem, matrimonium, resurrectionem carnis; abstinebant a vino, carne, ovis, lacte, occisione animalium, evulsione plantarum, quin et a pane, quem nonnisi execratione expiatum manducabant; credebant metempsychosin et substantiæ divinæ particulas rebus omnibus inexistentes; conspurcabant Eucharisticum panem; jejunabant diebus solis et lunæ; mille impudicitiis, maxime eorum Electi, se inquinabant, etc.

Hieracitæ, ab Hierace Medico Ægyptio an. 290. Loquebantur male de Filii divinitate et generatione; Melchisedechum habebant pro Spir. Sancto; negabant Paradisum fuisse sensibilem, aut fore carnis resurrectionem; volebant nuptias convenisse tantum veteri Testamento; cum baptismo etiam decedentes ante rationis usum fieri extorres regno cœlorum.

Huc spectant Docetæ seu opinatores, orti a Julio Cassio an. 201. Incarnationem pro mera apparentia habentes; unde et Phantasiastæ dicti : Melchisedechiani, ortum a Theodoto Trapezita an. 217 nomen trahentes a dogmate, quo Melchisedechum Virtutem cœlestem, et Christo præcellentiorem ferebant : Valesiani a Valesio Arabe an. 240, concupiscentiam, qua tolli libertatem putabant, ex sectione tum propria tum aliena corrigere studentes : Arabes quidam cir. an. 249, mori animum et cum corpore suscitari docentes : Aquarii sub seculi medium et persecutionis tempus sacrificium aqua conficientes, ne ex vini odore dignoscerentur.

Seculum IV.

Donatistæ, a Donato Casarum nigrarum an. 311. Contendebant Ecclesiam, ob communionem cum Cæciliano ubique terrarum velut contagione extinctam, in sola Africa penes Donati partem remansisse; ideoque extra suam sectam baptizatos et ordinatos jubebant iterare Sacramenta. Dicebantur etiam Montenses, Rupitani, Campitæ a monte, rupe aut campo, queis celebrabant suos conventus; Rogatiani, Claudianenses, Primianistæ, Maximianistæ a schismatis, quo inter se scindebantur, auctoribus; Circumcelliones a quorumdam circa rusticanas cellas victus gratia vagantium usu; qui etiam sponte se aliis occidendos præbebant aut ipsi inferebant sibi mortem, captata hinc Martyrii gloria et *Agonosticorum* appellatione.

Ariani, ab Ario Presbytero Alexandrino anno 319. Profitebantur tres quidem personas; sed Patrem solum asserebant Deum verum æternum et immutabilem : Filium etiam dicebant natura perfectissimum, ante mundi initia factum, ac instrumenti loco ad omnium creationem assumptum, quin

et Dei filium ac Deum; non tamen Patri consubstantialem, nec attributis et gloria æqualem, nec per essentiam bonum, sed creaturam et gratia tantum et adoptione Deum : Spiritum sanctum item statuebant creaturam Filii, dignitate inferiorem Patre et Filio, cooperatum in creatione universi.

Successu temporis dividebantur Ariani in varias sectas. Alii erant Anomœi, qui Filium Patri omnino *dissimilem*, heterousium et subjectum dicerent : habebantque pro auctoribus Aetium Diac. Alexandrinum an. 358; Euzoium Ep. Antiochenum an. 360; Eunomium an. 362, qui circa Dei cognitionem, baptismi formam et animam Christi, errores cumulabat; Eudoxium Ep. Constantinopolitanum an. 367, aliosque; unde et appellationem capiebant. Alii Semiariani dicebantur, qui Filium Homoeusium seu *per omnia similem* statuebant, auctoribus Basilio Ancyrano, Georgio Laodiceno et aliis an. 347, præeuntibus jam an. 331. Eusebio Nicomediensi et Cæsareensi, unde et Eusebiani vocabantur. Alii Omoei similem faciebant Filium, præscindendo tamen an in omnibus ac essentia foret similitudo; quorum caput an. 341. erat Acacius Ep. Cæsareensis, a quo Acaciani appellabantur.

Photiniani a Photino Episc. Sirmiensi an. 345. Conjungentes Sabellii et Pauli Samosateni hæresin, dicebant Deum esse solitarium, nullam Verbi et Spir. Sancti esse personam, sed meram temporariam Patris extensionem ad extra; Christum accepisse ex Maria initium, merumque esse hominem.

Aeriani, ab Aerio Presbytero anno 350. Æquabant Presbyteros Episcopis; damnabant sacrificia, orationes et bona opera pro defunctis; rejiciebant jejunia ab Ecclesia statuta et Paschalem celebritatem.

Macedoniani, a Macedonio Episc. Constantinopolitano, Pneumatomachi a dogmate an. 362. Non differebant a Semiarianis, nisi quod errorem de Spiritu Sancto impotentius divulgarent, quem divinitatis expertem, creaturam, famulum et ministrum blasphemabant.

Apollinaristæ, ab Apollinari patre et filio Presbyteris an. 377. Errabant circa Trinitatem jam cum Sabellio jam cum Ario : Verbum dicebant supplevisse in Christo jam totam animam, jam solam mentem : in eodem negabant veram carnem : post resurrectionem universalem fingebant redituram Vet. Legis observantiam.

Priscillianistæ, a Priscilliano Hispano an. 380. Erroribus Sabellii, Arii, Manichæi et Gnosticorum capitalibus addebant ex suo fatum astrologicum, licentiam mendacii et perjurii, facultatem docendi datam fœminis.

Jovinianistæ, a Joviniano monacho anno 389. Spernebant cœlibatum et monachatum; reprobabant jejunia et abstinentiam a certo ciborum genere; negabant inæqualitatem peccatorum, meritorum et præmiorum cœlestium, item gratiæ amissibilitatem; affirmabant Virginitatem Beatissimæ in partu læsam.

Massaliani seu Euchitæ a precibus, et Enthusiastæ a visionibus an. 390. Solis precibus tribuebant omnia, nihil Sacramentis, jejunio aut labori; illusoriis revelationibus se aliosque fallebant, oculis corporeis Deum a se videri et Spiritus Sancti adventum percipi mentientes; peccatum originale per baptismum, intacta radice, tantum abradi effutiebant.

Eidem seculo adscribuntur Anthropomorphitæ sic dicti, quod Deum putarent corporeum et ad ejus imaginem hominem etiam secundum corpus fuisse factum; qui an *Melitoniani* a Melitone Episc. Sardensi an. 170, vel *Audiani* ab Audio vel Audæo an. 350, jure dici queant, vid. in Tr. de Deo : Triformii, prioribus ætate ac dogmate vicini, Deum triformem ex Patre,

Filio ac Sp. Sancto, tanquam tribus partibus constantem, fingebant : Quartodecimani ab an. 325, hæretici, qui post Decretum Nicænum nihilominus in paschate luna 14ª celebrando persistebant : Colluthiani a Collutho Presb. Alexandrino, prope idem tempus ordinante Presbyteros, et Deum auctorem pœnæ ac mali negante : Eustathiani ab Eustathio Sebasteno cir. med. sec. præter nuptias et carnem damnantes primitias, agapas et conventus Ecclesiasticos : Collyridiani an. 377, dicti a placentis, quas Arabes offerebant in honorem Deiparæ pro Dea honoratæ : Antidicomarianitæ, h. e. adversarii Mariæ an. eod. dicti, quod Deiparam plurium adhuc ex Josepho prolium matrem facerent : Helvidius an. 382, ejusdem erroris socius et matrimonium virginitati æquans.

Seculum V.

Pelagiani a Pelagio, Monacho Laico, an. 405. Errarunt docendo, Adamum esse conditum mortalem, et miseriis vitæ subjectum æque ac ad meritum et demeritum potentem : primævum hunc hominis statum fuisse conditionem naturæ, non culpæ meritum nec gratiæ beneficium : peccando Adamum nocuisse sibi soli, non posteris, nisi exemplo nasci homines de facto, sicut Adam conditus fuerat : nec contrahi nascendo culpam : ideoque parvulos non egere baptismo ad delendum peccatum originale, sed ad intrandum in regnum cœlorum, a vita æterna distinctum : congenitas homini vires ac libertatem sufficere ad omnes tentationes vincendas, ad peccata omnia vitanda, ad omnia Dei mandata servanda, ad opera meritoria peragenda, ad beatitudinem adipiscendam : ad ista, non quidem simpliciter, sed tantum facilius posse, gratiam Dei esse necessariam : hanc reipsa dari, non tamen gratuito, sed secundum merita naturalia : eam, quæ detur, externam esse ac illustrationis, non internam et voluntatis : convenire huic etiam vitæ impeccantiam et justitiæ perfectionem : prædestinationem ad gratiam et gloriam non fieri. Dicti sunt iidem Cœlestiani a Cœlestio, primario Pelagii discipulo et hæresis adjutore.

Semipelagiani ab imminuto Pelagianismo, et Massilienses a civitate, in qua spargi errores cœperunt, an. 427. Retinuerunt ex Pelagianorum erroribus tum illum, quod natura se sola sufficiat saltem ad initium fidei, adeoque justitiæ et salutis; tum eum, quod propter naturale opus detur gratia ad fidem et justificationem, adeoque ut, ubi opus ejusmodi v. g. in infantibus præcedere nequeat. Deus tamen collationem vel negationem gratiæ omnino commensuret ad merita naturalia vel demerita conditionate prævisa, quæ scilicet infantes habituri essent, si diutius vixissent. Addebant hinc Deum *indifferenter et æque* velle omnes salvos fieri, si ipsi velint, voluntate nimirum ex solis viribus naturalibus agente; Christum etiam simili indifferentia et æqualitate pro omnibus passum, et hos sub eadem conditione fieri participes redemptionis, ideoque electos nihil habere, ex parte affectus et voluntatis Dei, præ reprobis; nec dari vocationem secundum propositum; nec gratuitam et a merito naturali independentem prædestinationem sive ad gratiam sive ad gloriam.

Nestoriani a Nestorio Ep. Constantinopolitano an. 428. Distinguebant personam Verbi a persona Hominis in utero Deiparæ formati; nec inter utrumque unionem admittebant substantialem ac physicam, sed accidentalem duntaxat et moralem : unde Incarnationem dicebant esse meram inhabitationem Verbi in homine velut in templo; negabant Deum esse natum,

passum aut mortuum; non patiebantur B. Virginem vocari Θεοτόκον seu Deiparam, sed Χριστοτόκον tantum aut Ἀνθρωποτόκον, seu Christi vel hominis matrem.

Eutychiani ab Eutychete Archimandrita Constantinopolitano, Monophysitæ a dogmate dicti an. 448. Statuebant Christum quidem esse ex duabus, non autem in duabus naturis, adeo, ut, sicut per et post unionem Verbi cum homine in Christo una duntaxat est persona, sic una etiam tantum sit substantia et natura; explicando hanc unitatem evenisse sive per compositionem aut mixtionem aut confusionem utriusque naturæ, sive per conversionem unius naturæ in aliam, sive per alterius ab altera absorptionem.

Multiplex hujus sectæ appellatio aut ab Eutychetis discipulis aut ab erroribus additis hoc et sequenti seculo emersit. Theopaschitæ dicebantur, qui auctore Petro Gnapheo seu Fullone Patr. Antiocheno an. 471, divinitatem cruci affixam docebant, hinc Trisagio *Sanctus* Deus, etc. illud : *Qui crucifixus es pro nobis,* addentes. Acephali qui a Petro Mongo Patr. Alexandrino, ob pacem cum Acacio Constantinopolitano an. 482 initam, discesserunt, communionem deinceps suam *sine capite,* h. e. sine ullo Episcopo habentes. Corrupticolæ, qui Christi corpus corruptioni seu infirmitatibus humanis, ex necessitate quidem, subjectum dicebant, auctoribus an. 518. Severo Patr. Antiocheno et Theodosio Alexandrino; unde et Severiani aut Theodosiani audiebant. Incorrupticolæ aut Aphthardocetæ, ac Phantasiastæ, qui Christo corpus penitus incorruptibile tribuebant, docentes hinc illum specietenus tantum exhibuisse affectiones humanas, auctoribus an. 519. Gajano Ep. Alexandrino et Juliano Halicarnasseo, appellatione inde sectariis adhærente. Agnoetæ seu ignorantes, qui auctore Themistio Diac. Alexandrino, an. 530 præter alias infirmitates Christo ignorantiam extremi judicii aliorumque tribuebant.

Prædestinatiani, dicti a primario errore, quo docebant ex mera Dei voluntate alios ita prædestinari ad vitam, ut perire non possint; alios ad mortem, ut salvari nequeant. Addebant, Deo haud inesse voluntatem salvandi omnes; nec Christum mortuum esse pro omnibus; nec relinqui libertatem hominibus; nec Sacramenta in prædestinatis ad mortem habere vim remittendi peccata aut conferendi gratiam. Hujus hæresis ortum probabilius affigendum esse postremæ seculi 5 medietati, ostenditur in Tr. de Deo sub finem.

Præsenti seculo tribuuntur Abeliani an. 402, velut *Abelis* continentiam profitentes, probatis quidem nuptiis, operam dare liberis nefas ducentes, sed horum defectum adoptione supplentes : Vigilantius Presb. Barcinonensis an. 406, reprobans Sanctorum Martyrum invocationem, Reliquiarum venerationem, vigiliarum celebrationem, Clericorum cœlibatum cum virginitate, monachorum institutionem, eleemosynarum in Monachos, Virgines et Viduas distributionem : Cœlicolæ an. 408, admixto Christianæ fidei Judaismo, insuper cum paganis sidera seu cœlum adorantes : Xenaias Ep. Hieropolitanus an. 486, religiosum imaginum cultum persequens.

Seculum VI.

Jacobitæ, a Jacobo Zinzalo Syro, baptismum igne conferente, dicti an. 535. Hoc nomine ab eo tempore Eutychiani per orientem plerique omnes, maxime autem Armeni, se distinguebant a Catholicis, quos *Melchitas* h. e. Imperatorios compellabant, eoquod Marciani Imperatoris fidem in Conc.

Chalcedonensi sancitam sectarentur. Præter communem hæresis errorem varii varios singularium sectarum errores assumebant, ritibus etiam plurimis exoticis circa sacrificium, festa, jejunium et imagines adjunctis.

Commemoratis priori seculo Eutychianismi surculis accesserunt Semidulitæ, etiam Barsaniani a Barsano Acephalo an. 535 appellati, qui digito farinæ intincto et ad os admoto Eucharistiam celebrabant. Item Tritheitæ, seu tres Deos confessi, an. 537, a Joanne Philopono Grammatico Alexandrino orti, qui tres in divinitate substantias seu naturas, et hinc tres Deos, admisit vel admittere vi consequentiæ cogebatur.

Origenistæ, qui errores Origeni, sive proprios sive imputatos, sectabantur, in Conc. œcumenico V damnati, quod vide; ubi etiam *de tribus capitulis* in controversiam adductis mentio habetur.

Contemporanei sunt Deuterius an. 506 baptismi formulam usurpans in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto; Acœmetæ seu vigilantes, Monachi sic dicti ob perpetuum chorum, qui an. 553. Nestorianismum aut ejus suspicionem incurrerunt, quod obtinate negarent, de Trinitate unum in carne passum.

Seculum VII.

Monothelitæ a processione unius in Christo voluntatis dicti an. 633. Quamvis ab Eutychianis se distinguerent, duas in Christo naturas prædicando; ab eorum tamen consectariis non recedebant, unam duntaxat Christo voluntatem, unamque itidem energiam theandricam seu operationem Dei virilem statuendo, ea ex ratione, quod humanam in Christo naturam solum ut a divinitate motam, nunquam motu proprio, agere opinarentur. Vide Conc. Œcumenic. VI.

Pauliciani a Paulo Armeno an. 653. Admittebant duo Manichæorum principia; Deiparæ negabant maternitatem; Baptismum et Eucharistiam reponebant in solis Christi verbis; Prophetas, Sanctos, et Crucis lignum spernebant; mendacium et religionis simulationem permittebant; præterea in omne libidinis genus liberrime effusi.

Temporibus his adscribuntur a Damasceno Christolytæ, solam Christi divinitatem ascendisse in cœlum rati, et sic Christum *solventes;* Gnosimachi, omnem *scientiam*, etiam sacram, respuentes; Ethnophroni, superstitionem *Gentilium* sectantes ac *Sapientes;* Parermenitæ, Scripturam sacram pro libitu *interpretantes;* quos tamen sufficiat nominasse.

Eodem etiam seculo, æra anno 682 affixa, ortum habuit Mahumetismus, cujus præcipua capita sunt, Deum non esse personis trinum; Christum quidem Prophetam sanctum, non tamen Deum esse nec passum; nulla esse Christianorum Sacramenta; beatitudinem voluptatibus carnis definiri; esse circumcisionem necessariam, pluralitatem uxorum licitam, usum vini prohibitum, etc.

Seculum VIII.

Iconomachii ab hostili in sacras Imagines animo dicti an. 725. Earumdem non aliter, ac si idola forent, usum, memoriam ac venerationem insectabantur, dimovendo eas ex Ecclesia et conspectu, ludibrio et execratione habentes, igne ferroque abolentes. Vide Conc. œcum. VII.

Adoptiani a dogmate Elipandi Ep. Toletani an. 783 et Felicis Ep. Urgelitani anno 791 edito, quo uterque Christum vocabat filium Dei adoptivum, resuscitato Nestorii errore.

Errarunt hac ætate, et quidem an. 744 tum ALDEBERTUS natione Gallus, mendax sui ipsius jactator et invocationem ad Angelos ignoti nominis præscribens; tum CLEMENS Scotus, Christi redemptionem ad damnatos extendens; prædestinationis doctrinam pervertens, Ecclesiasticos canones et Patrum auctoritatem respuens, defuncti fratris uxori nuptias cum fratre concedens; necnon an. 748. SAMSON Scotus, contendens sola Episcopi manuum impositione Christianum fieri sine baptismo, et VIRGILIUS infra nos mundum alium hominesque diversos somnians : tandem an. 796. BAGNOLENSES vel COZORENSES, ex loco dicti, Manichæismo resuscitato addentes, juramentum omne Christianis esse interdictum.

SECULUM IX.

PHOTIANI, a Photio Patr. Constantinopolitano, GRÆCI SCHISMATICI a scissione Orientalis Ecclesiæ ab Occidentali an. 858. Schisma subin auxerunt erroribus de processione Spiritus Sancti, de beatudinis et damnationis initio, de purgatorio, de pane Eucharistico, de Primatu Pontificis. Vide Conc. œcum. VIII, XIV et XVI.

Seculum [istud fœdarunt erroribus et sectis SERGIUS et BAANES Pauliciani an. 840. MICHAEL BALBUS Imp. mortuorum resurrectionem et dæmonum existentiam negans, approbans vero scortationem an. 835. CLAUDIUS CLEMENS Ep. Taurinensis Iconomachus an. 828. THIOTA pseudo-prophetissa de mundi fine an. 647. GOTESCHALCUS prædestinatianus an. 849. JOANNES SCOTUS ERIGENA, circa Eucharistiam et prædestinationem hallucinatus an. 850.

SECULUM X.

Hæresis hoc seculo nova refertur nulla : antiquæ Eutychianorum et Armenorum novos subinde motus prodiderunt : Anthropomorphitæ etiam in Italia et Manichæi in Syria revixerunt.

SECULUM XI.

MANICHÆI NOVI, qui hoc seculo plurimos Manetis errores in Occidentem intulerunt, varia sortiti sunt nomina. Discebantur STEPHANITÆ aut LISOIANI a Stephano S. Puellaris Scholastico et Lisoio S. Crucis canonico in urbe Aurelianensi an. 1017. GANDULFIANIA Gandulfo Italo suos errores in Diœcesi Cameracensi disseminante an. 1025. BOGOMILI, Bulgarica lingua *dilecti Deo* an. 1038. Eorum primi addebant Manichæismo *carnem cœlestem*, quo nomine indicabant infantem ex promiscua suis in conventibus libidine natum, et octavo post die flammis in cineres redactum : secundi contemptum omnium sacrarum rerum et sepulturæ Christianæ, lapsisque post professionem pœnitentiam interclusam : tertii fabulosam Filii et Sp. Sancti nec non satanæ genesin, Angelorum connubia, dæmonum officia et venerationem, ritum baptismi verbis consummatum.

BERENGARIANI a Berengario Archidiac. Andegavensi, SACRAMENTARII a primario errore an. 1050. Dogmatizabant non fieri transubstantiationem Eucharisticam, solamque hic haberi figuram corporis et sanguinis Dominici : baptismum parvulorum esse frustraneum, et scortationem licitam.

TRITHEITÆ a Roscellino, Dialectico Compendiensi, an. 1002 docente, tres personas in Deo esse tres res ab invicem distinctas, ad morem trium Angelorum aut hominum, una tamen eademque voluntate et potestate præditas;

omnes eamdem assumpsisse naturam humanam; vereque dici posse tres Deos, si usus admitteret.

Ævi ejusdem sunt duo fanatici an. 1001, alter Leutardus, a decimis solvendis dispensans et parti duntaxat a Prophetis revelationem fidem præstans; alter Vilgarus dictis poetarum etiam fidem præcipiens : Simoniani, Concubinarii, Incestuosi, an. 1065, quorum priores Clerici emptionem beneficiorum et usum conjugii sibi licitum tuentes; postremi Laici post gradum consanguinitatis tertium, quem, ipsi sextum volebant, matrimonia passim celebrantes : Wecilo an. 1085 negans seculares ullatenus subjacere judicio Ecclesiastico aut posse excommunicari.

Seculum XII.

Manichæorum propago erant tum Petrobrusiani aut Henriciani, a Petro Brusio sive de Bruis magistro et Henrico illius discipulo monacho apostata an. 1120, tum Albigenses ab Albiga, urbe Tolosæ vicina an. 1147 appellati. Utrique antiquis erroribus adjungebant novos; primi quidem docentes, missæ sacrificium nihil esse, baptismum absque fide parvulis conferre nihil, fidelium preces non prodesse defunctis : postremi vero negantes resurrectionem carnis, purgatorium et infernum, Sacramenta et jurisdictionem Ecclesiasticam. Accesserunt his in Germania Apostolici an. 1148 ortum ab Apostolis et potestatem consecrandi sibi usurpantes; necnon in Belgio Publicani aut Popliciani an. 1167 nomen hoc a corrupta Pauliciani voce adepti : utrique manichæorum insaniam exercentes.

Arnaldistæ ab Arnaldo Brixensi an. 1139. Præter erroneas de Eucharistia et Pædobaptismo opiniones contendebant bona temporalia omnia deberi laicis, ea injuste detineri a Clericis, salutem non posse consequi Episcopos Regalia, aut Monachos possessiones habentes.

Waldenses dicti a Petro Waldo mercatore, Pauperes de Lugduno a professione vitæ, Leonistæ a memorata urbe, Cathari vel Puritani ab affectata munditia, Sabbatati a gallico nomine calceorum ligneorum. Ortum habuerunt an. 1160. Errores numerarunt plures, quos recensitos vide in Conc. œcum. XI historia.

Addendi sunt huic ætati Tanchelinus an. 1124 explodens ministerium Episcoporum et Sacerdotum tanquam inane, et Eucharistiam velut inutilem ac nullam : Petrus Abailardus an. 1140 de viginti erroribus hæresin Arii Nestorii, Manichæi, Eutychetis et aliorum repetentibus accusatus : Gilbertus Porretanus an. 1148 deum a deitate, Personas a proprietatibus, essentiam ab attributis distinguens, naturam divinam incarnatam negans, Sacramenta et opera meritoria evacuans : Demetrius quidam Græcus an. 1166. Filium Dei incarnatum Patri inferiorem ullo modo dici posse inficians : Folmarus Præp. Trieffensteinensis an. 1175 integritatem corporis Christi in Eucharistia negans, errorem tamen post retractans. Almarici Parisiensis et Joachimi Abb. Floriacensis errores circa finem seculi editos legere licet in hist. Conc. œcum. XII.

Seculum XIII.

Stadingi, a patria in Frisiæ et Saxoniæ finibus sita compellati, an. 1252 Post neglectam, quia ob negatas diu decimas correcti erant, excommunicationem, mores et doctrinam Manichæorum passim sequentes, inter cætera Paschali solum communione utebantur, ad horrendum sacrilegium, exspuitione hostiæ in latrinam, exercendum.

Flagellantes a flagellatione publica aliisque pœnitentiæ operibus dicti an. 1259. Docebant extra suam sectam salvari neminem; ipsi quantumvis laici audita mutuo confessione sese invicem absolvebant, aucto per posteros sequenti seculo succedentes errorum et insaniarum numero.

Fraticelli seu fraterculi aut Bizochi a mendicorum mantica dicti an. 1296 apostatæ erant ex diversis ordinibus etiam fœminæ; aperte contra Romanam Ecclesiam rebelles et calumniantes, damnantes opera manualia, sibique vindicantes donum Spiritus sancti et potestatem absolvendi.

Contemporanei fuerunt David de dinando an. 1209. Deum esse materiam primam asserens : Circumcelliones, Waldensium soboles, an. 1249 spargentes defecisse Ecclesiam, Verbum Dei a Pontifice, Episcopis et Sacerdotibus esse corruptum : Pastoritii, auctore Jacobo quodam Hungaro, an. 1251 non tam ad Cruciatam, quam ad rapinas et contumelias fidei ac Pontifici impengendas seducti : Guilielmus de S. Amore cum quibusdam Doctoribus Parisiensibus an. 1255 injuriosa et erronea plura contra Ordines mendicantes et Ecclesiam Romanam evomens : Geraldus Segarellus novorum Apostolicorum auctor an. 1300 insanis cærimoniis Christum et Apostolos imitari conatus, de divina mundi gubernatione male locutus, pejus caritatis nomine ad promiscuam libidinem abusus.

Seculum XIV.

Dulcinistæ a Dulcino Novariensi an. 1308. Tradebant a tempore Silvestri defecisse Ecclesiam Romanam, Ordines Religiosos esse fidei noxios, laicos non teneri ad decimas, omnia esse communia.

Beguardi mares et Beguinæ fœminæ an. 1312 per Germaniam plurimum diffusi, præter errores in Conc. œcum. XV recensitos; sub pietatis specie tegebant maximas turpitudines voce et facto proditas.

Lolhardi auctore quodam Waltero Lolhard an. 1350. Negabant Deo esse cognita, quæ sub terram fiunt; item natum a Deipara hominem; habebant Angelos malos honorifice, bonos contemptui : spernebant Sanctos, Sacramenta, ritus Ecclesiasticos, jejunia, sacrificium missæ, etc.

Fratres spirituales aut de vita paupere Minoritarum apostatæ an. 1318 ducibus Henrico de Ceva in Sicilia; Angelo de Valle in Italia, Petro Joanne de Oliva in Gallia, quos ex parte sequebantur postea Michael de Cæsena et Wilhelmus Ochamus in Germania. Fingebant sub adventum S. Francisci Ecclesiam Romanam factam esse meretricem Babylonicam, Papam vero Antichristum; veram Ecclesiam penes se stare paupertate firmatam; Christum nihil unquam habuisse proprii; sacerdotes peccatores excidere potestate et jurisdictione, etc.

Palamitæ a Gregorio Palama, Quietistæ a contemplatione, Umbilicani a situ inter precandum appellati an. 1341. Persuasum sibi aliisque volebant, in quiete mentis, dum capite versus umbilicum flexo meditabantur, conspicuo circa eumdem quasi animæ sedem cœlesti quodam et increato, sed tamen corporeo lumine se perfundi Deumque videre; cujus generis fuerit et illud lumen Taboriticum Christo transfigurato circumfusum.

Turlupini, Beguardorum vel pars vel propago an. 1373. Docebant nihil pudere quemquam debere, quæ a natura accepimus; quo ex principio posita verecundia omni incedebant nudi et palam exercebant impudica : orandum præterea dicebant, non voce, sed corde tantum et Spiritus libertate, nullis divinis legibus subjecta.

Wicleffistæ a Joanne Wicleff an. 1377. Eorum errores plurimos recensitos vide in Conc. Constantiensi.

Errarunt hoc seculo Arnaldus de Villanova an. 1317 prædicens finem mundi, ac prætereá inficiens religionem circa misericordiæ opera, et fidem circa Incarnationem, dæmones et animas : Martinus Pastre an. 1322 insurgens contra Incarnationem et præsentiam Christi Eucharisticam : Marsilius Menandrius et Joannes Jandunus an. 1324 docentes Christum ex debito solvisse vectigal, Apostolos auctoritate Petro fuisse æquales, Ecclesiam temporalia possidere non posse, Imperatoris potestatem etiam in sacris prævalere, etc.

Damnati etiam sunt Joannes de Mercuria an. 1347, Nicolaus de Ultricuria an. 1348. Simon Parisiensis Magister an. 1351, Martinus Gundisalvus an. 1352. Fr. Guido an. 1353, Bertholdus de Rohrbach et Nicolaus Calaber 1356, Bartholomæus Janovezius an. 1360, Ludovicus Parisiensis Magister an. 1362, Joannes de Calore et Dionysius de Soulechat an. 1363, Joannes de Latone et Petrus de Bonageta an. 1371, quorum varios et plurimos errores sed sine sequacibus vide ap. Natalem Alexandrum et alios. De Raymundi Lulli, an. 1315 mortui, erroribus controversia adhuc viget inter Scriptores.

Seculum XV.

Hussitæ, a Joanne Huss an. 1402. Adoptatis Wicleffi erroribus addebant alios, quos recensuimus in Hist. Conc. Constantiensis. Dicti sunt Thaboritæ a monte in quo sub Duce Joanne Zisca se collegerant; Horebitæ a monte Horeb, in quo promulgatam legem sanctiorem negabant quam suam fidem; Orphani post mortem Ziscæ secutam; Callixtini ob necessitatem communionis sub specie utraque designatam per calices ubique depictos; diversitate appellationis non quidem diversas semper Sectas, sed distinctas tamen Sectariorum turmas indicante. Inter Hussi discipulos famosiores sunt Hieronymus de Praga an. 1416. Petrus Dresdensis et Jacobellus Misniensis an. 1418.

Adamitæ Novi hoc Seculo emergentes, alii dicebantur Picardi ab auctore suo Picardo an. 1418 in publico nudati et palam promiscuis connubiis addicti libidinem accendebant et exercebant omnem : alii Fossarii, circa finem seculi, appellabantur a fossis et locis reconditis, ubi prioribus verecundiores suæ libidini indulgebant.

Præsentis seculi sunt Ægidius Cantor Laicus et Wilhelmus de Hildenissen Religiosus an. 1411 spargentes plures circa dogmata ac mores insanias, quas uti et Sectam suam nomine *Intelligentiæ* insigniebant : Joannes Petit Theol. Parisiensis, Tyrannicidii defensor et approbator an. 1407. Fr. Matthæus Grabon an. 1415 devotarias seculares scriptis exagitans, et in errores circa observationem Consiliorum Evangelicorum prolapsus : Augustinus de Roma an. 1435 erronee Christo tribuens quæ Ecclesiæ fidelibus congruunt, Christique humanæ naturæ concedens, quæ divinæ sunt propria : Quidam Mendicantes an. 1444 circa hierarchicam disciplinam erronee pronuntiantes : Petrus de Osma an. 1478 circa contritionem, satisfactionem, purgatorium, claves Ecclesiæ et auctoritatem Sedis Romanæ exerrans : Joannes de Wesalia an. 1479 negans infallibilitatem Ecclesiæ et peccatum originale, ac respuens ritus Ecclesiasticos, continentiam Clericorum, jejunium et indulgentias, etc.

Seculum XVI.

Lutherani, a Luthero religioso Apostata an. 1517. Protestantes ab opposita in Comitiis Imperii Spirensibus protestatione 1529. Confessionistæ ab Augustanæ Confessionis formula an 1530. Evangelici ab arrogata Evangelii observantia dicti : Traditionibus et Patribus explosis, auctoritate Ecclesiæ et Pontificis Primatu sublatis, statuebant solam Scripturam, sed multis partibus mutilam et alias depravatam, sectandam : minuebant universim Sacramentorum numerum et efficaciam; circa ministrum, materiam et formam in qualibet ferme specie errabant; reponebant justificationem in sola fide, justitiam autem in extrinseco; tollebant liberum arbitrium homini, meritum bonis operibus, observationis possibilitatem præceptis Divinis; reprobabant Sanctorum Invocationem, reliquiarum cultum, Indulgentiarum et Suffragiorum pro defunctis usum; ridebant Ecclesiasticas ceremonias, Censuras, Leges, Religionis vota, jejunia et opera supererogatoria, etc. Quid de Gratia erraverint, alibi dicendum.

Inter Lutheri Discipulos vel asseclas præcipui erant Philippus Melanchton an. 1518. Confessionis Augustanæ Compilator, et Molliorum Lutheranorum Dux; Andreas Carlostadius et Huldricus Zwinglius an 1519. Sacramentariorum Auctores; Joannes Œcolampadius an. 1524. Figuristarum Princeps; Nicolaus Storkius et Thomas Munzerus an. 1525. Anabaptistarum Patres; Jacobus Schmidelinus an. 1527. Ubiquistarum Præformator; Martinus Bucerus an. 1528. Caput Luthero-Zwinglianorum; Joannes Agricola an. 1538. Auctor Antinomorum, seu necessitatem Legum omnem negantium; Joannes Brentius an. 1540. Ubiquistarum Auctor; Gaspar Schwenkfeldius an. 1544. Scripturæ et potestatis Ecclesiasticæ contemptor; Andreas Osiander an. 1550. Justificationem hominis in Divinitate, Franciscus Stancarus an. eod. in Humanitate Christi sanctificante statuentes, Matthias Flaccus Illyricus an. 1557 peccatum originale asserens animæ substantiam; Martinus Chemnitius cum Jacobo Andreæ an. 1579 formulæ Concordiæ fabricator, etc.

Anabaptistæ an. 1525, quod in infantia baptizatos rebaptizarent, sic dicti. Præter communes cum Lutheranis errores rejiciebant Pædo-baptismum : illicitum Christianis putabant jurare, litigare, tractare arma, Magistratum gerere, etc. Dividuntur in Sectas quamplurimas, quæ cum particularibus erroribus, vel a diversis urbibus, ubi grassabantur, uti *Monasterienses;* vel a diversis auctoribus, uti *Huttitæ, Buckoldiani,* etc.; vel a diversis factis, uti *Ejulantes, Effrontes,* etc., appellationem capiebant.

Libertini, ab effræni credendi libertate, auctore Joanne Quintino an. 1530 appellati. Præter Deum nullum agnoscebant Spiritum, ridebant Scripturas, pleraque Mysteria rejiciebant; omnia a Deo, etiam peccata fieri docebant; licita volebant omnia omnibus.

Anti-Trinitarii vel Unitarii a Dogmate, Servetiani a Michaële Serveto an. 1531, Sociniani a Fausto Socino an 1561 auctoribus dicti. Exploso Trinitatis Mysterio unum Patrem dicebant Deum; Verbum per Incarnationem primo natum, Spiritum Sanctum virtutem tantum et efficaciam Dei statuebant : negabant Jesum Christum esse Deum, aut Mediatorem inter Deum ac homines, aut satisfecisse pro peccatis nostris, aut pœnas inferni æternas : In dogmate de Eucharistia Zwinglium, in aliis Calvinum sectabantur.

Calviniani a Joanne Calvino an. 1535, Reformati a prætensa Ecclesiæ

Reformatione, Hugonotti in Gallia a celebratis ad Hugonis portam Turonensem conventiculis, Geusii in Belgio a mendicabuli scommate in se objecto compellati. Ultra alios, quos cum Luthero communes habent errores, renovabant errorem Prædestinatianorum : faciebant Deum auctorem peccati : volebant Christum pro solis prædestinatis mortuum, eumdemque in cruce desperatum, in descensu ad Inferos Damnatorum pœnas sustinuisse. Asserebant hominem lapsum, licet sponte, tamen necessario peccare, voluntatem in bono agendo nullas habere partes : Sacramenta admittebant duntaxat duo, Baptismum et Cœnam : affirmabant baptismum filiis Infidelium prodesse nihil; fidelium filiis in materno utero jam justificatis non necessarium, sed sigillum tantum esse fœderis et justitiæ præhabitæ : in Eucharistia negabant veram realem et substantialem Christi præsentiam; volebant per panem tanquam figuram corporis solum excitari memoriam Dominicæ passionis.

Celebriores Calvini Discipuli erant Petrus Martyr, proprio alias nomine *Vermilius,* anno 1540 negans posse Deum efficere ut Christi corpus pluribus simul locis existat : Theodorus Beza an. 1550. Calvini in Ecclesia Genevensi Successor : Clemens Marottus an. 1544 mortuus, Psalterii Davidici in Gallicos versus translati Auctor Hæreticus, etc.

Schisma Anglicanum ab Henrico VIII. Rege an 1534 cœptum, in apertas demum hæreses, variasque Sectas erupit. Ex his Anglo-Calviniani, item Episcopales an. 1562 nuncupati, agentibus Thomas Crammer Archi-Ep. Cantuariensi, et Elisabetha Regina, Secta et Lutheranismo et Calvinismo constituta, Ecclesiæ Anglicanæ Caput agnoscebant Regem vel Reginam; admittebant Hierarchiam aliquam Ecclesiasticam ex Episcopis aliisque gradibus conflatam; Altaria insuper, superpellicea, cereos, crucem, et signum crucis in baptismo retinentes et usurpantes. Puritani a pura Calvini doctrina, Presbyteriani a primario dogmate an. 1568 dicti, negabant Regi in Ecclesia primatum; et a presbyteris tantum, id est, Senioribus eam gubernari volebant; omnem Hierarchiam, Liturgiam, ritusque Ecclesiæ potissimum Romanæ respuentes. Independentes circa idem tempus dicti, quod cuique cœtui vel Ecclesiæ summum et independens in sacris jus concederent; nullam alia esse superiorem vellent; nec Rege, nec Episcopis, nec Presbyteris ad gubernationem admissis; concessa autem Sectis omnibus plena pro libitu credendi libertate. His Oliverius Cromwellus Regni protector seculo sequenti præsertim favit.

Bajani a Michaele Bajo, sive de Bay an. 1551 orti errabant circa gratiam Angelorum et primi hominis, circa merita operum tum in statu innocenti, tum in alio quocumque, circa liberum arbitrium et ejus vires, circa peccatum tam personale quam originale, circa charitatem et impletionem legis, circa justificationem et sacramentorum effectum, denique circa solutionem pœnæ temporalis. Errores singulos in 79 propos. damnatis videre licet in app. seq.

Ex eodem seculo memorandi sunt Fratres Bohemi an. 1504, Callixtinorum soboles, genuinos Hussi Discipulos se gloriantes, baptismum extra suam sectam collatum repudiantes; Misse sacrificium, Transubstantiationem, cultum Sanctorum abominantes; Summi Pontificis Primatum, preces pro defunctis et Purgatorium explodentes : David Georgius an. 1545 in Frisia se Dei nepotem ex Spiritu natum, verum Messiam, tertium Davidem et alia plura insaniens : Desiderius Erasmus a loco Nativitatis Rotterodamus an.

1536 turbarum hujus seculi se ipso judice Auctor, dubiæ fidei homo, de quo Germani : « Erasmus innuit, Lutherus irruit; Erasmus parit ova, Lutherus excludit pullos; Erasmus dubitat, Lutherus asseverat; vel Erasmus Lutherizat, vel Lutherus Erasmizat. » Sebastianus Castellio an. 1543. Indifferentistarum parens, Cantica Canticorum rejiciens : Bernardinus Ochinus an. 1546 sexagenarius Apostata, Arianus et Polygamiam permittens; Adiaphoristæ vel Interimistæ an. 1548 sic dicti ab observatione formulæ, quam Carolus V conscribi, et Interim servari jussit, dum Controversia a Conc. Trid. definiretur : Gulielmus Postellus an. 1560 multa de Trinitate, Christo intoxicato, redemptione fœminarum, matrice mundi, aliisque mysteriis sibi per Angelum Raphael revelatis somnians; Joannes Sturmius an. 1578 novam Sectam inter Catholicos et Protestantes mediam inducere conatus : Pastillarii in Suevia Ministri, inde nomen sortiti quod Christum dicerent in Eucharistia eo fere modo esse præsentem, quo farina est in pastillo.

Seculum XVII.

Jansenistæ, a Cornelio Jansenio Ep. Iprensi, cujus liber Augustini nomine inscriptus, contentæque in eo Prob. quinque solemniori censura an. 1653 damnabantur. Sic autem illæ habent : 1. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum præsentes, quas habent, vires sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* 2. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* 3. *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate; sed sufficit libertas a coactione.* 4. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam esse talem, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.* 5. *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

Occasione formulæ an. 1664 ab Alex. VII, propositæ, Jansenistæ scissi sunt in Molliores, sub variis effugiis et amphibologiis, Jansenii sensu mente retento, subscribentes; et in Rigidiores, sine manifesto perjurio id fieri posse negantes.

Jansenii Magister et Bajanismi propagator assiduus erat Joannes Vergerius Abbas *Sancyranus* an. 1620 in Ecclesiam apprime injurius, Synodum Tridentinam Scholasticorum vile conventiculum appellare ausus. Inter Sectatores præcipui erant : Antonius Arnaldus an. 1656 ob negatam Petro peccanti gratiam sufficientem, et inductam quæstionem facti Janseniani a Sorbona expulsus, Ordinis Janseniani Abbas a suis vocatus : Ludovicus de Sancto Amore huic Arnaldi exclusioni subscribere detrectans et ipse paulo post proscriptus; Gabriel Gerberon an. 1682 in Hollandiam profugus, scriptorum Baii et aliorum libellorum damnatorum editor ac defensor : Eugenius de Geldernn itidem e Monasterio elapsus, in ipso libello ad Innocentium XI, an. 1689 supplici, in Summos Pontifices contumeliosus, Jansenii et Molinosi propugnator : Candidus, sive Ægidius de Witte circa finem hujus seculi Jansenistarum rigidiorum Princeps : item Moniales Portus Gegii rurales, instructore Sancyrano, Duce Angelica Arnaldi sorore, in Sedem Apostolicam Episcoposque contumaces, soli Deo, ut aiebant, in Spiritu Ecclesiæ confiteri solitæ.

Quietistæ novi, alii Carnales a Dogmate, aut Molinosistæ a Michaele

Molinos an. 1665 dicti, Dulciniastarum et Beguardorum nepotes, sub specie contemplationis, sui annihilationis, perfectæ quietis interioris et totalis unionis cum Deo, reliquos omnes Virtutis actus ac bona opera rejiciebant ut superflua, figentes, interna hac quiete semel habita, peccari amplius non posse, nihilque sanctitati officere; inde in fœdissima quæque prolapsi : alii Spirituales an. 1698 orti occasione libri, cui titulus : *Placita Sanctorum* explicata super viam interiorem, ab Illustrissimo. D. Francisco de Salignac Fenelon Archiep. Cameracensi conscripti. Propositiones hic statuebantur Molinosistarum principiis affines, sed castigatiores : ipsi itidem moribus ab omni sorde et impuritate alieni.

Inter Calvinianos oriebantur Arminiani a Jacobo Arminio, Molles a mitigata Calvini Doctrina, Remonstrantes a scripto, quod Hollandiæ Ordinibus oblatum *remonstrationem* dicebant, an. 1609 nuncupati; admittebant in Deo voluntatem salvandi omnes et Decretum dandi sufficientia salutis media; Electionem absolutam fieri cum respectu ad cujuslibet fidem et perseverantiam, similiterque reprobationem, etc. : Contra vero Gomaristæ a Francisco Gomaro, Rigidi a Doctrina Calvini servata, Contra-Remonstrantes a libello Arminianis opposito an. eod. dicti, contendebant posse hominem in æternum perire defectu misericordiæ Divinæ; Deum solo suo placito reprobare quosdam; non omnibus dari media ad salutem sufficientia, etc. Piscatoriani a Joanne Piscatore an. 1620 nuncupati, justitiam Christi in activam et passivam dividebant, illam soli Christo, hanc fidelibus tribuentes, qua formaliter justificarentur; In Cœna Domini fractionem panis essentialem statuebant; Legem Mosaicam quoad judicialia et pœnarum genera nolebant abolitam; in reliquis quoque de prædestinatione et pœnitentia locuti modo singulari.

Ex Lutheranis nati sunt Pietistæ an. 1670 auctore Jacobo Spennero, communione æque ac doctrina segregabantur a reliquis Lutheranis; qua in postrema, circa bona opera, mandatorum observationem, consiliorum approbationem et pietatis exercitia ad Catholicos magis accedunt. Dividuntur ipsi inter sese in *Visionistas, Renatos, Contemplativos,* et alios diversissimi nominis.

Hoc pariter seculo, et quidem sub initium, insanierunt in Gallia Metaphoristæ, auctore Daniele Chamierio, asserentes, Filium Dei non esse proprie Verbum aut imaginem Patris, sed metaphorice; item sumptionem Eucharistiæ nonnisi metaphoricam esse comestionem : Inspiratistæ in Germania Ducibus Valentino Weigelio et Jacobo Bœhmio falsas diversasque rerum ideas disseminantes : Illuminati in Hispania, Beguardorum sequaces et Quietistarum novorum prodromi. Subin accesserunt Mennonistæ a Mennone Simonis an. 1646. Anabaptistarum proles, Vetus Testamentum rejicientes, a nomine Trinitatis abstinentes, corpus ex Divinitatis substantia Christo tribuentes, animam peccato infici negantes. Labatistæ a Joanne Labadie anno 1650. Deum decipi et decipere posse blasphemantes. Præadamitæ auctore Isaaco Pererio an. 1655 fingentes Adamum primum parentem fuisse tantum judæorum, anteque illum jam extitisse homines alios, quos Præadamitas vocant : Quakeri vel Tremulantes an. 1656 in fictis Ecstasibus toto corpore contremiscentes; respuentes verbum Dei scriptum; abnegantes Trinitatem, corporum resurrectionem, cœlum et infernum : Coccejani an. 1660 a Joanne Coccejo Theologiæ Typicæ et Propheticæ auctore : Benedictus Spinosa an. 1670. Atheismum professus, dum Deum esse substantiam extensam et cogitantem, omnia entia in mundo hujus substantiæ modificationes,

religiones pacandis solum civibus inventas esse, aliaque absurda scriberet; cui adjungi debent *Julius Cæsar Vaninus*, *Thomas Hobbesius*, *Herbertus de Cherbury*, aliique similis aut pejoris furfuris Atheistæ. His addi possunt FANATICI in Anglia an. 1680 ad id a Deo se vocatos effutientes, ut Monarchas omnes, quos carnales vocabant, everterent : item sub finem seculi CLAUDIUS, negans immediatam Spiritus Sancti in animam hominis operationem; et BALTHASAR BECKERUS omnem Spirituum in corpora actionem inficiatus.

SECULUM XVIII.

QUESNELLISTÆ a Paschasio Quesnello, APELLANTES ab interjecta ad Concilium Œcumenicum appellatione dicti, damnatis an. 1713. Per Bullam *Unigenitus* centum et uni propositionibus suffragati. Harum et quidem 43 primarum Argumentum universim versatur circa gratiæ naturam et distributionem; mediarum num. 28 circa virtutes, Fdem, Spem, Charitatem, Timorem, vitiaque his opposita; postremarum 30 circa Ecclesiam, variamque ejus disciplinam : Verba dabimus quæst. seq.

Labente hoc Seculo, præter auctas Pietistarum Sectas (ad quarum classem etiam ZINZENDORFIANI ab auctore vel HERNHUTTIANI a loco dicti referri possunt) pœnitentiæ hostem se professus est FRIDERICUS LEENHOFFIUS; Arianismum tutati sunt WILHELMUS WHISTONUS, et SAMUEL CLARKIUS; Libertinismum professi sunt TOLLANDUS et COLLINUS; denique Manichæismum PETRUS BÆLIUS, aliique alios errores renovarunt.

Invaluerunt item LIBERI MURARII, præter indicia graviorum causarum violenta, vel ob solam Arcani disciplinam nulla ratione violabilem satis suspecti, atque hinc tum a Clemente XI et Benedicto XIV damnati, tum a pluribus Summis Principibus proscripti : DEISTÆ, unum fidei suæ articulum de uno Deo pro libitu colendo et adorando professi, reliquis vel contemptis vel in ordinem Adiaphororum relegatis : INDIFFERENTISTÆ ab indifferenti in religionem animo, opinantes nihil referre, quam quis religionem amplectatur, modo hæc Christiana sit, et cum diversæ religionis asseclis pacem is colat, sibi et reipublicæ proficuus : NATURALISTÆ vel PILOSOPHI naturales sic dicti, quod unam naturam vel rationem sequantur, revelationis inimici, religionem ipsi arbitrio et genio suo accommodatam consuentes, quique heroico nomine Fortes Spiritus cum Deistis et Indifferentistis dici jam amant.

Hujus doctrinæ ac Materialismi scripta plurima vulgata hactenus vidimus sub variis titulis vel Litterarum, vel Tragœdiarum, vel historiarum aut fabularum, vel operum philosophicorum, aut Dissertationum de Lege, Revelatione, Natura aliisque objectis; quorum hallucinationes, sophismata, fallacias et insanias, maximam partem, suis in Litteris Criticis Abbas Gauchat, aliaque Virorum Religiosorum Societas ostendere cœperunt et refutare etiamnum pergunt.

251. *Observa.* Ne, pro aliorum more, Schismata etiam singillatim subjungeremus hæresibus, hactenus tractatorum ratio fecit. In Conciliorum enim historia, tum de Schismate Occidentalium, et præsertim Istriensium, tum de magno Orientalium Schismate actum fuit : quas vero Papalis Electio scissiones in Ecclesia fecit, Antipapis ubique adnotatis, in Pontificum syllabo indicavimus : denique in hoc ipso hæreticorum Catalogo, Schismata in hæreses mox transgressa retulimus; uti Novatiani, Donatistæ, Anglicani, aliique testantur : unde non alia forsan superant, quam particularia, leviora,

et pauciora. Cujusmodi sunt in sec. 1. *Antiochenum* circa necessitatem circumcidendi novos Christianos; *Corinthiacum* duplex, aliud a Paulo, aliud a Clemente sopitum : sec. 4. *Meletianum* a Meletio Ep. Lycopolitano, ob Idoloduliam per Alexandrinos Patres deposito, Episcopalia nihilominus munia continuante, et communionem sibi singularem formante : *Lucíferianum*, auctore Lucifero Ep. Calaritano se segregante, quod Ecclesia Episcopis, qui Arianis communicarant, pœnitentibus communionem daret : sec. 5. *Ephesinum* inter Cyrillum Alexandrinum et Joannem Antiochenum : *Alexandrinum* inter Timotheum Ælurum et Timotheum Solophaciolum : *Antiochenum* inter Stephanum juniorem et Petrum Mongum : *Constantinopolitanum* inter Acacium Constantinopolitanum et Simplicium successoresque Pontifices ob Joannem Talaiam a Sede Alexandrina ejectum : sec. 7. *Alexandrinum* inter Melchitas et Jacobitas, etc. Sed hæc innuisse sufficiat.

APPENDIX II.

DE PROPOSITIONIBUS DAMNATIS.

252. *Nota.* Ad Catalogum Hæresum adjicimus mantissam *propositionum damnatarum*, quæ tametsi nec hæreticæ omnes, nec censuris allis Theologicis certis singulæ ac determinatis in individuo notatæ, sed universim et in globo, ut dicimus, confixæ ac proscriptæ sint, omnes tamen ceu syrtes ac scopuli tum minime ignorari, tum quam maxime in universa Theologia, tam speculativa quam practica et morali, declinari ac vitari debent. Ejus generis sunt imprimis 45 *Joannis Wicleff*, 30 *Joannis Huss*, et 41 *Martini Lutheri* articuli; quos tamen hic recensere supersedemus; cum in actis Concilii Constantiensis, in quo priorum, et Tridentini, in quo posterioris errores damnati sunt, abunde referantur. Deinde huc pertinent *Michaelis Baii, Michaelis Molinos, Francisci de Salignac Fenelon, Paschasii Quesnelli,* aliorumque etiam innominatorum Auctorum propositiones a pluribus Summis Pontificibus damnatæ; quas priusquam ad verbum referamus, brevem hic earum synopsin præmittimus, intersertis nonnullis propositionibus aliis, singillatim ac seorsim proscriptis, idcirco hic collocandis, ne, cum alibi locum non inveniunt, eum nullibi habeant.

Damnavit.	*Die.*	*Anno.*	*Propositiones.*	
Urbanus VIII. .	6 Mart.	1641.	79. *Baii*	
Paulus V. . . .	14 Jun.	1605.	1	
Innocentius X. .	29 Jan.	1647.	1	
Alexander VII. .	30 Jan.	1659.	6	*A.*
Alexander VII. .	24 Sept.	1665.	28	*B.*
Alexander VII. .	18 Mart.	1666.	17	*C.*
Innocent. XI. .	2 Mart.	1679.	65	*A.*
Innocent. XI. .	23 Nov.	1679.	2	*B.*
Innocent. XI. .	18 Nov.	1682.	1	*C.*
Innocent. XI. .	19 Nov.	1687.	68. *Mich. Molinos*	
Alexander VIII.	24 Aug.	1690.	2	*A.*
Alexander VIII.	7 Dec.	1690.	31	*B.*
Innocent. XII. .	12 Mart.	1699.	23. *Francisci Fenelon, vulgo Cameracenses.*	

Clemens XI. . . 8 Sept. 1713. 101. *Quesnelli.* . . . . . .
Benedictus XIV 12 Nov. 1752. 5. . . . . (1)

Has referemus digestas in certos materiarum, ad quas pertinent, titulos, secundum ordinem quo illas materias D. Thomas in Summa sua Theologica tractat. Literæ *A, B, C,* per compendium designabunt propositiones, quibus subjunguntur, pertinere ad primam, vel secundam, vel tertiam classem propositionum ab illo Pontifice damnatarum. Numerus cuique propositioni post auctoris sui aut Pontificis, a quo damnata est, nomen in fine additum indicat quota illa in sua classe sit.

PARS I. SUMMÆ THEOLOGICÆ.

DE DEO.

Deus nobis donat omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis alteri donat villam vel librum. *Innoc. XI. B.* 1.

Deus subjicit nobis omnipotentiam suam. *Innoc. XI. B.* 2.

Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter. *Ques.* 30.

DE CREATIONE HOMINIS.

De fine hominis. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe et charitate Deum supernaturaliter coleret. *Bai.* 23.

De conditione primi Hominis. Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio in consortium naturæ divinæ debita fuit integritati primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis. *Bai.* 21.

A vanis et otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, hominem ab initio sic constitutum ut, per dona naturæ superaddita, fuerit largitate Conditoris sublimatus et ad Dei filium adoptatus. *Bai.* 24.

Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. *Bai.* 26.

Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur. *Bai.* 55.

Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio. *Bai.* 78.

Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali. *Bai.* 79.

P. P. 16. Doctrina Synodi de statu felicis innocentiæ, qualem eum repræsentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et justitiam interiorem, cum impulsu in Deum per amorem charitatis, atque primævam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam. — Quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanæ naturæ, non

(1) His addere visum est eas quas in Bulla *Auctorem Fidei* Pius VI, affixa singulis nota, proscripsit Pistoriensis concilii Propositiones. Discriminantur his litteris : (P. P.)

gratuitum Dei beneficium; — Falsa, alias damnata in Baio et Quesnello, erronea, favens hæresi Pelagianæ.

P. P. 17. Propositio his verbis enuntiata : *Edocti ab Apostolo, spectamus mortem non jam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut justam pœnam culpæ originalis;* — Quatenus, sub nomine Apostoli subdole allegato, insinuat mortem, quæ in præsenti statu inflicta est velut justa pœna peccati, per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio; — Captiosa, temeraria, Apostolo injuriosa, alias damnata.

PRIMA SECUNDÆ.

DE ACTIBUS HUMANIS.

De voluntario. Im omnibus actionibus suis peccator servit cupiditati dominanti. *Bai.* 40.

Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem reipsa non excusat a peccati formali. *Alex. VIII. B.* 7.

De libertate. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. *Bai.* 30.

Is libertatis modus, qui est a necessitate sub libertatis nomine, non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato. *Bai.* 49.

Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. *Bai.* 66.

Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit. *Bai.* 67.

In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in sua causa, peccato originali et voluntate Adami peccantis. *Alex. VIII. B.* 1.

De moralitate. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto et omnibus circumstantiis rectum est et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt), vel quia est meritorium regni æterni, eo quod sit a vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda putatur. *Bai.* 62.

Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. *Innoc. XI. A.* 8.

Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi : si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est. *Alex. VIII. B.* 7.

Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostræ nascuntur : amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur : et amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, et propter hoc ipsum fit malus. *Quesn.* 44.

Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat. *Quesn.* 45.

De Conscientia. Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem. *Alex. VII. A.* 27.

Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca quantumvis

tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. *Innoc. XI. A.* 3.

Ad dubia, quæ accidunt, rectene procedamus an non, non est necesse reflectere *Molin.* 11.

Non licet sequi opinionem probabilem vel inter probabiles probabilissimam. *Alex. VIII. B.* 3.

Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. *Alex. VIII. B.* 30.

De passionibus. Per hanc viam internam pervenitur, etsi cum multa tolerantia, ad expurgationem et mortificationem omnium passionum, ita ut nihil amplius sentiatur, nihil, nihil plane : neque percipiat quis inquietudinem ullam, perinde ut corpus quoddam mortuum, neque anima se amplius in diversa transferri sinat. *Molin.* 55.

Duæ leges et duæ voluntates, altera animæ, altera amoris proprii, durant quamdiu amor proprius durat. Unde, ubi hic expurgatus et mortuus fuerit, uti fit per viam internam, non amplius ibi sunt duæ illæ leges neque duæ voluntates; nec ultra fit ulla subreptio aut motus improvisus, neque aliquid porro sentitur, nec unum quidem veniale peccatum. *Molin.* 56.

Pervenitur etiam, mediante via interna, ad mortem sensuum; imo signum, quod quis in nihilo illo consistat, id est, mortuus sit morte mystica, est, si sensus externi non magis jam repræsentent res sensibiles, quam si non existerent, quandoquidem non efficiant ut intellectus se iis applicet. *Molin.* 63.

In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori.... In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca et involuntaria perturbatione; nam totum, quod est voluntarium et intellectuale, est partis superioris. *Camerac.* 14.

De virtutibus. Nemo meditativus exercet veras virtutes internas, quales non possunt cognosci a sensibus : perdere oportet virtutes. *Molin.* 31.

In occasione tentationum etiam vehementium, non debet anima facere actus explicitos virtutum oppositarum; sed tenere se in supradicto amore et resignatione. *Molin.* 37.

Crux voluntaria mortificationum gravis est et sine fructu, ideoque omittenda. *Molin.* 38.

Opera sanctissima et auctoritates, quas sancti subierunt, non sufficiunt ad animam vel uno assultu liberandam. *Molin.* 39.

Sancti mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum. *Camerac.* 21.

DE PECCATIS ET VITIIS.

De essentia peccati. Ad rationem et designationem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium. *Bai.* 49.

Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem a qua originem habuit. *Bai.* 47.

Ex habituali voluntate dominante fit ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando rationis usum consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet et legi Dei repugnet. *Bai.* 49.

Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens

naturæ rationali et rationi; Theologicum verò mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat vel de eo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque æterna pœna dignum. *Alex. VIII. A.* 2.

De reatu peccati. In peccato duo sunt, actus et reatus; transeunte autem actu, nihil manet, nisi reatus sive obligatio ad pœnam. *Bai.* 56.

De pœna peccati. Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum : unde Job et Martyres, quæ passi sunt, propter sua peccata passi sunt. *Bai.* 72.

Nunquam Deus affligit innocentes; et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem. *Quesn.* 70.

De peccato veniali. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam. *Bai.* 20.

De peccato originali. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter dominatur parvulo, eo quod nod gerit contrarium voluntatis arbitrium. *Bai.* 48.

Omne scelus ejus est conditionis, ut suum auctorem et omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio. *Bai.* 52.

Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus. *Bai.* 53.

Nemo præter Christum est absque peccato originali. Hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis. *Bai.* 73.

P. P. 26. Doctrina, quæ velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferorum (quem Limbi puerorum nomine Fideles passim designant), in quo animæ decedentium cum sola originali culpa pœna damni citra pœnam ignis puniantur. — Perinde ac si hoc ipso, qui pœnam ignis removent, inducerent locum illum, et statum medium expertem culpæ, et pœnæ inter regnum Dei et damnationem æternam, qualem fabulabantur Pelagiani, — Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa.

De concupiscentia. Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto : *Non concupisces. Bai.* 50.

Concupiscentia sive lex membrorum et prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia. *Bai.* 51.

Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi. *Bai.* 74.

Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti : *Non concupisces.* Unde homo eos sentiens et non consentiens transgreditur præceptum : *Non concupisces;* quamvis transgressio in peccatum non deputetur. *Bai.* 75.

De occasione peccandi. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit. *Innoc. XI. A.* 62.

Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi. *Innoc. XI. A.* 63.

De cooperatione ad peccandum. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad strupandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detri-

menti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. *Innoc. XI. A.* 51.

Si propriis defectibus aliquis scandalizat alterum, non est necesse ad id facere reflexionem, dummodo non sit voluntas scandalizandi; et non posse reflectere ad proprios defectus est donum Dei. *Molin.* 10.

De Luxuria. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tamen veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis. *Alex. VII. B.* 40.

Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam quia interdicta, ut contrarium rationi dissonum videatur. *Innoc. XI. A.* 48.

Mollities jure naturæ prohibita non est : unde, si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali. *Innoc. XI. A.* 49.

DE LEGIBUS.

De lege Divina. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit. *Bai.* 54.

Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem. *Quesn.* 71.

De potestate legislat. humana. Risu digna est doctrina quædam nova in Ecclesia Dei, animam, ad interna quod attinet, gubernari debere per Episcopum, et, si is idoneus non fuerit, eumdem anima cum suo Directore adeat. Dico novam, quia nec Scriptura Sacra, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores unquam id dixerunt neque dicere possunt; quia Ecclesia non judicat de occultis, habetque jus anima, ut eligat, quem maluerit. *Molin.* 66.

Dicere opus esse ut internum manifestetur tribunali externo Superiorum et esse peccatum, nisi fiat, ea est deceptio manifesta; quia Ecclesia non judicat de occultis; atque animabus suis damnum adferunt fraudibus hisce et fictionibus. *Molin.* 67.

In mundo non est facultas nec jurisdictio ad mandandum, ut manifestentur litteræ Directoris circa internum animæ; et idcirco monitos esse oportet, esse hunc assultum quemdam Satanæ. *Molin.* 68.

De acceptatione legis. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat Legem a Principe promulgatam. *Alex. VII. B.* 28.

De jurisdictione sacra. Regulares mendicantes petere possunt licite a Judicibus secularibus, ut injungant Episcopis, quatenus ipsis mandata concedant ad prædicandum in Adventu et Quadragesima; quod si renuant facere Episcopi, decretum judicum secularium tantumdem valet, ac si permissio dictis Religiosis concessa fuisset. *Alex. VII. A.* 6.

De privilegiis. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis quæ sunt expresse revocata per Tridentinum. *Alex. VII. C.* 36.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

De diebus festis. Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, deposito scandalo, si absit contemptus. *Innoc. XI. A.* 52.

De audienda missa. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas partes, imo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit. *Innoc. XI. A.* 53.

De Jejunio. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat; puta quia non vult se subjicere præcepto. *Alex. VII. B.* 23.

In die jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. *Alex. VII. C.* 29.

Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum jejunio. *Alex. VII. C.* 30.

Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant. *Alex. VII. C.* 31.

Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget. *Alex. VII. C.* 32.

De Confessione annua. Nullus in foro conscientiæ parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad Missas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei, divinam legem, fidei rudimenta, morum doctrinam, quæ ibi in catechesibus annuntiantur et docentur. *Alex. VII. A.* 1.

Talem legem in hac materia neque Episcopi neque Concilia Provincialia vel Nationum sanciro, neque delinquentes aliquibus pœnis aut Ecclesiasticis censuris mulctare possunt. *Alex. VII. A.* 2.

Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato. *Alex. VII. B.* 13.

Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ. *Alex. VII. B.* 14.

De Communione Paschali. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem. *Innoc. XI. A.* 55.

DE GRATIA.

De gratiæ essentia. Dona concessa homini integro et Angelo forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia; sed quia secundum usum Scripturæ nomine gratiæ tantum ea munera intelliguntur, quæ per Jesum male merentibus et indignis conferuntur, ideo neque merita neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet. *Bai.* 9.

Gratia non est aliud quam voluntas omnipotentis Dei jubentis et facientis quod jubet. *Quesn.* 11.

Dei gratia nihil aliud est quam ejus omnipotens voluntas : hæc est idea quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis. *Quesn.* 19.

Vera gratiæ idea est quod Deus vult sibi a nobis obediri, et obeditur; imperat, et omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, et omnia sibi submissa sunt. *Quesn.* 20.

Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem. *Quesn.* 26.

Fides est prima gratia et fons omnium aliarum. *Quesn.* 27.

Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio. *Quesn.* 28.

P. P. 21. Propositio quæ asserit, *lumen gratiæ, quando sit solum, non præstare, nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status, et gravitatem nostri mali : Gratiam in tali casu producere eumdem effectum, quem lex producebat; ideo necesse esse ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti : hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam*

Jesu Christi, inspirationem charitatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem, e qua germinant bona opera; hanc esse gratiam novi Testamenti, quæ nos liberat a servitute peccati, et constituit filios Dei; — Quatenus intendat eam solam esse proprie gratiam Jesu Christi, quæ creet in corde sanctum amorem, et quæ facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei, et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus sancti (Trid. sess. 6, cap. 5), nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur, — Falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Jansenii damnatum ut hæreticum, eumque renovans.

P. P. 22. Propositio, quæ innuit Fidem, *a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et Ecclesiam*, esse ipsammet excellentem virtutem Fdei, qua homines fideles nominantur, et sunt; — Perinde ac prior non esset gratia illa, quæ *ut prævenit voluntatem, sic prævenit et fidem.* — Ex S. Aug. de Dono persev., c. 16, n. 41. — Suspecta de hæresi, eamque sapiens, alias in Quesnello damnata, erronea.

P. P. 23. Doctrina Synodi de duplici amore dominantis cupiditatis, et charitatis dominantis, enuntians hominem sine gratia esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere; — Quatenus insinuat in homine, dum est sub servitute, sive in statu peccati, destitutus gratia illa qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur; aut opera omnia; quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata. — Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati; — Falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut hæreticum, iterum in Baïo damnatum, art. 40.

P. P. 24. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem, et charitatem dominantem, nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti, suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis, naturalique propensione ad bonum *remanserunt velut extrema lineamenta et reliquiæ imaginis Dei;* — Ex S. Aug. de Spir. et Litt., c. 28. — Perinde ac si *inter dilectionem divinam quæ nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam quæ damnatur,* non daretur *dilectio humana licita, quæ non reprehenditur.* — Ex S. Aug. Serm. 349 de Charit. Edit. Maur. — Falsa, alias damnata.

De gratia primi hominis, ejusque differentia a gratia Christiana. Gratia Adami non producebat, nisi merita humana. *Quesn.* 34.

Gratia Adami est sequela creationis et erat debita naturæ sanæ et integræ. *Quesn.* 35.

Differentia essentialis inter gratiam Adami et status innocentiæ ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset, ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus. *Quesn.* 36.

Gratia Adami sanctificando illum in semetipso erat illi proportionata : gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo est omnipotens et digna Filio Dei. *Quesn.* 37.

De discrimine inter V. L. et N. L. quoad gratiam. Discrimen inter fœdus Judaicum et Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati et implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto vero Deus peccatori dat quod jubet, illum sua gratia purificando. *Quesn.* 6.

Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? quæ vero felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis. *Quesn.* 7.

P. P. 19. Item (Propositio) quæ subjungit, hominem sub lege *cum esset impotens ad eam observandam, prævaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quæ sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis, magisque prævaricator evasit;* superadditque, *legem, si non sanavit cor hominis, effecisse ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam Mediatoris;* — Qua parte generaliter innuit hominem prævaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare; quasi *impossibile aliquid potuerit imperare qui justus est, aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est,* — Ex S. Cæsario, Serm. 73 in append. — S. Aug., Serm. 723, Edit. Maur. — Ex S. Aug. de Nat. et Grat., c. 43. — De Grat. et lib. arb., c. 16. — Enar. In Psalm. 56, n. 1. — Falsa, scandalosa, impia, in Baïo damnata.

P. P. 20. Qua parte datur intelligi, hominem, sub lege, sine gratia, potuisse concipere desiderium gratiæ Mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum, quasi *non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis,* — Ex Concil. Araus II, Can. 3. — Propositio, ut jacet, captiosa, suspecta, favens hæresi Semipelagianæ.

De efficacia gratiæ. Gratia Christi est Gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, et cum qua nunquam illum abnegamus. *Quesn.* 9.

Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare. *Quesn.* 10.

Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei. *Quesn.* 12.

Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit. *Quesn.* 13.

Quantumcumque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet ut se dedat, accurrat sese humiliet, et adoret Salvatorem suum. *Quesn.* 14.

Quando Deus mandatum suum et suam externam locutionem comitatur unctione sui Spiritus et interiori vi gratiæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit. *Quesn.* 15.

Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit omnipotenti. *Quesn.* 16.

Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum. *Quesn.* 18.

Desideria Christi semper habent suum effectum : pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat. *Quesn.* 31.

De natura gratiæ efficacis. Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela et imitatio operationis Dei incarnantis et resuscitantis Filium suum. *Quesn.* 21.

Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico probis in incarnatione veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ et gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio. *Quesn.* 22.

Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas e nihilo producit et mortuis reddit vitam. *Quesn.* 23.

Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei et Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus a cupiditate. *Quesn.* 24.

Deus illuminat animam et eam sanat æque ac corpus, sola sua voluntate : jubet, et ipsi obtemperatur. *Quesn.* 25.

De gratia sufficiente. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere : *A gratia sufficiente libera nos Domine! Alex. VIII. B.* 6.

Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum : quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre. *Quesn.* 17.

De necessitate gratiæ. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2 : *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt*; intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus. *Bai.* 22.

Liberum arbitrium, sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet. *Bai.* 27.

Pelagianus est error dicere quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. *Bai.* 28.

Non soli fures et latrones ii sunt, qui Christum viam et ostium veritatis et vitæ negant; sed etiam quicumque, aliunde quam per Christum, in viam justitiæ, hoc est, aliquam justitiam conscendi posse dicunt. *Bai.* 29.

Aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio, resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur. *Bai.* 30.

Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata. *Bai.* 34.

Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. *Bai.* 35.

Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia, per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria crucis Christi, defenditur a nonnullis Doctoribus. *Bai.* 36.

Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit. *Bai.* 37.

Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur. *Bai.* 38.

Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; et gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit et docet. *Bai.* 65.

Quid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum et peccati consecutiones, superba paupertas, et segnis indigentia, hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem et ad omne opus bonum? *Quesn.* 1.

Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum. Absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest. *Quesn.* 2.

In vanum, Domine, præcipis, si tu ipe non das quod præcipis. *Quesn.* 3.

Ita, Domine, omnia possibilia sunt ei cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo. *Quesn.* 4.

Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes et gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum. *Quesn.* 5.

Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, qua operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit. *Quesn.* 8.

Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris. *Quesn.* 38.

Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali et incapax ad omne bonum. *Quesn.* 39.

Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem. *Quesn.* 40.

Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire nisi a Deo, et sine gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem et oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis et amoris. *Quesn.* 41.

P. P. 18. Doctrina Synodi enuntians *post lapsum Adami, Deum annuntiasse promissionem futuri Liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam Jesus Christus allaturus erat;* tamen *Deum voluisse ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum,* ac primum ut in statu naturæ *homo relictus propriis luminibus de sua cæca ratione diffideret, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis* : — Doctrina, ut jacet, captiosa, atque intellecta de desiderio adjutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur sese potuisse movere, — Suspecta, favens hæresi Semipelagianæ.

Quibus gratia detur. Pagani, Judæi, Hæretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt, a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficiente. *Alex. VIII. B.* 5.

Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia. *Quesn.* 29.

De Justificatione. Justitia, qua justificatur impius per fidem, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia; non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, et secundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ naturæ consors efficitur, ut sic, per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere et Dei mandatis obedire possit. *Bai.* 42.

In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis et in catechumenis ante Baptismum est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum. *Bai.* 43.

Operibus plerisque, quæ a fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia et vera legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum. *Bai.* 44.

Sed et illa distinctio duplicis justitiæ, alterius quæ fit per Spiritum cha-

ritatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis et in eo charitatem diffundentis, qua divinæ legis justificatio impleatur, odiosissima et pertinacissima rejicitur. *Bai.* 63.

Denique et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator, dum et pœnitentia et vitæ novæ propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius qua vivificatur, qui vere justificatur et palmes virens in vite Christo efficitur, commentitia judicatur et Scripturis minime congruens. *Bai.* 64.

Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis, non autem per occultam communicationem et inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem. *Bai.* 69.

De Merito. Nec Angeli nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia. *Bai.* 1.

Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium. *Bai.* 2.

Et bonis Angelis et primo homini, si in statu illo perseverassent usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, et non gratia. *Bai.* 3.

Vita æterna homini integro et Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, et bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt. *Bai.* 4.

In promissione facta Angelo et primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus sine alio respectu vita æterna justis promittitur. *Bai.* 5.

Naturali lege constitutum fuit homini ut, si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret in qua mori non posset. *Bai.* 6.

Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ non recte vocantur gratia; quo fit ut tantum merita, non etiam gratia, debeant nuncupari. *Bai.* 7.

Quod pie et juste in hac vita mortali usque in finem conversati vitam consequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, sed ordinationi naturali, statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio, deputandum est; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna redderatur. *Bai.* 11.

Pelagii sententia est : Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni Cœlestis meritorium. *Bai.* 12.

Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legis. *Bai.* 13.

Opera bona justorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere. *Bai.* 14.

Ratio meriti non consistit in eo quod, qui bene operatur, habeat gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum quod obedit divinæ legi. *Bai.* 15.

Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum. *Bai.* 17.

Opera cathecumenorum, ut fides et pœnitentia, ante remissionem pecca-

torum facta, sunt vitæ æternæ merita; quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur. *Bai.* 18.

Illa Doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo, quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero, quantum ad certum quemdam modum, videlicet, secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum, hoc est ad modum meritorium, commentitia est et explodenda. *Bai.* 61.

SECUNDA SECUNDÆ.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. *Alex. VII. B.* 1.

Quid aliud esse possumus nisi tenebræ, nisi aberratio et nisi peccatum, sine fidei lumine, sine Christo et sine charitate? *Quesn.* 48.

DE FIDE.

De natura fidei. Voluntas non potest efficere ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam meretur pondus rationum ad assensum impellentium. *Innoc. XI. A.* 19.

Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem. *Innoc. XI. A.* 20.

Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidat ne non sit locutus Deus. *Innoc. XI. A.* 21.

Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, et etiamsi videntur credere, non est fides divina sed humana. *Alex. VIII. B.* 12.

Fides, usus, augmentum et præmium fidei totum est donum puræ liberalitatis Dei. *Quesn.* 69.

De effectibus fidei. Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur nisi per charitatem. *Quesn.* 51.

Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo germine et semine; sed hæc fides non est absque amore et fiducia. *Quesn.* 52.

Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide et precibus. *Quesn.* 68.

De necessitate fidei. Omnia opera infidelium sunt peccata, et Philosophorum virtutes sunt vitia. *Bai.* 25.

Nonnisi fides unius Dei necessitate medii necessaria videtur, non autem explicita Remuneratoris. *Innoc. XI. A.* 22.

Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit. *Innoc. XI. A.* 23.

Necesse est infidelem in omni opere peccare. *Alex. VIII. B.* 8.

Omne quod non est ex fide christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est. *Alex. VIII. B.* 11.

Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium fidei : sine hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas. *Quesn.* 42.

De præcepto fidei. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se. *Innoc. XI. A.* 16.

De actu fidei. Satis est actum fidei semel in vita elicere. *Innoc. XI. A.* 17.

Sufficit illa mysteria semel credidisse. *Innoc. XI. A.* 65.

De professione fidei. Si quis a potestate publica interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum, consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno. *Innoc. XI. A.* 18.

De infidelitate. Infidelitas pure negativa, in his quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. *Bai.* 68.

Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili. *Innoc. XI. A.* 4.

De hæresi. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis. *Alex. VII. B.* 5.

De Scriptura Sacra. Utile et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi, studere et cognoscere Spiritum, pietatem et mysteria Sacræ Scripturæ. *Quesn.* 79.

Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus. *Quesn.* 80.

Obscuritas sancta Verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione. *Quesn.* 81.

Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia, sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere. *Quesn.* 82.

Est illusio sibi persuadere quod notitia mysteriorum religionis non debeat communicari feminis lectione Sacrorum librorum. Non ex feminarum simplicitate, sed ex superba vivorum scientia ortus est Scripturarum abusus, et natæ sunt hæreses. *Quesn.* 38.

Abripere a Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare. *Quesn.* 84.

Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis. *Quesn.* 85.

P. P. 67. Doctrina perhibens a lectione Sacrarum Scripturarum *nonnisi veram impotentiam excusare*, subjungens ultro se prodere obscurationem, quæ ex hujusce præcepti neglectu orta est super primarias veritates religionis, — Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnello damnata.

De Ecclesia. Nota Ecclesiæ Christianæ est quod sit catholica, comprehendens et omnes Angelos cœli et omnes electos ac justos terræ et omnium seculorum. *Quesn.* 72.

Quid est Ecclesia nisi cœtus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, et exspectantium gloriam futuri seculi. *Quesn.* 73.

Ecclesia, sive integer Christus, incarnatum Verbum habet ut caput, omnes vero Sanctos ut membra. *Quesn.* 74.

Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia et persona; unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator. *Quesn.* 75.

Nihil spatiosius Ecclesia Dei; quia omnes electi et justi omnium seculorum illam componunt. *Quesn.* 76.

Qui non ducit vitam dignam Filio Dei et membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre et Christum pro capite. *Quesn.* 77.

Separatur quis a populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus et caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio. *Quesn.* 78.

P. P. 15. Doctrina quæ proponit Ecclesiam *considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo Capite et fidelibus, qui sunt ejus membra per unionem ineffabilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus Sacerdos, una sola Victima, unus solus Adorator perfectus Dei Patris in spiritu et veritate;* — Intellecta hoc sensu, ut ad corpus Ecclesiæ non pertineant nisi Fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate, — Hæretica.

De Capite Ecclesiæ. S. Petrus et S. Paulus sunt duo Ecclesiæ Principes, qui unicum efficiunt. *Vel :* Sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coryphæi ac supremi Duces summa inter se unitate conjuncti. *Vel :* Sunt geminus universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissime coaluerunt. *Vel :* Sunt duo Ecclesiæ Summi Pastores ac Præsides, qui unicum caput constituunt. *Innoc. X.*

Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium œcumenicum auctoritate atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate. *Alex. VIII. B.* 29.

Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, est subreptitia. *Alex. VIII. B.* 31.

P. P. 2. Propositio quæ statuit *potestatem a Deo datam Ecclesiæ, ut communicaretur Pastoribus qui sunt ejus Ministri pro salute animarum;* — Sic intellecta, ut a Communitate Fidelium, in Pastores derivetur Ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas, — Hæretica.

P. P. 3. Insuper quæ statuit *Romanum Pontificem esse Caput ministeriale;* — Sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo, in persona B. Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri Successor, verus Christi Vicarius ac totius Ecclesiæ Caput pollet in universa Ecclesia, — Hæretica.

P. P. 6. Doctrina Synodi, qua profitetur *persuasum sibi esse Episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria ; pro bono regimine suæ Diœcesis;* — Perinde ac si ad bonum regimen cujusque Diœcesis, necessariæ non sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes Summos Pontifices et Concilia generalia pro universa Ecclesia, — Schismatica, ad minus erronea.

P. P. 7. Item in eo quod hortatur Episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticæ disciplinæ constitutionem,* idque *contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes quæ adversantur bono ordini Diœcesis, majori gloriæ Dei et majori ædificationi Fidelium;* — Per id quod supponit Episcopo fas esse, proprio suo judicio et arbitratu, statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quæ in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque Provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchicæ potestatis, a qua inductæ sunt, aut probatæ, et vim legis obtinent, — Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

P. P. 8. Item, quod et sibi persuasum esse ait, *Jura Episcopi, a Jesu*

Christo accepta pro gubernanda Ecclesia, nec alterari, nec impediri posse; et ubi contigerit horum jurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum ac debere in originaria sua jura regredi, quotiescumque id exigit majus bonum suæ Ecclesiæ; — In eo quod innuit jurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate præpediri aut coerceri posse, quandocumque Episcopus proprio judicio censuerit minus id expedire majori bono suæ Ecclesiæ, — Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

P. P. 9. Doctrina, quæ statuit *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam, in Synodis Diœcesanis, ab Episcopo et Parochis æqualiter pendere ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis, indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus Episcoporum;* — Falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis læsiva, regiminis hierarchici subversiva, favens hæresi Aerianæ a Calvino innovatæ.

P. P. 10. Item doctrina, qua Parochi, aliive Sacerdotes in Synodo congregati, pronuntiantur una cum Episcopo judices fidei, et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto, — Falsa, temeraria, ordinis hierachici subversiva, detrahens firmitati definitionum, judiciorumve dogmaticorum Ecclesiæ, ad minus erronea.

P. P. 11. Sententia enuntians veteri majorum instituto ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiæ secula servato, receptum fuisse *ut decreta, aut definitiones, aut sententiæ, etiam majorum Sedium, non acceptarentur, nisi recognitæ fuissent et approbatæ a Synodo Diœcesana,* — Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiæ debitæ Constitutionibus Apostolicis, tum et Sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et hæresim.

P. P. 12. Assertiones Synodi complexive acceptatæ circa Decisiones in materia fidei ab aliquot seculis emanatas, quas perhibet velut Decreta ab una particulari Ecclesia vel paucis Pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendæ puritati fidei ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia; — Falsæ, captiosæ, temerariæ, scandalosæ in Romanos Pontifices et Ecclesiam injuriosæ, debitæ Apostolicis Constitutionibus obedientiæ derogantes, schismaticæ, perniciosæ, ad minus erroneæ.

P. P. 13. Propositio relata inter acta Synodi, quæ innuit Clementem IX pacem Ecclesiæ reddidisse per approbationem distinctionis juris et facti, in subscriptione Formularii ab Alexandro VII præscripti, — Falsa, temeraria, Clementi IX injuriosa.

P. P. 14. Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, ejusdem fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando, — Temeraria, perniciosa, Summis Pontificibus injuriosa, schisma fovens et hæresim.

P. P. 85. Propositio enuntians qualemcumque cognitionem Ecclesiasticæ Historiæ sufficere, ut fateri quisque debeat convocationem Concilii Nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in Ecclesia respectivarum Nationum controversiæ spectantes ad Religionem, — Sic intellecta, ut controversiæ ad finem et mores spectantes in Ecclesia quacumque subortæ, per nationale Concilium irrefragabili judicio finiri valeant, quasi inerrantia in fidei et morum quæstionibus Nationali Concilio competeret; — Schismatica, hæretica.

De doctrina Ecclesiæ. Quamvis hæc doctrina (*de puro amore*) esset pura et simplex perfectio evangelica in universa traditione designata; antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata. *Camerac.* 22.

Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, et foveri divisiones propter res quæ nec fidem lædunt nec mores. *Quesn.* 79.

Veritates eo devenerunt ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, et modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum : adeo remotus est a simplicitate Apostolorum et supra communem captum fidelium : neque satis advertitur quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ et iræ Dei in filios suos. *Quesn.* 95.

P. P. 1. Propositio quæ asserit *postremis hisce seculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti spectantes ad Religionem et quæ sunt basis fidei et moralis doctrinæ Jesu Christi*, — hæretica.

P. P. 76. Insectatio qua Synodus Scholasticam exagitat, velut eam *quæ viam aperuit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus, quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum*; — Quatenus in Scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt aut abusi sunt, — Falsa, temeraria, in sanctissimos viros et Doctores, qui magno Catholicæ Religionis bono Scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam hæreticorum conviciis.

P. P. 77. Item in eo quod subdit *mutationem formæ regiminis ecclesiastici, qua factum est ut Ministri ecclesiæ in oblivionem venirent suorum jurium, quæ simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obiterari faceret primitivas notiones Ministerii Ecclesiastici et sollicitudinis Pastoralis*; — Quasi per mutationem regiminis, congruentem disciplinæ in Ecclesia constitutæ et probatæ, obliterari unquam potuerit et amitti primitiva notio Ecclesiastici Ministerii, Pastoralisve sollicitudinis. — Propositio falsa, temeraria, erronea.

P. P. 78. Prescriptio Synodi de ordine rerum tractandarum in Collationibus, qua posteaquam præmisit, *in quolibet articulo distinguendum id quod pertinet ad fidem et ad essentiam religionis, ab eo quod est proprium disciplinæ*, subjungit *in hac ipsa* (disciplina) *distinguendum quod est necessarium aut utile ad retinendos in spiritu fideles, ab eo quod est inutile, aut onerosius quam libertas Filiorum novi Fœderis patiatur, magis vero ab eo quod est periculosum aut noxium, utpote inducens ad superstitionem et materialismum*; — Quatenus pro generalitate verborum comprehendat, et præscripto examini subjiciat, etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam, quasi Ecclesia, quæ Spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem, et onerosiorem quam libertas Christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum; — Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiæ ac Spiritui Dei, quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea.

P. P. 79. Assertio quæ conviciis et contumeliis insectatur sententias in Scholis Catholicis agitatas, et de quibus Apostolica Sedes nihil adhuc definiendum aut pronuntiandum censuit, — Falsa, temeraria, in Scholas Catholicas injuriosa, debitæ Apostolicis Constitutionibus obedientiæ derogans.

De libris prohibitis. Libri prohibiti, *donec expurgentur*, possunt retineri, usque dum, adhibita diligentia, corrigantur. *Alex. VII. C.* 45.

P. P. 68. Laudatio, qua summopere Synodus commendat Quesnelli Commentationes in novum Testamentum, aliaque aliorum Quesnellianis erroribus faventium opera, licet proscripta; eademque Parochis proposuit, ut ea tanquam solidis religionis principiis referta in suis quisque Parœciis populo post reliquas functiones perlegant; — Falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, Ecclesiæ injuriosa, schisma fovens et hæresim.

DE SPE.

De notione Spei. In hoc statu (*extremarum probationum*) anima amittit omnem spem sui interesse proprii; sed nunquam amittit in parte superiori, id est, in suis actibus directis et intimis, spem perfectam, quæ est desiderium desinteressatum promissionum. *Camerac.* 11.

Totum deest peccatori, quando ei deest spes; et non est spes in Deo, ubi non est amor Dei. *Quesn.* 57.

De fundamento Spei. Proh! quantum oportet bonis terrenis et sibimetipsi renuntiasse ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, Mortem et Mysteria, ut facit S. Paulus dicens : *Qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. Quesn.* 33.

De operibus ex spe factis. Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum, mere, ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens. *Alex. VIII. B.* 10.

Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur. *Alex. VIII. B.* 13.

De Timore. Timor gehennæ non est supernaturalis. *Alex. VIII. B.* 14.

Timor nonnisi manum cohibet; cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur. *Quesn.* 61.

Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo. *Quesn.* 62.

Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando. *Quesn.* 64.

Moyses, Prophetæ, Sacerdotes et Doctores legis mortui sunt absque eo quod ullum dederint Deo filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem. *Quesn.* 65.

Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, nec adduci per instinctum naturalem aut per timorem, sicut bestiæ, sed per fidem et per amorem. sicut filii. *Quesn.* 66.

Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem. *Quesn.* 67.

DE CHARITATE.

De objecto charitatis. Qui amat Deum, prout illum ratio argumentando repræsentat, aut intellectus comprehendit, non amat Deum verum. *Molin.* 19.

De perfectione charitatis. Datur habitualis status amoris, qui est charitas pura et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam. *Camerac.* 1.

Purus amor ipse solus constituit novam vitam interiorem, et tunc evadit

unicum principium et unicum motivum omnium actuum, qui deliberati et meritorii sunt. *Camerac.* 23.

De oppositione charitatis cum peccato. Charitas perfecta et sincera, quæ est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. *Bai.* 31.

Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. *Bai.* 32.

Catechumenus juste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum quæ in Baptismi lavacro demum percipitur. *Bai.* 33.

Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis. *Bai.* 76.

De necessitate charitatis. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate. *Bai.* 16.

Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt. *Quesn.* 46.

Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria ejus finis, tunc purum est; quod apparet exterius; alioquin non est, nisi hypocrisis aut falsa justitia. *Quesn.* 47.

Ut nullum peccatum est sine amore nostri; ita nullum est opus bonum sine amore Dei. *Quesn.* 49.

Frustra clamamus ad Deum : *Pater mi,* si Spiritus charitatis non est ille qui clamat. *Quesn.* 50.

Sola Charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum et Jesum Christum. *Quesn.* 53.

Sola charitas est quæ Deo loquitur : eam solam Deus audit. *Quesn.* 54.

Deus non coronat nisi charitatem : qui currit ex alio impulsu et alio motivo, in vanum currit. *Quesn.* 55.

Deus non remunerat nisi charitatem; quoniam charitas sola Deum honorat. *Quesn.* 56.

Nec Deus est, nec religio, ubi non est charitas. *Quesn.* 58.

De præcepto charitatis. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum eliceret in vita, condemnare non audemus. *Innoc. XI. A.* 5.

Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum. *Innoc. XI. A.* 6.

Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam qua justificari possimus. *Innoc. XI. A.* 7.

Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate actus cum regula morum : ad hoc sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis. *Alex. VIII. A.* 1.

De amore proximi. Non tenemur proximum diligere actu interno et formali. *Innoc. XI. A.* 10.

Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. *Innoc. XI. A.* 11.

Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu

petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. *Innoc. XI. A.* 13.

Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas. *Innoc. XI. A.* 14.

Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas. *Innoc. XI. A.* 15.

De eleemosyna. Vix in Secularibus, etiam in Regibus, invenies superfluum statui; et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui. *Innoc. XI. A.* 12.

DE JUSTITIA.

De Judice. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio. *Alex. VII. B.* 26.

Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. *Innoc. XI. A.* 2.

De Usura. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. *Alex. VII. C.* 42.

Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri. *Innoc. XI. A.* 40.

Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari. *Innoc. XI. A.* 41.

Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum; sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum. *Innoc. XI. A.* 42.

De Furto. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi. *Innoc. XI. A.* 36.

Famuli et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt. *Innoc. XI. A.* 37.

De Restitutione. Non tenetur quis sub pœna mortali restituere quod ablatum est per parva furta, quantumcumque magna sit summa totalis. *Innoc. XI. A.* 38.

Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati. *Innoc. XI. A.* 39.

De Calumnia. Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere. *Innoc. XI. A.* 43.

Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui ut suam justitiam et honorem defendat; et si hoc non sit probabile, vix ulla opinio erit probabilis in Theologia. *Innoc. XI. A.* 44.

De Defensione Occisiva. Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso vel ejus religioni publice et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur. *Alex. VII. B.* 17.

Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare. *Alex. VII. B.* 18.

Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat. *Innoc. XI. A.* 30.

Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. *Innoc. XI. A.* 31.

Non solum licitum est defendere occisiva defensione quæ actu possidemus. sed etiam ad quæ inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus. *Innoc. XI. A.* 32.

Licitum est tam hæredi quam legatario, contra injuste impedientem ne vel hæreditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et jus habenti in cathedram vel præbendam, contra earum possessionem injuste impedientem. *Innoc. XI. A.* 33.

De Procuratione Abortus. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur. *Innoc. XI. A.* 34.

Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tum primum incipere eamdem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi. *Innoc. XI. A.* 35.

De Duello. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. *Alex VII. B.* 2.

Vir militaris qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret sive offerat sive acceptet duellum. *Benedict. XIV.* 1.

Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanæ vilipensionis gratia duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam. *Benedict. XIV.* 2.

Non incurrit ecclesiasticas pœnas, ab Ecclesia contra duellantes latas, Dux vel Officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ et officii. *Benedict. XIV.* 3.

Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit. *Benedict. XIV.* 4.

Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia vel malitia magistratus justitia aperte denegatur. *Benedict. XIV.* 5.

DE RELIGIONE.

De oratione. Qui resignatus est divinæ voluntati, non debet a Deo quidquam petere; quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis et electionis, et est quodammodo velle ut divina voluntas nostræ se conformet, et non nostra voluntati divinæ : et illud : *Petite et accipietis*, ex Evangelio, non fuit dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem : quin et istæ eo deveniunt, ut non possint a Deo quidquam petere. *Molin.* 14.

Unde sicut nihil a Deo debent rogare, sic etiam non debent reddere illi gratias pro ulla re, quia utrumque est æqualiter actus propriæ voluntatis. *Molin.* 15.

Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus et propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu et veritate. *Molin.* 18.

Quæcumque cogitationes inter orandum accidant, etiam impure, quin et contra Deum et Sanctos, contra fidem et Sacramenta, si non voluntarie foveantur, neque actu aliquo voluntatis rejiciantur, sed cum indifferentia et resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei; imo illam reddunt perfectiorem, quia anima est magis resignata voluntati divinæ. *Molin.* 24.

Tametsi superveniat sommus et dormiatur, omnino tamen oratur, et contemplatio fit actualiter; quia oratio et resignatio, resignatio et oratio totum est idem; et quamdiu continuatur resignatio, utique etiam oratio continuatur. *Molin.* 25.

Deo gratias agere lingua vel verbis non est animarum internarum, quarum est in silentio se tenere, non præbentes Deo impedimentum, quo minus in iis operetur, et quanto amplius se Deo resignant, tanto magis experiuntur impotentiam dicendi : *Pater noster. Molin.* 34.

Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illi concedit, est novum in eos judicium. *Quesn.* 59.

P. P. 31. Propositio Synodi enuntians conveniens esse, pro divinorum Officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque Templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere, — Temeraria, perantiquo, pio, multis abhinc seculis in Ecclesia præsertim Latina vigenti, et probato mori injuriosa.

P. P. 32. Item præscriptio vetans ne super Altaria sacrarum Reliquiarum thecæ floresve apponantur, — Temeraria, pio ac probato Ecclesiæ mori injuriosa.

P. P. 33. Propositio Synodi qua cupere se ostendit ut causæ tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad Liturgiæ ordinem spectantium, *revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo et elata voce proferendo;* — Quasi vigens ordo Liturgiæ ab Ecclesia receptus et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum quibus illa regi debet; — Temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.

P. P. 64. Doctrina, quæ velut superstitiosam universe notat *quamcumque efficaciam, quæ ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum;* — Tanquam superstitiosa censenda esset efficacia quæ sumitur, non ex numero in se spectato, sed ex præscripto Ecclesiæ, certum numerum precum vel externarum actionum præfinientis, pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis pœnitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo; — Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati Fidelium injuriosa, Ecclesiæ auctoritati derogans, erronea.

P. P. 65. Propositio enuntians *irregularem strepitum novarum institutionum, quæ dictæ sunt Exercitia, vel Missiones...., forte nunquam, aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur, et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis fulgura;* — Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie salutariter per Ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato injuriosa.

P. P. 73. Propositio enuntians novorum Festorum institutionem, ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturæ et finis earumdem Solemnitatum, originem duxisse, — Falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiæ injuriosa, favens hæreticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos conviciis.

P. P. 74. Deliberatio Synodi de transferendis in diem Dominicum Festis per annum institutis, idque pro jure, quod persuasum sibi esse ait Episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et præceptum Missæ audiendæ abrogandi, diebus in quibus ex pristina Ecclesiæ lege viget etiamnum id præceptum, tum etiam in eo quod superaddit de transferendis in Adventum episcopali auctoritate jejuniis per annum ex Ecclesiæ præcepto servandis; Quatenus adstruit Episcopo fas esse jure proprio transferre dies ab Ecclesia præscriptos pro Festis jejuniisve celebrandis, aut indictum Missæ audiendæ præceptum abrogare, — Propositio falsa, juris Conciliorum Generalium et Summorum Pontificum læsiva, scandalosa, schismati favens.

De Voto. Vota faciendi aliquam rem sunt impeditiva perfectionis. *Molin.* 3.

Superioribus obediri debet in exteriore, et latitudo voti obedientiæ Religiosorum pertingit solummodo ad exterius : aliud est in interiore, quo solus Deus et Director intrant. *Molin.* 65.

De Juramento. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem. *Innoc. XI. A.* 24.

Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. *Innoc. XI. A.* 25.

Si quis, vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel aliud quodvis additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. *Innoc. XI. A.* 26.

Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa. *Innoc. XI. A.* 27.

Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum. *Innoc. XI. A.* 28.

Nihil spiritui Dei et doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia; quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum. *Quesn.* 101.

P. P. 75. Doctrina quæ perhibet, beatis temporibus nascentis Ecclesiæ, juramenta visa esse a documentis divini Præceptoris, atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut *ipsummet jurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine Christiano indignus;* insuper *continuatam Patrum seriem demonstrare juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse;* indeque progreditur ad improbanda juramenta, quæ Curia ecclesiastica, jurisprudentiæ feudalis, ut ait, normam

secuta, in Investituris et in sacris ipsis Episcoporum Ordinationibus adoptavit, statuitque adeo implorandam a seculari potestate legem, pro abolendis juramentis quæ in Curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali. — Falsa, Ecclesiæ, injuriosa, juris ecclesiastici læsiva, disciplinæ per Canones inductæ et probatæ subversiva.

De Beneficiis Ecclesiasticis. Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus. *Innoc. XI. A.* 47.

De Breviario. Restitutio a Pio V imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna. *Alex. VII. B.* 20.

Habens capellaniam collativam aut quodvis beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet. *Alex. VII.* 21.

Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit. *Alex. VIII. C.* 33.

In die palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto. *Alex. VII. C.* 34.

Unio officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti et crastino. *Alex. VII. C.* 36.

Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem. *Innoc. XI. A.* 55.

De Simonia. Non est contra justitiam Beneficia non conferre gratis; quia callator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. *Alex. VII. B.* 22.

Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi Spirituale; vel etiam, quando temporale fit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra. *Innoc. XI. A.* 45.

Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi Spirituale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quam res Spiritualis. *Innoc. X. A.* 46.

DE CONTEMPLATIONE.

De ejus utilitate. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non peccandi amplius seu mortaliter seu venialiter. *Molin.* 57.

De illius modo. Dicere in oratione utendum esse discursu et cogitatibus tum cum Deus non loquitur animæ, est ignorantia. Deus non loquitur unquam; illius loqui est operari, semperque in anima operatur, dum ista suis discursibus, cogitationibus et operationibus eum non impedit. *Molin.* 20.

In oratione manendum est in fide obscura et universali, cum quiete et

oblivione omnis alterius cogitationis particularis et distinctæ attributorum Dei et Trinitatis, atque standum in præsentia Dei ad eum adorandum, amandum, eique serviendum, verum sine productione ullorum actuum; Deus namque id genus rebus non delectatur. *Molin.* 21.

Non est hæc cognitio fidei actus quispiam productus a creatura, sed cognitio quædam illi a Deo data, quam creatura non novit se habere, neque adeo postea scit se habuisse; idemque dicendum de amore. *Molin.* 22.

Mystici, cum S. Bernardo in *Scala Claustralium,* distinguunt quatuor gradus, lectionem, meditationem, orationem et contemplationem infusam. Qui semper est in primo, nunquam transit ad secundum; qui semper est in secundo, nunquam ad tertium pertingit, quæ est contemplatio nostra acquisita, ubi consistendum est tota vita, dummodo Deus non trahat animam nihil tale exspectantem ad contemplationem infusam : et hac cessante, redeundum est animæ ad gradum tertium, et in eo consistendum, non amplius revertendo ad secundum aut primum. *Molin.* 23.

Qui desiderat et amplectitur devotionem sensibilem, is nec desiderat, nec quærit Deum, sed se ipsum : et qui per viam internam incedit, male facit eam desiderando et habere conando, sive in locis sacris, sive in diebus solemnibus. *Molin.* 27.

Cum anima interne fastidit discursus de Deo et virtutibus, manetque frigida, non sentiendo se ad fervorem accendi, bonum signum est. *Molin.* 29.

Quidquid sensibile in vita spirituali percipitur, illud omne abominabile est, sordidum et immundum. *Molin.* 30.

Male facit anima, quæ via ista interna graditur, si diebus solemnibus facere velit conatum aliquem particularem ad habendum sensum aliquem devotionis; quia animabus internis omnes dies sunt pares, omnes festi; idemque est de locis sacris, cum omnia loca his animabus sint paria. *Molin.* 33.

Ad ejusmodi statum (*contemplationis acquisitæ*) pervenitur non faciendo reflexionem ad operationes proprias, quia defectus nascuntur ex reflexione. *Molin.* 58.

In statu vitæ contemplativæ sive unitivæ, amittitur omne motivum interessatum amoris et Spei. *Camerac.* 2.

Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguntur..... Ista compositio actuum discursivorum et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati. *Camerac.* 15.

Datur status contemplationis adeo sublimis adeoque perfectæ ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tum non amplius indiget redire ad meditationem ejusque actus methodicos. *Camerac.* 16.

Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili et reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis... Primo, in fervore nascente earum contemplationis... Secundo anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus. *Camerac.* 17.

De dispositione ad contemplationem. Theologus minus est dispositus, quam simplex et idiota, ad hoc, ut sit contemplativus; primo, quia non habet fidem tam puram; secundo, quia non est tam humilis; tertio, quia non curat perinde de sua salvatione; quarto, quia habet caput plenum phantasmatibus, speciebus, opinionibus et speculationibus, etc., in eum nequit verum lumen intrare. *Molin.* 64.

DE PERFECTIONE.

De constitutivis perfectionis. Necessarium est annihilare potentias, et hæc est via interna. *Molin.* 1.

Velle operari active est offendere Deum, qui vult solus agens esse, et ideo necesse est derelinquere se in illo, et deinde se habere corporis mortui instar. *Molin.* 2.

Activitas naturalis est inimica gratiæ, et impedit operationem Dei et veram perfectionem, quia Deus vult operari in nobis sine nobis. *Molin.* 4.

Anima nihil operando annihilat se, et redit ad suum principium et ad suam originem, quæ est essentia Dei, ubi manet transformata et divinizata; et tunc Deus manet in se ipso; quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una sola, et sic vivit et regnat Deus in nobis, et anima se annihilat in esse operativo. *Molin.* 5.

Interna via est illa in qua non cognoscitur aut lumen aut amor aut resignatio, neque necessarium est cognoscere Deum, et sic bene proceditur. *Molin.* 6.

Non debet anima cogitare aut præmium aut pœnam, aut paradisum aut infernum, aut mortem aut æternitatem. *Molin.* 7.

Non debet velle scire an ambulet cum voluntate Dei, an sit resignata illi vel non; nec est necesse ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihilum; sed sese habeat quasi corpus mortuum. *Molin.* 8.

Non debet anima memor esse vel sui ipsius, vel Dei, vel ullius rei, et in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio supra suas actiones humanas ac proprios defectus. *Molin.* 9.

Qui dedit liberum arbitrium Deo, non debet curare de ulla re, nec de inferno, nec de paradiso, nec de habendo desiderio suæ propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, a cujus etiam spe se purgare debet. *Molin.* 12.

Dum consignatum fuerit liberum arbitrium Deo, illi debet relinqui cura et cogitatio omnium rerum nostrarum, et permitti ut in nobis sine nobis faciat divinum suum velle. *Molin.* 13.

Tres hæ viæ, purgativa, illuminativa et unitiva, ineptia est maxima, quæ unquam prolata sit in ipsa Mystica; cum non sit nisi via unica; id est, via interna. *Molin.* 35.

Animabus hujus viæ internæ non convenit ut faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione et activitate; alioquin mortuæ non forent: nec debent facere actus amoris erga. D. Virginem, Sanctos, Humanitatem Christi; quia, cum hæc sint objecta sensibilia, talis est amor erga illa. *Molin.* 12.

Nulla creatura, neque D. Virgo nec Sancti sedem habere debent in corde nostro, quia Deus solus vult occupare illud et possidere. *Molin.* 36.

Spirituales illi viæ ordinariæ in hora mortis se delusos et confusos invenient cum omnibus passionibus in altero mundo expurgandis. *Molin.* 54.

Via interna separata est a confessione, a Confessariis et casibus conscientiæ, a Theologia et a Philosophia. *Molin.* 59.

Anima, cum ad mortem mysticam pervenit, non potest ultra velle aliud, quam vult Deus, quia non habet amplius voluntatem, et Deus illam ipsi ademit. *Molin.* 61.

Per viam internam pervenitur ad continue consistendum immobiliter in pace quadam imperturbabili. *Molin.* 62.

Id quod est essentiale in directione animæ, est non aliud facere quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione et subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et unquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et adeo potest illas scandalizare aut in perturbationem conjicere. *Camerac.* 3.

In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria et deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ non fideliter cooperatur. *Camerac.* 4.

In eodem statu sanctæ indifferentiæ, nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti et beati propter interesse proprium; sed omnem perfectionem et beatitudinem volumus, in quantum Deo placet effiicere ut velimus res istas impressione suæ gratiæ. *Camerac.* 5.

In hoc statu sanctæ indifferentiæ nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult, et quam nos vult velle propter ipsum. *Camerac.* 6.

In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id quod Deus vult : amplius et amor zelotypus simul efficit ne quis sibi virtutem velit, nec unquam adeo sit virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est. *Camerac.* 18.

Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva et desinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio et sua felicitas, sed solum quatenus est id quod Deus a nobis vult. *Camerac.* 19.

De adjumentis perfectionis. Bonum est tædium rerum Spiritualium, quia sic ab amore proprio expurgamur. *Molin.* 28.

B. Virgo nunquam opus aliquod externum fecit, et omnium Sanctorum fuit sanctissima : igitur perveniri potest ad Sanctitatem sine opere externo. *Molin.* 40.

Deus, ut nos humiliet, et ad veram transformationem pertingere faciat, permittit et vult in animabus quibusdam perfectis, etiam non arreptitiis, ut Dæmon operetur violentiam in earum corporibus, illasque committere faciat actus carnales etiam in vigilia et sine mentis offuscatione, movendo illis physice manus aliaque membra contra earum voluntatem : et idem dicendum est in ordine ad actus alios per se peccaminosos; quo casu non sunt peccatum, quia non adest consensus. *Molin.* 41.

Potest dari casus, quo hæ violentiæ ad actus carnales existant in eodem tempore ex parte duarum personarum, et consequatur actus ex parte amborum. *Molin.* 42.

Deus temporibus præteritis faciebat Sanctos per medium tyrannorum; hodie eos facit per medium Dæmonum, qui, dum illis causant dictas violentias, facit ut ii magis se vilificent et annihilent in se ipsis, seque in Deo resignent. *Molin.* 43.

Job blasphemavit, et tamen in eo *non peccavit labiis suis,* quia id fuit per violentiam Dæmonis. *Molin.* 44.

Sanctus Paulus passus est in suo corpore tales violentias Dæmonis, unde scripsit : *Non, quod volo bonum, hoc ago; sed, quod nolo malum, hoc facio.* *Molin.* 45.

Hæ violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, eamque promovendam ad veram transformationem et unionem, neque alia est via facilior et securior. *Molin.* 46.

Cum hæ violentiæ accidunt, oportet sinamus Satanam agere, non utendo propria industria aut viribus, sed consistendo in nihilo nostro ; ac tametsi accidant pollutiones, atque etiam his magis insolita et peregrina, non opus est his inquietari ; sed excludendi sunt scrupuli, dubia, timores ; quia anima magis illuminata robustiorque et candidior efficitur, et acquiritur sancta libertas. At imprimis non oportet ea confiteri, fitque sanctissime illa non confitendo ; quia sic vincitur Dæmon, et thesaurus quidam pacis obtinetur. *Molin.* 47.

Satanas, qui facit tales violentias, suggerit deinde esse graves defectus, ad inquietandam animam, ut non progrediatur in via interna : unde ad tollendas illi vires præstat ea non confiteri, quia nequidem sunt peccata venialia. *Molin.* 48.

Job per violentiam Dæmonis faciebat pollutiones manibus suis eo ipso tempore, quo *mundas habebat ad Deum preces.* *Molin.* 49.

David, Jeremias, et multi e Prophetis Sanctis patiebantur ejusmodi violentias harum impurarum operationum externarum. *Molin.* 50.

In Scriptura Sacra multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, ut Samsonis, qui per violentiam occidit seipsum cum Philistæis, uxorem duxit alienigenam, fornicatus est cum Dalila meretrice ; quæ alias erant res prohibitæ, et fuissent peccata. Item Judith, quæ mentita est Holoferni ; Elisei, qui pueris maledixit ; Eliæ, qui igne consumpsit duos Duces cum cohortibus Regis Achab. An autem fuerit violentia facta immediate a Deo, vel Dæmonis ministerio, ut in aliis accidit animabus, in dubio relinquitur. *Molin.* 51.

Quando hæc violentiæ etiam impuræ veniunt sine mentis offuscatione, tum anima potest se unire Deo, et reipsa semper magis unitur. *Molin.* 52.

Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula, quam ea de re habeo, non solum est quod protestentur hæ animæ se non consensisse, vel quod non possint jurare se consensisse, ac quod videamus, esse animas, quæ profectum faciunt in via interna ; sed præsertim me dirigo lumine quodam actuali, et quod superius est cognitione humana ac theologica, quo cognosco certo, cum interna securitate, operationem ejusmodi esse violentam : et hoc lumen certus sum venire a Deo ; quia mihi venit conjunctum cum securitate quod veniat a Deo, neque mihi vel umbram dubii in contrarium relinquit, eum in modum, quo interdum accidit ut Deus, revelando rem quampiam, eodem tempore animam securam reddat, se esse qui eam revelationem facit, neque anima possit in contrarium dubitare. *Molin.* 53.

De Probationibus Perfectionis. Ex quo traditum est Deo liberum arbitrium, cura etiam ac cogitatio animæ nostræ, non debent ulterius æstimari tentationes, nec alia fieri illis resistentia, nisi negativa, non utendo industria ; et, si natura inde patitur, necesse est illam sinere pati, quia natura est. *Molin.* 17.

Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus

Christus in Evangelio a nobis requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio et sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium etiam æternum. *Camerac.* 7.

Omnia Sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quam maxime desinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia... Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario : in uno extremarum probationum casu, hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum. *Camerac.* 8.

In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, et quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse a Deo. *Camerac.* 9.

Tunc anima divisa a semetipsa exspirat cum Christo in cruce dicens : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem. *Camerac.* 10.

Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse et justæ condemnationi quam sibi a Deo indictam credit. *Camerac.* 12.

P. P. 80. Regula 1ª quæ statuit universe et indiscriminatim *statum Regularem aut Monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura, cumque vitæ pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticæ Hierarchiæ, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitæ Monasticæ principiis;* — Falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiæ Patres et Præsules, qui regularis vitæ instituta cum Clericalis Ordinis muneribus consociarunt, injuriosa, pio, vetusto, probato Ecclesiæ mori, Summorumque Pontificum sanctionibus contraria : *Quasi Monachi quos morum gravitas, et vitæ ac fidei institutio sancta commendat,* non rite, nec modo sine Religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiæ *Clericorum Officiis aggregentur.* — Ex S. Siricio Epist. Decr. ad Himerium Tarracon., c. 13.

P. P. 81. Item in eo quod subjungit, sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines Mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor æstus, accuratio major desiranda fuisset, — Scandalosa, in sanctissimos Doctores injuriosa, impiis damnatorum Auctorum contumeliis favens.

P. P. 82. Regula 2ª *Multiplicationem Ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem;* — Item in eo quod præmittit. § 4. *Regularium Fundatores,* qui post Monastica Instituta prodierunt, *Ordines superaddentes Ordinibus, Reformationes Reformationibus, nihil aliud effecisse, quam primariam mali causam magis magisque dilatare;* — Intellecta de Ordinibus et institutis a Sancta Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti Ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem parere debeat; — Falsa, calumniosa, in sanctos Fundatores, eorumque Fideles Alumnos, tum et in ipsos Summos Pontifices injuriosa.

P. P. 83. Regula 3ª qua, postquam præmisit *parvum Corpus degens intra civilem societatem, quin fere sit pars ejusdem, parvamque monarchiam figit in statu semper esse periculosum,* subinde hoc nomine criminatur privata Monasteria, communis instituti vinculo sub uno præsertim capite consociata,

velut speciales totidem monarchias civili reipublicæ periculosas et noxias; — Falsa, temeraria, Regularibus institutis a Sancta Sede ad Religionis profectum approbatis injuriosa, favens hæreticorum in eadem Instituta insectationibus et calumniis.

P. P. 84. De systemate seu ordinationum complexione ducta ex allatis regulis, et octo sequentibus articulis comprehensa, pro Reformatione Regularium : Art. 1. *De uno duntaxat Ordine in Ecclesia retinendo, ac de seligenda præ cæteris Regula sancti Benedicti, cum ob sui præstantiam, tum ob præclara illius Ordinis merita; sic tamen ut in his, quæ forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitæ ratio apud Portum-Regium lucem præferat ad explorandum quid addere, quid detrahere conveniat.* — 2. *Ne compotes fiant ecclesiasticæ Hierarchiæ, qui se huic Ordini adjunxerint, nec ad sacros Ordines promoveantur, præterquam ad summum unus, vel duo, initiandi tanquam Curati vel Capellani Monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus.* — 3. *Unum tantum in unaquaque Civitate admittendum Monasterium, idque extra mœnia Civitatis in locis abditioribus et remotioribus collocandum.* — 4. *Inter occupationes vitæ monasticæ, pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore psalmodiæ impendendo, aut etiam, si cui libuerit, litterarum studio. Psalmodia deberet esse moderata, quia nimia ejus prolixitas parit præcipitantiam, molestiam, evagationem. Quo plus auctæ sunt psalmodiæ, orationes, preces, tantumdem peræqua proportione omni tempore imminutus fervor est, sanctitasque Regularium.* — 5. *Nulla foret admittenda distinctio Monachos inter sive Choro sive Ministeriis addictos; inæqualitas isthæc gravissimas omni tempore lites excitavit ac discordias, et a Communitutibus Regularium spiritum caritatis expulit.* — 6. *Votum perpetuæ stabilitatis nunquam tolerandum. Non illud norant veteres Monachi qui tamen Ecclesiæ consolatio et Christianismi ornamentum extiterunt. Vota Castitatis, Paupertatis et Obedientiæ non admittentur instar communis et stabilis regulæ. Si quis ea vota, aut omnia, aut aliqua facere voluerit, consilium et veniam ab Episcopo postulabit, qui tamen nunquam permittet ut perpetua sint nec anni fines excedant. Tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus.* — 7. *Omnem Episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate; ad ipsum pertinebit Monachos admittere et expellere, semper tamen accepto Contubernalium consilio.* — 8. *Regulares Ordinum, qui adhuc remanent, licet Sacerdotes in hoc Monasterium admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine propriæ sanctificationi vacare cuperent; quo casu dispensationi locus fieret in generali Regula num. 2 statuta, sic tamen ne vitæ institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut non plusquam una aut ad summum duæ in diem Missæ celebrentur, satisque cæteris Sacerdotibus esse debeat una cum Communitate concelebrare.* — Item pro Reformatione Monialium : *Vota perpetua usque ad annum 40 aut 45 non admittenda. Moniales solidis exercitationibus, speciatim labori addicendæ; a carnali spiritualitate, qua plerœque distinentur; avocandæ, expendendum, utrum, quod ad ipsas attinet, satius foret Monasterium in Civitate relinqui.* — Systema vigentis atque jam antiquitus probatæ ac receptæ disciplinæ subversivum, perniciosum, constitutionibus Apostolicis, et plurium Conciliorum etiam generalium, tum speciatim Tridentini Sanctionibus oppositum et injuriosum, favens hæreticorum in Monastica Vota et Regularia instituta, stabiliori consiliorum evangelicorum professioni addicta, conviciis et calumniis.

PARS III. EJUSQUE SUPPLEMENTUM.

DE INCARNATIONE.

De Operibus Christi. Opera justitiæ et temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem. *Bai.* 19.

Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori involuntarias perturbationes. *Camerac.* 13.

De Morte Christi. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus. *Alex. VIII. B.* 4.

Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, id est, electos, de manu Angeli exterminatoris. *Quesn.* 32.

P. P. 71. Propositio quæ asserit *adorare directe Humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturæ;* — Quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum, quem Fideles dirigunt ad Humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua Humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se et tanquam nuda caro, sed prout unita Divinitati, foret honor divinus impertitus creaturæ, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur ex Concil. C. P. Gen. V, Can. 9. — Falsa, captiosa, pio ac debito cultui Humanitati Christi a Fidelibus præstito ac præstando detrahens, et injuriosa.

P. P. 72. Doctrina quæ devotionem erga sacratissimum Cor Jesu rejicit inter devotiones quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas; — Intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata; — Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem injuriosa.

P. P. 63. Item in eo quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctissimam Carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam Humanitatem totam, cum separatione aut præcisione a Divinitate adorari non posse cultu latriæ; — Quasi Fideles Cor Jesu adorarent cum separatione, vel præcisione a Divinitate, dum illud adorant, ut est Cor Jesu, Cor nempe Personæ Verbi cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue Corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione a Divinitate adorabile fuit in sepulchro; — Captiosa, in Fideles Cordis Christi cultores injuriosa.

De Matre Christi. Oblatio in templo, quæ fiebat a B. V. Maria in die purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundum verba legis. *Alex. VIII. B.* 24.

Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana est. *Alex. VIII. B.* 26.

De Usu Imaginum. Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in templo collocare. *Alex. VIII. B.* 25.

P. P. 69. Præscriptio, quæ generaliter et indistincte inter Imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem præbentes, notat Imagines Trinitatis incomprehensibilis, — Propter sui generalitatem, temeraria ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria; quasi nullæ extent

Imagines sanctissimæ Trinitatis communiter approbatæ ac tuto permittendæ. — Ex Brevi *Sollicitudini nostræ* Bened. XIV, an. 1745.

P. P. 70. Item doctrina et præscriptio generatim reprobans omnem specialem cultum quem alicui speciatim Imagini solent Fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere; — Temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi Providentiæ ordini injuriosa, *ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.* — Ex S. Aug., Ep. 78, Clero, Senioribus, et universæ Plebi Ecclesiæ Hipponensis.

P. P. 71. Item quæ vetat ne Imagines, præsertim B. Virginis, ullis titulis distinguantur, præterquam denominationibus quæ sint analogæ Mysteriis de quibus in sacra Scriptura expressa fit mentio; — Quasi nec adscribi possent Imaginibus piæ aliæ denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat; — Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi præsertim Virgini debitæ injuriosa.

P. P. 72. Item quæ velut abusum exstirpari vult morem quo velatæ asservantur certæ Imagines; — Temeraria, frequentato in Ecclesia et ad Fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.

DE SACRAMENTIS.

De eorum effectu. Unde, in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione proprie reatus peccati duntaxat tollitur, et ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu. *Bai.* 57.

De illorum Administratione. Non est illicitum in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis aut Episcopalis. *Innoc. XI. A.* 1.

Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi. *Innoc. XI. A.* 1.

De illorum usu. Frequens confessio et communio etiam, in his qui gentiliter vivunt, est nota predestinationis. *Innoc. XI. A.* 56.

P. P. 27. Deliberatio Synodi, qua prætextu adhæsionis ad antiquos Canones, in casu dubii Baptismatis, propositum suum declarat de omittenda formæ conditionalis mentione; — Temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contraria.

DE BAPTISMO.

De forma Baptismi. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris, etc.*, prætermissis illis: *Ego te baptizo. Alex. VIII. B.* 27.

De effectu Baptismi. Primus effectus gratiæ baptismalis est facere ut moriamur peccato adeo, ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi. *Quesn.* 43.

Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore. *Quesn.* 63.

De intentione baptizantis. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo quod facit Ecclesia. *Alex. VIII. B.* 28.

DE EUCHARISTIA.

De Communione. Nec ante nec post communionem alia opus est præpara-

tione aut gratiarum actione (pro animabus hisce internis), quam ut se teneant in solita resignatione passiva, quia in hac invenitur amor, qui supplet modo perfectiori quam omnes alii virtutum actus, qui fieri possunt et fiunt in via ordinaria. Et si in hac occasione communionis accidant motus humiliationis, petitionis aut gratiarum actionis, reprimi debent, quoties non cognoscuntur esse speciales Dei impulsus; aliter enim sunt impulsus naturæ nondum mortuæ. *Molin.* 32.

Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint. *Alex. VIII. B.* 22.

Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers. *Alex. VIII. B.* 23.

De Sacrificio Missæ. Sacrificium Missæ non alia ratione est sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate homo Deo inhæreat. *Bai.* 45.

Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod, cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ. *Quesn.* 89.

P. P. 28. Propositio Synodi, qua, postquam statuit *Victimæ participationem esse partem Sacrificio essentialem,* subjungit *non tamen se damnare ut illicitas Missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo quia isti participant licet minus perfecte de ipsa Victima, spiritu illam recipiendo;* — Quatenus insinuat ad Sacrificii essentiam deesse aliquid in eo Sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus qui nec sacramentaliter, nec spiritaliter de Victima participant; et quasi damnandæ essent ut illicitæ Missæ illæ, in quibus solo Sacerdote communicante, nemo adsit, qui sive sacramentaliter, sive spiritaliter communicet; — Falsa, erronea, de hæresi suspecta, eamque sapiens.

P. P. 29. Doctrina Synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu Consecrationis. — remotis quæstionibus scholasticis circa modum quo Christus est in Eucharistia, a quibus Parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis : 1. Christum post Consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus; 2. Tunc omnem Panis et Vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus, — prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis, seu conversionis totius substantiæ Panis in Corpus et totius substantiæ Vini in Sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum Concilium definivit, et quæ in solemni Fidei professione continetur; — Quatenus per inconsultam istiusmodi, suspiciosamque omissionem, notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratæ ad illius tuendam professionem adversus hæreses, tenditque adeo ad ejus oblivionem inducendam, quasi ageretur de quæstione mere scholastica. — Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicæ circa dogma transsubstantiationis, favens hæreticis.

P. P. 30. Doctrina Synodi, qua dum profitetur *credere Sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in Liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum, quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis;* — dein continuo subjicit : *Non tamen quod credamus in arbitrio esse Sacerdotis applicare fructus Socrificii cui vult; imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus Sacrificii cui vult, et secundum mensuram quæ ipsi placet;* Unde et

consequenter traducit velut *falsam, opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant Sacerdoti sub conditione quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant;* — Sic intellecta, ut præter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio Sacrificii, quæ fit a Sacerdote, non magis prosit, cæteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat ac præcipit Ecclesia, speciatim a Pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino præcepto descendens a sacra Tridentina Synodo diserte est expressum, Sess. 23, c. 1 de Reform. — Bened. XIV. Const. *Cum semper oblatas,* § 2. — Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.

De Lingua, in qua dicitur Missa. Eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ et intentioni Dei. *Quesn.* 86.

P. P. 66. Propositio asserens *fore contra Apostolicam praxim et Dei consilia, nisi Populo faciliores viæ pararentur vocem suam jungendi cum voce totius Ecclesiæ;* — Intellecta de usu vulgaris linguæ in liturgicas preces inducendæ. — Falsa, temeraria, ordinis pro Mysteriorum celebratione præscripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.

De dispositione Sacerdotis celebrantis. Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum. *Alex. VII. B.* 38.

Illa particula, *Quamprimum,* intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur. *Alex. VII. C.* 39.

De stipendiis pro Missa leg. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII. *Alex. VII. C.* 8.

Post decretum Urbani; potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta. *Alex. VII. B.* 9.

Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione per juramentum firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram. *Alex. VII. B.* 10.

Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos. *Alex. VII. C.* 43.

DE PŒNITENTIA.

De virtute pœnitentiæ. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali. *Alex. VIII. B.* 19.

De Sacramento Pœnitentiæ. Animabus profectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, quin et eo, ut mortuæ sint, jam pertingunt, Deus nonnunquam impossibilem reddit confessionem, ipseque supplet tantumdem ipsis largiendo gratiæ præservantis, quantum reciperent ex Sacramento; ideoque his animabus non expedit eo casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia non possunt. *Molin.* 60.

De effectu Sacram. Pœnit. Peccator pœnitens non vivificatur ministe-

rio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui pœnitentiam suggerens et inspirans vivificat eum et resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur. *Bai.* 58.

De Ministro hujus Sacramenti. Concilium Tridentinum non obligat Regulares ad obtinendas approbationes ab Episcopis, ut Secularium confessiones audire possint; neque de illius Concilii auctoritate privilegia Regularium restringi possunt; cum in Gallia receptum non sit, præterquam in decisionibus fidei, neque Bulla Pii IV pro confirmatione illius Concilii promulgata. *Alex. VII. A.* 1.

Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas ex ulla causa revocare. Quinimo Ordinum Mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur, et, si ab Episcopis Religiosi non approbentur, rejectio illa valet tantum ac si approbatio concessa fuisset. *Alex. VII. A.* 2.

Regulares Ordinum mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Diœcesi habentur approbati in aliis, nec nova Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absolvendi a peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas indulta ipsis non fuerit. *Alex. VII. A.* 3.

Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. *Alex. VII. B.* 16.

Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt vel invalidæ. *Alex. VIII. B.* 20.

Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua pœnitentia seu satisfactione ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis. *Alex. VIII. B.* 21.

De modo administrandi Sacram. pœnit. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante. *Alex. VIII. B.* 16.

Per illam praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus. *Alex. VIII. B.* 17.

Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu. *Alex. VIII. B.* 18.

P. P. 34. Declaratio Synodi, qua postquam præmisit ordinem pœnitentiæ canonicæ sic ad Apostolorum exemplum ab Ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpæ, sed præcipue pro dispositione ad gratiam, subdit, *in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem Sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus quæ ipsi decursu temporis adjunctæ sunt*; — Quasi per ordinem, quo sine peracto canonicæ pœnitentiæ cursu hoc Sacramentum per totam Ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta; — Temeraria, scandalosa, inducens in contemptum dignitatis Sacramenti, prout per Ecclesiam totam consuevit administrari, Ecclesiæ ipsi injuriosa.

P. P. 35. Propositio his verbis concepta : *si caritas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus caritatis, oportet ut Sacerdos præcedere faciat eos actus humiliationis et pœnitentiæ,*

qui fuerunt omni ætate ab Ecclesia commendati; redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic Sacramento nudum nomen pœnitentiæ, quam medium illuminatum et aptum ad augendum illum fervorem caritatis, qui debet præcedere absolutionem : longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi pœnitentias etiam post absolutionem adimplendas; si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus, ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostræ reconciliationis; — Quatenus innuit pœnitentias, quæ imponuntur adimplendæ post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconciliationis, quam ut pœnitentias vere sacramentales, et satisfactorias pro peccatis confessis : quasi ut vera ratio Sacramenti, non nudum nomen, servetur, oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et pœnitentiæ, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, præcedere debeant absolutionem; — Falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum.

P. P. 38. Item Doctrina, qua — postquam Synodus professa est *se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quæ* ut ait, *ad pœnitenitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam,* — subjungit, *per timorem perpetuæ exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis magnum frenum illis injectum iri qui parum considerant malum peccati, et minus illud timent;* — Contraria Can. 13, Concilii Nicæni I, Decretali Innocentii I, ad Exuperium Tolos., tum et Decretali Cælestini I, ad Episcopos Viennen. et Narbon. Provinciæ, redolens pravitatem quam in ea Decretali sanctus Pontifex exhorret.

P. P. 39. Declaratio Synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur ejusmodi confessiones; — Temeraria, perniciosa, Sanctorum ac piorum praxi a S. Conc. Trid. probatæ contraria.

De dispositione pœnitentis. Non est obligandus Concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *Regalo*, dum, deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur *Alex. VII. C.* 41.

Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem. *Innoc. XI. A.* 60.

Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione versatur peccandi, quam potest et non vult omittere, quinimo directe et ex proposito quærit, aut eo se ingerit. *Innoc. XI. A.* 61.

Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi. *Innoc. XI. A.* 64.

In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, et condemnare se, et desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam

purificationem et liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, et vult nos velle propter suam gloriam. *Camerac.* 20.

P. P. 36. Doctrina Synodi, qua — postquam præmisit : *Quando habebuntur signa non æquivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito judicari dignum, qui admittatur ad participationem Sanguinis Jesu Christi, quæ fit in Sacramentis,* — subdit *suppositilias conversiones, quæ fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere nec durabiles :* consequenter, *Pastorem animarum debere insistere signis non æquivocis caritatis dominantis antequam admittat suos pœnitentes ad Sacramenta;* quæ signa, ut deinde tradit, *Pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato et fervore in operibus bonis;* quem insuper *fervorem caritatis* perhibet velut dispositionem, quæ *debet præcedere absolutionem :* — Sic intellecta, ut non solum Contritio imperfecta, quæ passim attritionis nomine donatur, etiam quæ juncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, nec modo Contritio caritate formata, sed et fervor caritatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur, ut homo ad sacramenta, et speciatim pœnitentes ad absolutionis beneficium admittantur ; — Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutæ ac probatæ in Ecclesia praxi contraria, Sacramenti efficaciæ detrahens et injuriosa.

De Contritione. Per contritionem etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti. *Bai.* 71.

De Attritione. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam. *Innoc. XI. A.* 57.

Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu. *Alex. VIII. B.* 9.

Attritio, quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis. *Alex. VIII. B.* 15.

Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem. *Quesn.* 60.

P. P. 25. Doctrina quæ timorem pœnarum generatim perhibet *duntaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum;* — Quasi timor ipse gehennæ, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus præparans ad amorem justitiæ; — Falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis injuriosa, alias damnata, contraria doctrinæ Concilii Tridentini, tum et communi Patrum sententiæ : *opus esse,* juxta consuetum ordinem præparationis ad justitiam, *ut intret timor primo per quem veniat caritas, timor medicamentum, caritas sanitas.* — Ex S. August. in Epist. Jo., c. 4; Tract. 9, n. 4, 5. — In Jo. Evang. Tract. 41, n. 10. — Enarratione in Psalm. 127, n. 7. — Sermone 157 de verbis Apostoli, c. 13. — Sermone 161 de verbis Apostoli, n. 81. — Sermone 349 de Caritate, n. 7.

De Confessione. Licet per litteras sive per internuntium Confessario absenti Sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem petere *Paul. V.*

Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere. *Alex. VII. B.* 11.

Mollities, Sodomia, bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit in confessione dicere, se procurasse pollutionem. *Alex. VII. B.* 24.

Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens : commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam. *Alex. VII. B.* 25.

Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem. *Innoc. XI. A.* 58.

Licet Sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ. *Innoc. XI. A.* 59.

De Absolutione. Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629 die 18 Julii in Consistorio S. Congregat. Eminentiss. Cardin. visa et tolerata est. *Alex. VII. B.* 3.

Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque seculares ab hæresi occulta et ab excommunicatione per eam incursa. *Alex. VII. B.* 4.

Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate. *Alex. VII. B.* 12.

P. P. 37. Doctrina Synodi quæ de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enuntiat, *post institutionem Diœcesium et Parochiarum, conveniens esse ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii, sive jure quodam personali*, propterea quod *aliter confusio induceretur et perturbatio;* — Quatenus, post institutas Diœceses et Parochias, enuntiant tantummodo *conveniens esse ad præcavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos;* sic intellecta tanquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a Sacerdote prolatam ; — Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et injuriosa, erronea.

P. P. 44. Propositio Synodi asserens *reservationem casuum; nunc temporis, aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus Sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro pœnitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem;* — Falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicæ potestatis læsiva.

P. P. 45. Item de spe quam ostendit fore, *ut reformato Rituali et ordine pœnitentiæ nullum amplius locum habituræ sint hujusmodi reservationes;* — Prout attenta generalitate verborum innuit per reformationem Ritualis et ordinis pœnitentiæ factam ab Episcopo vel Synodo, aboleri posse Casus quos Tridentina Synodus (Sess. 14, c. 7) declarat Pontifices Maximos potuisse, pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita, peculiari suo judicio reservare ; — Propositio falsa, temeraria, Concilio Tridentino et summorum Pontificum auctoritati derogans et injuriosa.

De Satisfactione. Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso, sæpe remanet, et corporis resurrectio, proprie nonnisi meritis Christi abscribenda est. *Bai.* 10.

Quando per eleemosynas aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus,

sicut quidam errantes autumant; nam alioquin essemus saltem aliqua ex parte redemptores; sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi Satisfactio nobis applicatur et communicatur. *Bai.* 59.

Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam. *Bai.* 77.

Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat. *Alex. VII. B.* 15.

Modus plenus sapientia, lumine et charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi Spiritum pœnitentiæ et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur. *Quesn.* 87.

Ignoramus quid sit peccatum et vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem. *Quesn.* 88.

De Sigillo confessionis. Scientia ex confessione acquisita, modo fiat sine directa et indirecta revelatione et gravamine pœnitentis, uti licet, si aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur. *Innoc. XI. C.*

De sollicitatione in confess. Confessarius qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus. *Alex. VII. B.* 6.

Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante. Hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi. *Alex. VII. B.* 7.

De Censuris. Quoad forum conscientiæ, reo correcto ejusque contumacia cessante, cessant censuræ. *Alex. VII. C.* 44.

Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis. *Quesn.* 90.

Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videamur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus. *Quesn.* 91.

Pati potius in pace excommunicationem et anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum : tantum abest ut sit erigere se contra auctoritatem aut scindere unitatem. *Quesn.* 92.

Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato; Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt. *Quesn.* 93.

Deus permittit ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit nisi divinæ gratiæ. *Quesn.* 96.

Nimis sæpe contingit, membra illa, quæ magis sancte et magis stricte unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari tanquam indigna ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata; sed justus vivit ex fide, et non ex opinione hominum. *Quesn.* 97.

Status persecutionis et pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus et impius, ultima plerumque probatio est et maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo. *Quesn.* 98.

Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quodidie quoad multos in odorem

mortis id quod Deus in sua Ecclesia posuit ut in ea esset odor vitæ v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla, etc. *Quesn.* 99.

Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem ejusque discipulos! Tempus hoc advenit... Haberi et tractari a Religionis Ministris tanquam impium et indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate et zelo quodam Religionis, persequendo flamma ferroque viros probos, si propria passione excæcatus est, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacricare Deo impium; et sacrificamus Diabolo Dei servum. *Quesn.* 100.

P. P. 4. Propositio affirmans *abusum fore auctoritatis Ecclesiæ, transferendo illam ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde;* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem subjectionem suis Decretis.* — Quatenus indeterminatis illis verbis : *extendendo ad res exteriores,* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiæ usum ejus potestatis acceptæ a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda. — Hæretica.

P. P. 5. Qua parte insinuat Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis Decretis exigendæ, aliter quam per media quæ pendent a persuasione. — Quatenus intendat Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus pœnis coercendi atque cogendi.* — Ex Bened. XIV, in Brevi *Ad assiduas,* anni 1755. Primati, Archiepiscopis et Episcopis Regni Polon. — Inducens in systema alias damnatum ut hæreticum.

P. P. 46. Propositio asserens *effectum excommunicationis exteriorem duntaxat esse quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiæ.* — Quasi excommunicatio non sit pœna spiritualis, ligans in cœlo, animas obligans. — Ex. S. Aug., Ep. 250 Auxilio Episcopo, Tract. 50 in Joan., n. 12. — Falsa, perniciosa, in art. 23 Lutheri damnata, ad minus erronea.

P. P. 47. Item, quæ tradit, necessarium esse juxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem, sive ad suspensionem, præcedere debeat examen personale, atque adeo sententias dictas *ipso facto,* non aliam vim habere nisi seriæ comminationis, sine ullo actuali effectu. — Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ potestati injuriosa, erronea.

P. P. 48. Item, quæ pronuntiat *inutilem ac vanam esse formulam nonnullis abhinc seculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset.* — Falsa, temeraria, praxi Ecclesiæ injuriosa.

P. P. 49. Item quæ damnat ut nullas et invalidas *suspensiones ex informata conscientia.* — Falsa, perniciosa, in Tridentinum injuriosa.

P. P. 50. Item in eo quod insinuat soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (Sess. 14, c. 1 de Ref.), suspensionis *ex informata conscientia* legitime infligendæ. — Jurisdictionis Prælatorum Ecclesiæ læsiva.

De Indulgentiis. Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis

nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus qui pretio Sanguinis Christi a pœnis pro peccatis debitis liberemur. *Bai.* 60.

Indulgentiæ concessæ Regularibus et revocatæ a Paulo V hodie sunt revalidatæ. *Alex. VII. C.* 37.

Non oportet quærere indulgentias pro pœna debita peccatis propriis, quia melius est satisfacere divinæ justitiæ, quam quærere misericordiam; nam illud procedit ex puro Dei amore, et hoc ex amore interressato, id est, personalis commodi nostri, et non est res grata Deo nec meritoria; quia est velle subterfugere crucem. *Molin.* 46.

P. P. 40. Propositio asserens *indulgentiam, secundum suam præcisam notionem, aliud non esse quam remissionem partis ejus pœnitentiæ quæ per Canones statuta erat peccanti;* — Quasi indulgentia præter nudam remissionem pœnæ canonicæ non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam; — Falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in Art. 19. Lutheri damnata.

P. P. 41. Item in eo quod subditur, *Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et claræ notioni absolutionis a pœna canonica, substituisse confusum et falsam applicationis meritorum;* — Quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias non sint merita Christi et sanctorum; — Falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in Art. 17. Lutheri damnata.

P. P. 42. Item in eo quod superaddit *luctuosius adhuc esse quod chimerica isthæc applicatio transferri solita sit in defunctos;* — Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxim et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in Art. 22. Lutheri.

P. P. 43. In eo demum quod impudentissime invehitur in Tabellas indulgentiarum, Altaria privilegiata, etc.; — Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices atque in praxim tota in Ecclesia frequentatam contumeliosa.

DE ORDINE.

P. P. 51. Doctrina Synodi quæ perhibet, in promovendis ad Ordines, hanc de more et instituto veteris disciplinæ rationem servari consuevisse, ut *si quis Clericorum distinguebatur sanctitate vitæ et dignus æstimabatur qui ad Ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad Diaconatum, vel Sacerdotium, etiamsi inferiores Ordines non suscepisset, neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est;*

P. P. 52. Item quæ innuit non alium titulum ordinationum fuisse quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis præscripta est in Concilio Chalcedonensi; subjungens, quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum conformavit, Ecclesiasticum ordinem floruisse; verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum Sanctuarii;

P. P. 53. Item quod inter hæc ipsa corruptionis principia refert quod recessum sit a vetere instituto, quod, ut ait, Ecclesia insistens Apostoli vestigiis neminem ad Sacerdotium admittendum statuerat nisi qui conservasset innocentiam baptismalem;

Quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta 1. Sive quibus ordinationes per saltum vetitæ sunt; 2. Sive quibus pro

Ecclesiarum necessitate et commoditate probatæ sunt Ordinationes, sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino Ordinatio ad titulum patrimonii (salva obedientia, qua sic Ordinati Ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab Episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit); 3. Sive quibus jure canonico facta est criminum distinctio, quæ delinquentes reddunt irregulares; quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscumque qui baptismalem innocentiam non conservassent; — Doctrino singulis suis partibus falsa, temeraria, Ordinis pro Ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per Canones et speciatim per Trid. Decreta probatam injuriosa.

P. P. 54. Item quæ velut turpem abusum notat unquam prætendere eleemosynam pro celebrandis Missis et Sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *Stolæ*, et generatim quodcumque stipendium et honorarium quod suffragiorum aut cujuslibet parochialis functionis occasione offerretur; — Quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiæ, dum secundum receptum et probatum Ecclesiæ morem et institutum, utuntur jure promulgato ab Apostolo, accipiendi temporalia ab iis quibus spiritualia ministrantur; — Falsa[1], temeraria, Ecclesiastici ac pastoralis juris læsiva, in Ecclesiam ejusque ministros injuriosa.

P. P. 55. Item qua vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli Cleri (quo nomine inferiorum ordinum Clericos designat) a cathedralibus et collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos et provectioris ætatis Laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi Missis et aliis Officiis, velut Acolythi, etc., ut olim, inquit, fieri solebat, quando ejus generis Officia non ad meram speciem pro majoribus Ordinibus suscipiendis redacta erant; — Quatenus reprehendit institutum quo cavetur ut *minorum Ordinum functiones per eos tantum præstentur, exerceanturve, qui in illis constituti, adscriptive sunt* (Concil. Prov. IV. Mediol.) idque ad mentem Tridentini (Sess. 23, c. 17), *ut sanctorum Ordinum a Diaconatu ad ostiariatum functiones ab apostolicis temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, et in pluribus locis aliquandiu intermissæ juxta sacros Canones revocentur, nec ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur*; — Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa; servandæ, quoad fieri potest, in celebrandis mysteriis decentiæ imminutiva, in minorum Ordinum munera et functiones, tum in Disciplinam per Canones et speciatim per Trid. probatam injuriosa, favens hæreticorum in eam conviciis et calumniis.

P. P. 56. Doctrina quæ statuit conveniens videri in impedimentis canonicis, quæ proveniunt ex delictis in jure expressis, ullam unquam nec concedendam nec admittendam esse dispensationem; — Æquitatis et moderationis canonicæ a sacro Concilio Tridentino probatæ læsiva, auctoritati et juribus Ecclesiæ derogans.

P. P. 57. Præscriptio Synodi quæ generaliter et indiscriminatim velut abusum rejicit quamcumque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni eidemque conferatur; — Item in eo quod subjungit, certum sibi esse, juxta Ecclesiæ spiritum, plus quam uno beneficio tametsi

simplici neminem frui posse; — Pro sua generalitate derogans moderationi Tridentini Sess. 7, c. 6 et Sess. 24, cap. 17.

DE MATRIMONIO.

Non peccat maritus, occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. *Alex. VII. B.* 19.

Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali. *Innoc. XI. A.* 9.

Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum. *Innoc. XI. A.* 50.

P. P. 58. Propositio quæ statuit Sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum præscripto omnino subjacere; — Quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiæ; — Falsa, juris Ecclesiæ, quoad effectus etiam e Sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes, læsiva, disciplinæ ab Ecclesia constitutæ derogans.

P. P. 59. Doctrina Synodi asserens *ad supremam civilem potestatem duntaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quæ ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia*, quod *jus originarium* præterea dicitur *cum jure dispensandi essentialiter connexum*, subjungens, *supposito assensu vel conniventia Principum, potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii;* — Quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit, in Christianorum matrimoniis, jure proprio impedimenta constituere, quæ matrimonium non solum impediant sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus Christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare; — Canonum 3, 4, 9, 12. Sess. 24, Concil. Trid. eversiva, hæretica.

P. P. 60. Item rogatio Synodi ad Potestatem civilem, ut *e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicæ honestatis, quorum origo reperitur in collectione Justiniani;* tum ut *restringat impedimentum affinitatis et cognationis ex quacumque licita aut illicita conjunctione provenientis ad quartum gradum, juxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquum, ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendæ;* — Quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi sive restringendi impedimenta Ecclesiæ auctoritate constituta vel comprobata; — Item qua parte supponit Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsi constitutis vel comprobatis; — Libertatis ac potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio profecta.

Congruum nobis visum est his propositionibus damnatis addere *Syllabum* à R.R. Pio IX sanctis. mem. promulgatum.

SYLLABUS

Complectens præcipuos nostræ ætatis errores qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis, aliisque Apostolicis litteris Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX.

§ I.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum exsistit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et idcirco immutationibus obnoxius ; Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam ; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto.

Alloc. *Maxima Quidem* 9 junii 1862.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima Quidem* 9 junii 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant : hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Epist. encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui qui humanæ rationis progressioni respondeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

VI. Christi fides humanæ refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

VII. Prophetiæ et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poetarum commenta, et christianæ fidei mysteria philosophicarum investigationum summa ; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa ; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

§ II.

Rationalismus moderatus.

VIII. Quum ratio humana ipsi religioni æquiparetur, idcirco theologicæ disciplinæ perinde ac philosophicæ tractandæ sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi* 9 decembris 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianæ sunt objectum naturalis scientiæ seu philosophiæ : et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo hæc dogmata ipsi rationi tanquam objectum proposita fuerint. Epist. ad Archiep. Frising *Gravissimas* 11 decembris 1862.

Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.

Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eisque relinquere ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.

XII. Apostolicæ Sedis, romanarumque Congregationum decreta liberum scientiæ progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

N. B. Cum rationalismi systemate cohærent maximam partem errores Antonii Gunther, qui damnatur in Epist. ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam* 15 junii 1847, et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri* 30 aprilis 1860.

§ III.

Indifferentismus, Latitudinarismus.

XV. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

XVI. Homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire æternamque salutem assequi possunt.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Ubi primum* 17 decembris 1847.

Epist. encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856.

XVII. Saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854.

Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 17 augusti 1863.

XVIII. Protestantismus non aliud est qua diversa veræ ejusdem chri-

stianæ religionis forma, in qua æque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decembris 1849.

§ IV.

Socialismus, Communismus, Societates clandestinæ, Societates biblicæ, Societates clerico-liberales.

Ejusmodi pestes sæpe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novemb. 1846; in Alloc. *Quibus quantisque* 20 april. 1849; in Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 dec. 1849; in Alloc. *Singulari quadam* 9 decem. 1854; in Epist. encycl. *Quanto conficiamur mærore* 15 augusti 1863.

§ V.

Errores de Ecclesia ejusque juribus.

XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

Alloc. *Maxima quidem* 9 Junii 1862.

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque* 30 septembris 1861.

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem catholicæ Ecclesiæ esse unice veram religionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XXIII. Romani Pontifices et Concilia œcumenica a limitibus suæ potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

XXIV. Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

XXV. Præter potestatem episcopatui inhærentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

Epist. encycl. *Incredibili* 17 septembris 1863.

XXVII. Sacri Ecclesiæ ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

XXVIII. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXIX. Gratiæ a Romano Pontifice concessæ existimari debent tanquam irritæ, nisi per Gubernium fuerint imploratæ.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXX. Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXXII. Absque ulla et naturalis juris æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis Nobisque* 29 sept. 1864.

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quæ medio ævo prævaluit.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

XXXV. Nihil vetat, alicujus Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

XXXVI. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 Augusti 1851.

XXXVII. Instituì possunt nationales Ecclesiæ ab Auctoritate Romani Pontificis subductæ planeque divisæ.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 martii 1861.

XXXVIII. Divisioni Ecclesiæ in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

§ VI.

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

XXXIX. Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

XL. Catholicæ Ecclesiæ doctrina humanæ societatis bono et commodis adversatur.

Epist. Encyclic. *qui pluribus* 9 nov. 1846.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

XLI. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitæ competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *exequatur*, sed etiam jus *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ* 22 augusti 1851.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prævalet.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ* 22 augusti 1851.

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, imo et ea reclamante.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decemb. 1860.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiæ pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianæ alicujus Reipublicæ instituitur, episcopalibus duntaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum; in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.

Alloc. *Quibus luctuosissimis*, 5 septembris 1851.

XLVI. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum abhibenda civili auctoritati subjicitur.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quæ litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicæ auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium ætatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 julii 1865.

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica fide ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 julii 1864.

XLIX. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

L. Laica auctoritas habet per se jus præsentandi episcopos et potest ab illis exigere ut ineant diœcesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1855.

LI. Immo laicum Gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quæ episcopatum et episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LII. Gubernium potest suo jure immutare ætatem ab Ecclesia præscriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LIII. Abrogandæ sunt leges quæ ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium præstare, qui a suscepto religiosæ vitæ instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam juris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

Alloc. *Probe memineritis* 22 januarii 1855.

Alloc. *Cum sæpe* 26 julii 1855.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

LV. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia sejungendus est.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

§ VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanæ leges ad naturæ jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1852.

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

LVIII. Aliæ vires non sunt agnoscendæ nisi illæ quæ in materia positæ sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 10 augusti 1863.

LIX. Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numerus et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

LXI. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 martii 1861.

LXII. Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non-interventu*.

Alloc. *Novos et ante* 28 septembris 1860.

LXIII. Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Quisque vestrum* 4 octobris 1847.

Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decembris 1849.

Litt. Apost. *Cum catholica* 26 martii 1860.

LXIV. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quælibet scelesta flagitiosaque actio sempiternæ legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriæ amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

§ VIII.

Errores de matrimonio christiano.

LXV. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXVII. Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

LXIX. Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXX. Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXXII. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

Lettera di S. S. PIO IX al Re di Sardegna 9 settembre 1852 (1).

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

LXXIV. Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

N. B. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum cœlibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur, prior in epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846, posterior in litteris apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

§ IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

N. B. Præter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque* 20 april. 1849; in Alloc. *Si semper antea* 20 maii 1850; in Litt. apost. *Cum catholica Ecclesia* 26 mart. 1860; in Alloc. *Novos* 28 sept. 1860; in Alloc. *Jamdudum* 18 mart. 1861; in Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

§ X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

LXXVII. Ætate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tanquam unicam status religionem, cæteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum* 26 julii 1855.

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus

(1) Litteræ S. D. N. Pii IX ad Regem Sardiniæ.

lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LXXIX. Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationes que palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 martii 1861.

O. A. M. D. G.

CONSPECTUS TOMI PRIMI.

DE PRINCIPIIS THEOLOGICIS.

Bibliopola ad lectorem 3
Principiorum notio et divisio 5

DISPUTATIO I.

De principiis constitutivis.

CAPUT I. — De scriptura sacra.

Artic. I. — *Quid ea sint, quæ ad Scripturæ Sacræ notionem faciunt.*

I. — Scriptura Sacra est Verbum Dei scriptum 7
II. — Dividitur in V. et N. Testamentum, in Libros Legales, Historicos, Sapientiales et Propheticos; item in Canonicos et Apocryphos . . . 7
III. — Canon Scripturæ alius Hebraicus, alius Christianus : Libri Proto vel Deuterocanonici 8
IV. — Lingua originalis Hebraica aut Græca 10
V. — Editio vel versio Hebraica, Græca, Latina, Vernacula 10
VI. — Sensus Litteralis vel Mysticus; isque Allegoricus, Anagogicus, Tropologicus cum Accommodatitio 12

Quæres : *Quid de Historia Versionis* 70. *Interpretum sit censendum?*

Synopsis Historiæ ex Aristæa 13
I. — Quoad substantiam non videtur commentitia 13
II. — Quoad circumstantias ipsam versionem spectantes videtur probabilior. 13
III. — Quoad modum versionis non est satis explorata 14

Artic. II. — *An existat Scriptura Sacra?*

Probatio ex alibi statutis : Auctores Sacrorum Librorum 15
I. — Libri Scripturæ Sacræ non sunt supposititii 16
II. — Nunquam perierunt penitus 16
III. — Non sunt universim corrupti 17
IV. — Habent Deum pro auctore 18
Probatio alia pro existentia Scripturæ necessaria 18

Artic. III. — *Sub qua ratione et extensione Scriptura Sacra Deum habeat auctorem?*

Deus triplici modo afficit Scriptorem Sacrum 19
I. — Deus res saltem seu veritates et sententias Hagiographis specialiter inspiravit 20
II. — Non videtur specialiter inspirasse semper verba et phrasin 23

Artic. IV. — *An, et quo sensu Vulgata versio sit authentica?*

Authentiæ notio, divisio et controversia 29

Pag.

I. — Vulgata versio latina est authentica 30
II. — Est declarata tantum authentica respective, et in his, quæ spectant ad fidem aut mores. 32
Authentia Hebræi et Græci fontis superstitis. 34

Artic. V. — *An, et quo Interprete egeat Scriptura?*

I. — Scriptura Sacra in multis est obscura 39
II. — In dubiis Scripturæ solvendis sola Scriptura non sufficit 42
III. — Necessarius Scripturæ interpres non est Spiritus privatus 45
IV. — Nec Magistratus politicus : sed Ecclesia. 47

Quæres : *Quæ ad doctrinalem Scripturæ interpretationem faciunt?*

I. — Dispositiones animi pro legendis et exponendis Scripturis. 47
II. — Methodus legendi. 48
III. — Regulæ pro interpretandis sensibus litterali et mystico, Prophetiis, Psalmis et Evangeliis. 48
Syllabus interpretum per secula deductus. 50

Artic. VI. — *An lectio Sacræ Scripturæ in lingua vulgari omnibus passim sit licita?*

Regula Indicis circa hanc rem, et controversia. 52
I. — Lectio Scripturæ non est omnibus ad salutem necessaria 53
II. — Dantur rationes, cur lectio Scripturæ non permittatur passim omnibus. 54
III. — Regula 4ª Indicis est Lex legitime lata; qua stante, non est omnibus promiscue licitum, legere Scripturam in lingua vernacula 55

Quæres : *Quinam sit usus Theologicus Scripturæ?*

I. — Canones argumentationis spectantes Scripturam ipsam 63
II. — Spectantes sensum Scripturæ. 64

CAPUT II. — De traditionibus sacris.

Artic. I. — *Quænam sit notio, divisio et auctoritas Traditionis sacræ?*

I. — Notio Traditionis varia est pro ampla vel stricta illius acceptione. . . 65
II. — Divisio multiplex pro varietate respectus ad principium, doctrinam, materiam, subjectum, tempus vel obligationem. 66
III. — Auctoritas correspondet origini seu auctori 66

Artic. II. — *An sacræ Traditiones necessario sint admittendæ, et reipsa exstent?*

I. — Ad fidem non requirebatur Scriptura; sed poterat sufficere Traditio. . 69
II. — Scriptura sacra ad fidem non sufficit; sed requiritur Traditio. 70
III. — Admittendum est in thesi verbum Dei non scriptum; et existit aliqua Traditio divina 71
IV. — Admittendum etiam est in hypothesi verbum Dei non scriptum; et existunt Traditiones divinæ circa plura dogmata, quæ admittit Ecclesia Catholica. 74
Locus et modus conservandi Traditiones. 78

Artic. III. — *Quæ sint regulæ dignoscendi et usurpandi Traditiones sacras?*

I. — Regula generalis dignoscendi Traditionem stat in judicio Ecclesiæ. . 81
II. — Speciales habentur in Principiis certis, aliis pro Divina, aliis pro Apostolica, aliis pro Ecclesiastica Traditione. 82
III. — Canones pro argumentatione ex Traditione. 83

DISPUTATIO II.

De principiis directivis.

CAPUT I. — De Ecclesia Christi.

Pag.

Artic. I. — *Quæ sit notio Ecclesiæ Christi.*

Varia Ecclesiæ acceptio 85

I. — Ecclesia Christi inadæquate secundum animam sumpta est cœtus vocatorum ad Christi fidem, et supernaturalibus dotibus cum eo conjunctus 86

II. — Inadæquate secundum corpus sumpta est cœtus baptizatorum, professione fidei et communione Sacramentorum eadem, sub uno Christi in terris Vicario adunatus 86

III. — Adæquate sumpta utramque notionem complectitur 87

IV. — Ecclesia Christi est cœtus, nec mutuo fidelium consensu coalitus, nec potestate politica coordinatus, sed auctore Christo institutus. . . . 87

V. — Ex hac institutione est Hierarchicus, non autem Collegium æqualium. 87

VI. — Est constitutus legibus propriis, non mere conventionalibus 88

Artic. II. — *Quinam sint de vera Christi Ecclesia?*

I. — De Ecclesia nec sunt soli prædestinati; sed etiam reprobi : nec soli perfecti; sed etiam imperfecti : nec soli justi; sed etiam peccatores. 89

II. — Nec hæretici manifesti, nec schismatici publici, nec excommunicati denuntiati sunt de Ecclesia 93

Artic. III. — *An et per quas notas discerni possit vera Christi Ecclesia?*

I. — Vera Christi Ecclesia visibilis est et discerni potest 101

II. — Nec doctrinæ veritas, nec usus Sacramentorum legitimus sunt veræ notæ et characteres Ecclesiæ Christi 103

III. — Sed Unitas, Sanctitas, Catholicitas, Apostolicitas 105

IV. — Unitas quidem corporis sub uno visibili Capite; Sanctitas membrorum vel manifeste excellens vel confirmata miraculis; Universalitas quoad doctrinam, tempus et locum; Apostolicitas per fundationem ab Apostolis, et continuatam Episcoporum Apostolis surrogatorum successionem 106

Artic. IV. — *An vera Christi Ecclesia deficere possit?*

I. — Nequit deficere per desitionem; sed perpetua est et perpetuo visibilis. 111

II. — Neque potest deficere per mutationem; sed infallibilis est in rebus fidei et morum 114

Infallibilitas hæc convenit etiam Ecclesiæ formaliter acceptæ; hanc constituit major Episcoporum etiam dispersorum pars; qui cum Capite consentiunt vel expresse vel tacite 117

Quæres : *An et quale judicium competat Ecclesiæ circa Libros vel Propositiones?*

Judicii Ecclesiastici tum causa seu quæstio, tum materia et forma multiplex, tum vis in quibusdam certa, in aliis controversa 119

I. — Ecclesiæ competit jus ferendi judicium circa libros et propositiones, relative etiam ad sensum auctoris 121

II. — Lato Ecclesiæ judicio ejusmodi debetur non solum silentium religiosum, sed internus mentis assensus fidelium 122

III. — Judicium hoc Ecclesiæ est infallibile 123

Assensus judicio huic debitus subin est fidei, subin virtutis inferioris. 130

Pag.

ARTIC. V. — *Quænam sit vera Christi Ecclesia?*

I. — Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia. 131
II. — Nulla protestantium secta est vera Christi Ecclesia. 132

QUÆRES : *Quænam Ecclesiæ cum Romana olim fuerint, aut nunc sint unitæ?*

Gradualis Episcoporum et Ecclesiarum differentia. 135
I. — Sedes Patriarchales majores et minores, cum subjectarum illis Ecclesiarum ordine et numero. 135
II. — Sedium Primatialium recensio. 136
III. — Syllabus alphabeticus Archiepiscoporum cum Suffraganeorum numero. 136
IV. — Index Episcoporum Exemptorum. 140

CAPUT II. — DE CONCILIIS ECCLESIASTICIS.

ARTIC. I. — *Quænam ea sint, quæ ad notionem Conciliorum Ecclesiasticorum universim faciunt?*

I. — Concilium Ecclesiasticum definitur legitimus Conventus Prælatorum Ecclesiæ ad ordinandas rationes Ecclesiæ publicas institutus. . . . 142
II. — Dividitur in Generale vel actione vel acceptatione; in Particulare vel Provinciale vel Diœcesanum. 142
III. — Quam auctoritatem, utilitatem ac necessitatem habeat, indicatur. . . 144
IV. — Ejusdem institutio, usus, acta, locus est tempus perstringuntur. . . 144

QUÆRES I. *Quot et quænam Concilia Ecclesiastica fuerint celebrata?*

Elenchus Conciliorum per annorum seriem ad nostram usque ætatem deductus 145

QUÆRES II. *Quænam sint Concilia generalia, et in iis notatu digna?*

I. — Concilia OEcumenica Orientalia. 162
Nicænum 162
Constantinopolitanum I. 164
Ephesinum 165
Chalcedonense. 166
Constantinopolitanum II. 170
Constantinopolitanum III. 172
Nicænum II 175
Constantinopolitanum IV. 178
II. — Concilia OEcumenica Occidentalia 180
Lateranense I. 180
Lateranense II 182
Lateranense III. 183
Lateranense IV 185
Lugdunense I. 189
Lugdunense II 192
Viennense. 195
Florentinum 198
Lateranense V. 205
Tridentinum. 206
Vaticanum 229
III. — Concilia Generalia, nan tamen OEcumenica 230
Sardicense 231
Pisanum. 232
Constantiense. 234
Basiliense 237

Pag.

ARTIC. II. — *Penes quem jus sit convocandi Concilium generale, et convocato præsidendi?*

I. — Jus convocandi Concilium generale ordinarie spectat ad Summum Pontificem 245
II. — Jus Concilio generali præsidendi regulariter pertinet ad eumdem . . 248
Casus, ubi Concilium generale sine convocatione et præsidio memorato celebrari potest 253

ARTIC. III — *Quinam sint convocandi ad Concilium generale?*

Ad Concilium generale vocandi sunt Episcopi jure ordinario; quidam Clericorum ex privilegio et consuetudine; Laicorum, etiam doctiorum, nemo ullo titulo 254
Quantitas numeri Episcoporum pro Concilio generali requisita 257

ARTIC. IV. — *Quando et quantam auctoritatem habeat Concilium generale?*

Subjectum, qualitas et quantitas auctoritatis 258
I. — Ut auctoritatem sibi propriam habeat Concilium generale, debet esse confirmatum a Summo Pontifice 258
II. — Concilium generale a Summo Pontifice confirmatum habet auctoritatem summam, qua ipsum est infallibile, ejus autem decisiones sunt irrefragabiles 261
Acceptio Episcoporum absentium 265

CAPUT III. — DE SEDE APOSTOLICA SIVE SUMMO PONTIFICE.

ARTIC. I. — *An S. Petrus habuerit Primatum Ecclesiæ?*

Primatus notio et divisio 267
I. — Concessus est S. Petro Primatus, non tantum honoris et dignitatis inter Apostolos, sed et potestatis ac jurisdictionis in universam Ecclesiam 268
II. — Primatus S. Petro concessus est ita, ut divisus non fuerit aut communis cum Paulo; multo autem minus unus omnium Apostolorum et indivisus Episcopatus 275
Regimen Ecclesiæ specificum 284

QUÆRES : *An et quamdiu S. Petrus sederit Romæ?*

Chronologica Actorum Petri ordinatio 286
I. — S. Petrus fuit Romæ; quorsum primo venit anno Claudii 2°. 287
II. — S. Petrus martyrium subiit Romæ sub Nerone, anno hujus 13°. . . . 288
III. — S. Petrus fuit Romæ Episcopus ad mortem usque 289
Sedes Petri Romana ex aliquo jure divino 294

ARTIC. II. — *An Romanus Pontifex obtineat Primatum Ecclesiæ?*

Statuendus est Petri in Primatu Successor; tantum unicus; determinate cognoscibilis; extra Romam non reperiendus 294
Primatus Ecclesiæ, quem S. Petrus habuit, est penes Romanum Pontificem 296
Competit is Romano Pontifici ex jure divino 305

ARTIC. III. — *An Romanus Pontifex sit supra Concilium generale?*

I. — Concilium seorsim a Papa sumptum non habet potestatem summam; neque judiciariam in Summum Pontificem 307
II. — Pontifex non tantum supra omnes Ecclesias particulares seorsim et distributive acceptas potestatem habet; sed et supra omnes simul

Pag.

ac collective sumptas, seu totam et universalem Ecclesiam; quin et supra Concilium generale 309
Epicrisis de modo, quo Episcopi habent suam jurisdictionem a Christo. [illegible]

Quæres : *An in causa Ecclesiastica fas sit appellare ad Magistratum civilem, aut ab Episcopo ad Pontificem, aut a Pontifice ad Conc. generale?*

I. — Per se illegitima est in causa mere Ecclesiastica appellatio tanquam ab abusu, seu a judice sacro ad judicem secularem. 331
II. — Remedium appellationis ad Pontificem, in causa etiam personali Episcoporum, est juris divini, antiqui usus, et propriæ significationis. 335
III. — Fas non est appellare a Pontifice ad Concilium generale 340
Appellatio ad Pontificem non includit conditionem Conciliis generalibus faventem. 342

Artic. IV. — *An Romanus Pontifex summam habeat auctoritatem?*

Locutio Pontificis ex Cathedra, et status controversiæ. 344
Rom. Pontifex ex cathedra loquens in materia fidei, morum et factorum dogmaticorum habet summam auctoritatem; seu ipse quidem est infallibilis, ejus autem definitio irrefragabilis et irreformabilis, etiam independenter a consensu Ecclesiæ. 345
Corollarium ex vindiciis Pontificum. 366

Quæres I : *Quisnam sit sensus Ecclesiæ Gallicanæ circa auctoritatem Summi Pontificis?*

Sanctio Pragmatica et Declaratio Gallicana huc spectant. 366
I. — Ecclesia Gallicana antiqua stat pro superioritate et infallibilitate Summi Pontificis. 367
II. — Hunc Antiquæ Ecclesiæ sensum non immutavit Declaratio Cleri Gallicani A. 1682 edita. 370
III. — Eumdem sensum etiam post famosam Declarationem retinet Ecclesia Gallicana recentior. 372
Defensio Declarationis Gallicanæ non est indubius Bossueti partus. . 374

Quæres II : *Quisnam sit Principiorum directivorum in Theologia usus?*

I. — Regulæ circa Ecclesiam. 375
II. — — circa Concilia. 375
III. — — circa Sedem Apostolicam. 375
Appendix. — De Summis Pontificibus et Patriarchis Orientalibus ex octodecim Seculorum serie ordinatis 377

DISPUTATIO III.

De principiis adjuvantibus.

CAPUT I. — De Sanctis Patribus.

Artic. I. — *Quisnam sit Sanctorum Patrum character?*

I. — Ecclesiæ Patres sunt viri Ecclesiastici, qui doctrina eminent, sanctitate florent, antiquitate vigent, et expressa vel tacita Ecclesiæ designatione gaudent. 391
II. — Patrum doctrina redit ad sacrarum Litterarum interpretationem, fidei dogmatum custodiam et propositionem, moralis doctrinæ traditionem, et disciplinæ institutionem . . . . . [illegible]

Pag.

III. — Patrum Sanctitas secundum fidei integritatem, Antiquitas secundum ætatem diversa est, et adnotari debet 393
Ecclesiæ Doctores 393

ARTIC. II. — *An et quænam sit auctoritas Patrum?*

I. — Concedenda est Patribus magna auctoritas 394
II. — Singulorum Patrum auctoritas est inter se invicem inæqualis; nullius seorsim est irrefragabilis 394
III. — Patrum plurium, reclamantibus reliquis licet paucioribus, major equidem est auctoritas, necdum tamen irrefragabilis 395
IV. — Unanimis Patrum consensus, sive omnium idem asserentium auctoritas est irrefragabilis 396

ARTIC. III. — *Quænam sint cautelæ et regulæ pro intelligentia, quinam canones pro usu Theologico Patrum?*

I. — Cautela pro lectione Patrum 397
II. — Regulæ pro intelligendis eorum scriptis 398
III. — Canones pro argumentatione ex iisdem 398
Selectus inter Patres 399

QUÆRES : *Quinam fuerint, et quæ scripserint SS. Patres?*

Syllabus Auctorum Ecclesiasticorum, per duodecim Secula, Patrum feracia, excurrens 399

CAPUT II. — De Theologia et Jurisprudentia.

ARTIC. I. — *Quænam sit Theologiæ notio et historia?*

Generica Theologiæ notio et divisio 427
I. — Theologia proprii nominis est Disciplina sacra, quæ fidei morumque dogmata, ac veritates illis affines aut eo ordinatas, ex principiis sacræ scientiæ deducit, rite disponit, stabilit, propugnat 428
II. — Duplex ejus divisio ratione finis ac materiæ 429
III. — Theologiæ præformatio, genesis, perfectio, multiplicatio, discrimen. Synopsis Summæ Theologicæ D. Thomæ 429

ARTIC. II. — *Quænam sit notio et Œconomia Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ?*

I. — Juris Ecclesiastici pro lege accepti divisio in Jus Canonicum et Pontificium; in Dogma, Mandatum, Interdictum et Sanctionem; in Decretum et Rescriptum vel Decretalem; in vivæ vocis Oraculum, Bullam et Breve : Horumque, uti et Regularum Cancellariæ, Declarationis Cardinalium, et Decisionum Rotæ explicatio brevis 439
II. — Juris Ecclesiastici pro collectione sumpti divisio in jus vetus seu Codicem Canonum, Jus novum seu Corpus Juris Canonici, Jus novissimum seu plures collectionum species finem Seculi 15 haud excedentes; cum subjuncta partium triplici hoc Jure comprehensarum recensione 440
Et quidem Codicis Canonum tam Orientalis quam Occidentalis Œconomia 440
Juris novi Decretum Gratiani, Decretales, Liber sextus, Clementinæ, Extravagantes tum Joannis XXII. tum communes 441
Juris novissimi, præter Bullarium aliaque jam nominata, concordata Germaniæ, Transactio Passaviensis, Pax Religiosa et Pax Westphalica declaratur 442
III. — Jurisprudentia Ecclesiastica est Disciplina practica, Rempubliçam Christianam ad politiam sacram manuducens per leges Ecclesiasticas rite perspectas 444

Pag.

Epitome Codicis Canonum antiqui; et quidem Ecclesiæ Orientalis... 446
Ecclesiæ Africanæ. 449

Quæres : *Quænam sit Theologorum et Canonistarum auctoritas, indeque fluens argumentationis rectitudo et cautela?*

Theologorum et Canonistarum requisitæ dotes. 451
I. — Theologi et Canonistæ, in sua quilibet facultate et pro materia sibi propria, habent auctoritatem; cum sua tamen exceptione. 452
II. — Auctoritas eorumdem nec semper crescit ex numero; nec major etiam, si contradicant alii, est irrefragabilis; cum quibusdam sequelis. . 452
III. — Auctoritas memoratorum in sententia, quantumvis ab Ecclesia nondum definita, conspirantium est tanta, ut illi refragari sit temerarium; sed cum gemina cautela 453
IV. — In iis, quæ ad fidei dogmata aut morum principia pertinent, indeque indubie deducuntur, unanimis Theologorum sententia majorem auctoritatem habet ac tantam, ut eidem contradicere saltem hæresi aut errori proximum videatur; cum aliquo privilegio. 453
Responsis Facultatum conveniens auctoritas. 454

CAPUT III. — De Ratione et historia humana.

Artic. I. — *Quænam sit Rationis humanæ utilitas et cautio in Theologicis?*

Varia Rationis humanæ acceptio, etiam pro Jure Civili; cujus Corpus ex Institutionibus, Digestis, Codice ac Novellis conflatum recensetur 454
I. — Ratio humana, accepta pro facultate rationali, non utilis solum est, sed et necessaria Theologo : additur cautio. 455
II. — Sumpta pro Philosophia, suam in Theologicis utilitatem habet : subjiciuntur animadversiones. 456
III. — Accepta pro Juris naturalis scientia, non mediocrem in Theologia usum obtinet : deducuntur corollaria 457
IV. — Sumpta pro Jurisprudentia Civili, non caret utilitate in Theologicis : accedunt Regulæ. 457
Dicta de Jure naturali applicantur Juri gentium. 457

Artic. II. — *Quænam sint Historiæ humanæ commoda et cautelæ pro usu Theologico?*

Historiæ dux est Ars Critica, comites Geographia et Chronologia. . . 458
I. — Historia plurimum subsidii præstat sacræ scientiæ; si tamen nec omnis rejiciatur, nec omnis recipiatur et delectus fiat. 458
II. — Ars Critica utilitatem habet in Theologicis, non tamen indefinitam, nec absque observatione certarum legum. 359
Notitia libraria Geographiæ et Chronologiæ sacræ 460

Appendix I. — *De Hæresibus in Ecclesia subortis : quarum præcipuæ ordine chronologico ad nostram usque ætatem deductæ referuntur* . . 461
Schismatum brevis designatio 478

Appendix II. — *De Propositionibus damnatis; quæ secundum Summæ Theologicæ seriem et materias dispositæ recitantur*. 479

Syllabus Complectens præcipuos nostræ ætatis errores qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encycliciis, aliisque Apostolicis litteris Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX. 522

BAR-LE-DUC, IMPRIMERIE CONTANT-LAGUERRE.

208.9
W 743
8850
WIRCEBURGENSIS, I
AUTHOR
~~Theologia De Principiis~~
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	McCoran	
	STORAGE - CBEL	

8850